This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600092008P

600092008P



SESSIO QUARTA

CONCILII TRIDENTINI VINDICATA

SEU

INTRODUCTIO IN SCRIPTURAS DEUTERO-CANONICAS

VETERIS TESTAMENTI

IN TRES PARTES DIVISA

PER SACERDOTEM

ALOISIUM VINCENZI SAMMAURENSEM

IN ROMANO ARCHIGYMNASIO LITTERARUM HEBRAICARUM PROFESSOREM.

ROMÆ,

TYPIS S. C. DE PROPAGANDA FIDE

1842.

110. c. 332.

CAROLO ACTON

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

PII OPERIS

CHRISTIANAE FIDEI PROPAGANDAE

PRAESTITI PROVIDENTISSIMO

ALOISIVS VINCENZI

PRAELECTIONES SVAS BIBLICAS

QVAE DEVTERO-CANONICAS SCRIPTVRAS

SPECTANT

OFFERT DEDICATQVE

PRINCIPI

SACRAE DOCTRINAE STVDIOSISSIMO

FAVTORI ARTIVM OPTIMARVM

Ἐχομένους γὰρ καθήκει, οὐ μόνον τῶν γραφῶν τῶν θείων, ἀλλὰ καὶ τῶν ἐννοιῶν τῶν κοινῶν τὰς ζητήσεις ποιεῖσθαι εἰς ἥ πέρας ὠφέλιμον τῆς εὑρέσεως καταληγούσης· ἐκδέχεται γὰρ ἄλλος τόπος τε, καὶ ὄχλος τοὺς ταραχώδεις τῶν ἀνθρώπων, καὶ τὰς ἀγοναίους εὑρησιλογίας· τῆς δὲ καὶ ἀληθείας ἐραστήν τε ἅμα καὶ γνώριμον, εἰρηνικὸν εἶναι, κἂν ταῖς ζητήσεσι πρόσηκεν, δι' ἀποδείξεως ἐπιστημονικῆς ἀφιλαύτως, καὶ φιλαληθῶς εἰς γνῶσιν προσίοντα καταληπτικήν.

Κλήμεντος Ἀλεξαν. στρωμ. λόγος η'.

Oportet enim non solum eos, qui ad divinas se applicant Scripturas, sed eos etiam, qui communes sequuntur notiones ita proponere quaestiones, ut in finem aliquem utilem desinat inventio. Turbulentos enim homines, et forenses sermonum inventiones, alius excipit locus, et alia turba; eum, qui veritatis simul est amator, et discipulus, oportet esse pacificum; et in inquisitionibus per demonstrationem scientificam, et sine nimio amore sui, tantum veritatis amantem accedere ad comprehensivam cognitionem.

Clementis Alexan. Strom. *sermo* VIII.

AUDITORIBUS.

Veritas una, aeterna, immutabilis, Deus ipse, rebus omnibus e nihilo creatis, inter easdem hominem sibi elegit carum, et ad imaginem suam creavit eum; et ipsi inspirando flatu oris sui, animam illius, ut in aeternitatem pariter viveret, exaltavit. Totius insuper mundi dominatorem, ceteris animalibus praestantem, constituit, atque illius cordi indidit leges, quibus creatori suo subditus foret, et obsequeretur. Creaturam istam alteri ejusdem naturae sociatam, a quibus humanum prodiit genus, Omnipotens in mundo collocavit, eas manu per terras deduxit, ut illas incolerent; istas societatis vinculo junxit; et inter alias facultates, quas eis benigne impertitus est ad hoc vinculum stabiliendum, linguae dono ditavit, quo sonos aliquos ipsae emitterent, secum mutuo proprias cogitationes participarent, et suis satisfacerent usibus.

Hujusmodi porro sonis ab ipsa divina Sapientia emanantibus, Deus idem Adamo suisque posteris collocutus est, suamque illis manifestavit voluntatem usque dum ipsi (1), cum essent labii unius, et sermonum eorumdem, profecti de oriente habitaverunt in campo in terra Senaar, et coctis lapidibus aedificaverunt turrim, ut nomen suum celebrarent. Dominus vero visis eorum cogitationibus, confudit linguam ipsorum, et divisit eos ex illo loco in universas terras. Hac ratione, lingua primitiva confusa, novae factae sunt linguae, et paulo post pedetentim vocum significatione, terminatione, et forma immutatis, alterae ab alteris variarunt, quantum habitationes hominum, eorumque societates ab invicem segregatae magis minusve distarent, donec singulis regionibus dialectus propria instituta est.

Interea, cum religio cordis quodammodo variis affectibus, dubiis inde, et opinionibus praeoccupata, humana generatione faede originali culpa corrupta, cum magis ac magis a recta semita declinaret, necesse fuit, ut divina ac primaeva revelatio protoparentibus data, ne oblivioni cederet, litteris consignaretur, revocarenturque homines ab erroribus iniquis.

Moyses fuit ille primus ad hoc opus peragendum a Deo institutus, ut Patriarcharum

(1) Genes. c. XI.

scilicet historiam, eorum fidem, seu divinum instrumentum describeret, et posteritati traderet; deinde Prophetae alii caelesti legatione functi idem negotium in populo Dei perfecerunt, populo scilicet israelita, super quem Omnipotentis amor maxime est manifestatus. Pro israelitis ergo tunc temporis scripsit Moyses, ceterique Prophetae; ac ea lingua divinitus inspirati scripserunt, ut naturae congruum est, Dei testimonium, qua eo tempore vulgo utebantur hebraei. Hebraeorum idcirco lingua primo divinum instrumentum conflatum est, deinde graeca. Reapse, per has duas linguas hebraicam scilicet, et hellenicam, praeter traditionem, a patribus nostris veri agnitionem assecuti sumus. Hebraeorum lingua, ut communi sententia fertur, et ut dixi, effatus est primum Deus hominibus, dum ea usi sunt Abraham, Isaac, Jacob, et duodecim tribus Israel, qui ut astra caelorum multiplicati, hebraice loquebantur, (hebraica enim, et chaldaica, earum affinitate inspecta, fere una lingua habetur) donec graeci orientales regiones invadentes, secum non solum illarum gentes, verum etiam linguas sub imperium suum traduxerunt; et ex eo tempore hebraeorum lingua minus invaluit, et graecanica elocutio una cum victoribus in oriente radices suas fixit, ac stabilivit. Cum vero haec lingua quasi universalis facta esset, divina Pro-

videntia, ut inquit Clemens alexandrinus, quem sequitur divus Chrysostomus, quoque, ut Scripturae sacrae, seu ipsius mandata hominibus inspirata, in graecum transferrentur curavit, non tantum in dilecti sui populi Israelis, verum etiam omnium creaturarum utilitatem, ut facilius veritatem consequerentur.

His duabus linguis divinas Scripturas a prima aetate recepimus scriptas, illum scilicet librum discipulis suis a Redemptore, et nobis maxime commendatum. Praeter has linguas, quibus inter se versabantur populi illi, hebraei scilicet, et graeci, et auctores, qui, Spiritu Sancto afflante, scribebant, aliae variaeque his adjunctae sunt, aegyptiae veluti, syriacae earum propriis cum dialectis, latinae quoque, et barbarorum plures, in quibus, evangelico sono in orbem terrarum exeunte, et gentibus, idolis a Christi doctrina conculcatis, ad agnitionem veritatis venientibus, necesse fuit, ut divini libri interpretatione donarentur. Haec omnia, quae dixi, recte accommodantur Augustini sententiae, qui libro II. de Doctrina Christiana c. 6. scribit. « Cujus superbiae signum est erecta illa turris in coelum, ubi homines impii non solum animos sed etiam voces dissonas habere meruerunt. Ex quo factum est, ut etiam Scriptura divina, qua tantis morbis humanarum voluntatum subvenitur, ab una lingua profe-

cta, quae opportune potuit per orbem terrarum disseminari, per varias interpretum linguas longe lateque diffusa, innotesceret gentibus ad salutem, quam legentes nihil aliud appetunt, quam cogitationes, et voluntatem illorum, a quibus conscripta est, invenire, et per illos voluntatem Dei, secundum quam tales homines locutos credimus. »

Haec postrema eloquia vero, inspecta illorum indole, distare a primigeniis illis linguis hebraeorum, et chaldaeorum, apertissime constat tum sententiarum vi, tum verborum significatione, etsi quoad substantiam eadem ubique sint. Ita versio alexandrina, et Scripta apostolica, etiamsi graecorum lingua exarata, praesertim sunt hic animadvertenda, quae fere Judaeorum phrasi potius adaequantur, quam communi graecorum dictioni; ac prae ceteris latina lingua, qua leguntur divinae istae Scripturae, et nostra dicendi ratio notandae sunt, quae ab originalibus quam longissime absunt, ut vulgo hoc in translationibus ex una ad alteram linguam evenire solet. His addas quoque, Scripta ista inspirata, praeter maximum eorumdem momentum in Christi Ecclesia, esse quoque difficilia, et obscura, quorum potissimum causa ab aetatis longitudine, qua tradita sunt, repetitur, et loci circumstantiis, et virorum, qui veluti auctores Bibliorum istorum secundarii, seu divini-

tatis ad hoc negotium conficiendum instrumenta reputantur. Ex his omnibus consequitur, illis, qui Scripturarum custodes habentur, earumdemque interpretes, omni studio, et diligentia inquirendum, ac enucleandum esse verum earum sensum, et aptum, quo possit fidelibus, sicuti vitae panis, rectus vivendi modus subministrari; et hoc prae ceteris ad ecclesiasticos viros spectat, quorum labia custodiunt scientiam.

His positis, necessarium videtur, sacerdotem alias inter sollicitudines, quibus bono creaturarum spirituali instare debet, non solum Bibliorum divinorum lectioni vacare, verum quoque juvat in horum cognitione adipiscenda ad linguas, et mores eorum sese conferre, et perdiscere, quibus primum divina inspiratio facta est, ut aequo caelestis eloquii panem fidelibus praestare, ac frangere possit.

Quae vero hactenus dixi, auditores optimi, non tantum ratione probantur, sed exemplis insuper, et auctoritate priorum firmantur, qui in Ecclesia christiana a primis temporibus hucusque aetatis doctrina praestitere, et muneribus ecclesiasticis defuncti sunt; ab apostolico aevo, inquam, quo Dei Spiritus Apostolos afflabat, tum eorum praedicationi, cum illorum Scriptis adstando, ac moderando. Et hoc patet e donis gratisdatis, quae tunc Christi discipulis collata fuere, in quibus etiam linguae donum, et sermo-

num interpretatio censetur. Apostolus Paulus ad Corinthios (1) scribit: « Alii quidem (datur) operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. » Cum vero haec in Ecclesia divina charismata communia desierint, ecclesiastici doctores harum linguarum agnoscentes necessitatem, hanc facultatem studio, et labore sibi compararunt, easdem discipulos suos edocuerunt; et prout opus, homines, loca, et tempora postulabant, fidelium bono hanc linguarum peritiam accommodabant; tantaeque utilitatis hanc acquisitionem aestimarunt, ut vehementer illos, ad eas perdiscendas hortarentur; et speciali quidem ratione, cum de veteribus Scripturis contra hebraeos dissererent. His namque in libris prophetice e divina electione reprobatus populus iste, horum aegyptiacam versionem respuebat, quasi in translatione non eamdem eorum originali, ubi primum descripti erant, respondentem. Testis hujus rei est Justinus martyr, qui in dialogo cum Triphone judaeo cavet aliquando textum Scripturarum alexandrinum proferat, et Aquilae potius hebraei interpretationem contra judaeos legit, quippe quae fontibus ab illis habebatur congruens, et contra eosdem minime sua imminuebatur ratiocinatio. Hieronymus pariter hoc dicit in aemulos

(1) I. ad Corint. c. XII. 10.

suos scribens ad Paulam. « Deus ipse mihi mercedem restituat in futuro, qui scit me ob hoc in peregrinae linguae eruditione sudasse, ne judaei de falsitate Scripturarum ecclesiis ejus diutius insultarent. » Non solum porro, hebraeorum ratione habita, Ecclesiae patres hebraicam linguam, et graecam acquirebant, verum quoque gentilium, impiorum, et haereticorum causa, qui evangelicas deturpare conabantur veritates.

Tertullianus latine scripsit, linguam vero graecam optime noverat, et contra Hermogenem illis in verbis Geneseos: « Terra autem erat inanis, et vacua » Septuaginta interpretum versione utitur, et contra eumdem vocabula hellenica interpretatus est, ut illius Scripturae manifestius constaret sensus. De Origene vero, cujus potissimum opus in divinis Bibliis interpretandis consummatum est, haec tradit Eusebius: « Tanto porro studio, tantaque cupiditate sacras litteras pervestigandi ducebatur Origenes, ut linguam etiam hebraicam studiose disceret; et non modo vetera Scripturarum exemplaria apud judaeos hebraico sermone scripta, et custodita sibi acquireret, verum etiam aliorum interpretationes, qui praeter Septuaginta, sacras litteras convertissent, exquisite indagaret. » Hoc insuper testantur suarum Exaplarum fragmenta, quas Ecclesiae christianae contulit, ac

etiam in eosdem sacros libros commentaria, quae saepe hebraicis vocibus adaucta sunt, ut quidquid obscuritatis Septuaginta-virali versioni inerat, emendaret, vel explicaret. Eusebius ipse contra gentiles suo in libro decimo de Praeparatione Evangelica saepe saepius hebraeorum verba explicat, et pro veritate christianae doctrinae hac quoque lingua pugnat. Paulo post idem Eusebius Antiochiae ait virum sane disertum cognovisse, nomine Dorotheum : « Hic in sacris litteris exquisite eruditus fuit ; linguae hebraicae diligenter navavit operam adeo ut Scripturas hebraicas scienter posset intelligere. Istum nos Scripturas in ecclesia non incommode explicantem audivimus. » De Luciano martyre ait Nicetas metropolita heracliensis in prooemio Psalterii, illum in hebraicis Scripturis versatum esse. Divus Ephraemus syrorum lingua peritissimus, et graecorum, sua scholia, quae simplici eorum versioni inseruit, in veteris Scripturae locis difficilibus interpretandis, codicis hebraici verbis quam saepissime contexuit. Quisquis illius scripta syriaca perlegerit, hoc bene noverit. Hilarius pictaviensis episcopus in divinis explanandis Scripturis, et contra arianos maxime catholici dogmatis sustinendi causa professus est sese codices graecos, et latinos divinorum Bibliorum contulisse ad potiorem illorum intelligentiam, ut e suis scriptis eruitur ; et

non quod multi sunt Caeli, non enim hoc nos docuit beatus Moyses, sed quod mos est linguae hebraicae unam rem nominare plurali numero; quia si multi essent, non omisisset Spiritus Sanctus per linguam Prophetae, quin et illorum formationem nos doceret. Haec diligenter servate, obsecro, ut possitis obstruere ora eorum, qui contraria ecclesiasticis doctrinis efferunt, et videatis virtutem eorum, quae in Scriptura continentur. » Noverat divus Joannes syrorum linguam, quod alibi clare excipitur, ac etiam ob hebraicae dialecto affinitatem hujus linguae, hebraeorum sermonis, ut e suis scriptis constat, peritus videtur.

De Epiphanio martyre sileo, qui hebraeus origine, ac Theodoreto, aliisque, qui ea aetate ad Scripturarum interpretationem linguarum hebreae et syriacae peritiam comparantes excelluere. Saeculi sexti initio, Isidorus natione hispanus, virtutibus et christianis scientiis ornatissimus, linguarum quoque latinae, graecae, ac hebraicae peritia excelluit. Aurelius deinde Cassiodorus capite XV. de divinis lectionibus; sub qua cautione rogatus legi debeat caelestis auctoritas; respondet: « quod si tamen alia verba reperiuntur absurde posita, intrepide corrigenda sunt ex his codicibus, quos beatus Hieronymus in emendatione Septuaginta, vel ex illis, quos de hebraeo transtulit; aut sicut beatus

Augustinus ait recurratur ad graecum pandecten, qui omnem legem divinam dignoscitur continere collectam, vel quibus possibile fuerit hebraeam Scripturam, vel ejus doctores requirere non detrectent. Decet enim ut, inde ad nos venit salutaris translatio, inde iterum redeat decora correctio. Merito enim patribus nostris de hac re maxima cura fuit, ne tunica domini, quam truculentis militibus scindere non licuit, lectoribus subjaceat imperitis. Audiat Spiritus Sanctus sincerissima, quae donavit, recipiat illa beata, quae contulit.

Saeculi octavi initio claruit Beda presbyter anglus. Is in tractatu de linguis gentium haec habet: « Tres sunt autem linguae sacrae, hebraea scilicet, graeca, latina, quae toto orbe maxime excellunt. His enim tribus linguis super crucem Domini a Pilato fuit causa illius scripta. Unde, et propter obscuritatem sacrarum Scripturarum, harum cognitio trium linguarum necessaria est, ut ad alteram recurratur, dum siquam dubitationem nominis, vel interpretationis sermo unius linguae attulerit. » Quicumque ejusdem Bedae legerit in divina scripta commentaria, viderit qua sedulitate, et frequentia graecos codices Bibliorum, et Aquilae Symmachi versiones, praeter Septuaginta, adiverit, et hebraicos fontes contulerit, ut sacer textus legentibus magis patefieret. Egregios insu-

per multos habuit discipulos, quos suo studio, et exemplo ad amorem Scripturarum inaestimabili fervore provocavit, e quorum numero fuit Alcuinus, qui linguae hebraicae et graecae peritiam assecutus est, iisque usus in collatione codicum Bibliorum, quam Carolus Magnus ei mandaverat. Altero saeculo Rabanus Maurus natione teutonicus divinarum Scripturarum valde fuit studiosus; et cum sibi earumdem difficultas comperta esset, linguae hebraicae, et graecae comparavit notionem, ut collatis inter se fontibus Bibliorum graecis, et hebraicis, sacrorum Prophetarum oracula magis clarescerent. Illius commentaria sparsim vocabulis hebraeorum, ac graecorum 70. conspersa, satis indicant quanta auctoritate illos codices donaverit.

Saeculo undecimo Humbertus cardinalis, episcopus Sylvae Candidae, fuit valde lingua graeca doctus. Agens contra varios graecorum errores, de vocabulo *panis* haec scribit: « et in omnibus Scripturis invenimus panem indifferenter dici, sive fuerit azymus, sive fuerit fermentatus, quod hic demonstrare incipimus e vocabulo hebraico לחם *lechem* et graeca voce ἄρτος panis. Ordinis S. Benedicti fuit Humbertus, et claruit in divinarum Scripturarum studio. Rupertus abbas, duodecimi saeculi initio, in commentariis divinorum librorum ad fontes hebraicos, et graecos Septuaginta interpretum

sese confert, ut magis divinorum librorum pateret sensus. Consule Deuteronomii caput XXI. Pariter in Isaiae capite septimo: « Ecce Virgo concipiet: » opportuno repetit hebraicum vocabulum עלמה *Halma* idest abscondita, virgo nimia diligentia custodita.

Ineunte hoc saeculo Euthymius zigabenus monachus sancti Basilii, praeter alia scripta, in omnes Psalmos expositiones compegit, in quibus elucet sua in graecis litteris peritia, et maximum in Septuaginta interpretum illius studium ad eorumdem Psalmorum vocabula expendenda, sicuti Aquilae et Symmachi quoque versiones ex hebraeo adpellat. Raymundus a Pennaforti mirae sanctitatis, Ex-minister Generalis ordinis Praedicatorum viros sacrae Scripturae ac divinae scientiae peritos sui instituti linguarum arabicae, hebraeae, et chaldaicae studio applicuit, quorum opera ad docendos, ac convincendos infideles usus est. Saeculo XIII. is vixit (1). Raymundus Martini postea excelluit in hebraicis litteris chaldaicis, et arabicis excolendis. Illius liber, qui sub nomine *pugio fidei* ad nos venit, huic rei fidem praebet. Divus Bonaventura, eodem saeculo, Albanensis episcopus, et cardinalis, Septuaginta interpretum graecam translationem saepe allegat suis in commenta-

(1) Joan. Carpzovii, Introd. in theologiam judaicam c. XII.

riis. De aliis, qui illo tempore vixerunt, et de re nostra egerunt, non est, quod verba faciam.

Hucusque aetatis in Ecclesia Christi studium linguarum adeo necessarium aestimatum fuit, ut Clemens Papa V. aliorum doctorum, qui antecesserant, exemplo in oecumenico Viennae concilio saec. XIV. initio, hujus studii adprobationem addidit, et confirmavit quidquid antea in Ecclesia de his peractum erat. Ipse enim in libro V. constitutionum, quae deinde *Clementinae Constitutiones* vocatae sunt, titulo primo de Magistris hoc decretum pro studiis linguarum in divinae Scripturae interpretationem, et per universum Evangelii praedicationem mandavit : « Inter sollicitudines nostris humeris incumbentes etc. . . . . non ambigimus quin ad hujusmodi nostrum desiderium exequendum, divinorum eloquiorum sit expositio congrua, ipsorumque fidelis praedicatio admodum opportuna. Sed nec ignoramus, quin et haec promi noscantur inaniter, vacuaque redire, si auribus linguam loquentis ignorantium perferantur. Ideoque illius, cujus vicem in terris, licet immeriti, gerimus, imitantes exemplum, qui ituros per universum mundum ad evangelizandum Apostolos, in omni linguarum genere fore voluit eruditos; viris catholicis notitiam linguarum habentibus, quibus utuntur infideles praecipue, abundare sanctam affectamus Ecclesiam,

qui infideles ipsos sciant, et valeant sacris institutis instituere, Christicolarumque collegio per doctrinam christianae fidei, ac susceptionem sacri Baptismatis aggregare. Ut igitur peritia linguarum hujusmodi possit habiliter per instructionis efficaciam obtineri, hoc sacro adprobante concilio, scholas in subscriptarum linguarum gentibus ubicumque, romanam curiam residere contingat, nec non in parisiensi, et oxoniensi, et bononiensi, et salamantino studiis providimus erigendas; statuentes, ut in quolibet locorum ipsorum teneantur viri catholici sufficientem habentes hebraicae, arabicae, et chaldeae linguarum notitiam, duo videlicet uniuscujusque periti, qui scholas regant inibi, et libros de linguis ipsis in latinum fideliter transferentes alios linguas ipsas sollicite doceant, earumque peritiam studiose in illos instructione transfundant, ut instructi, et edocti sufficienter in linguis hujusmodi fructum speratum possint, Deo auctore, producere, fidem propagaturi salubriter in ipsos populos infideles etc. »

Ex eo tempore ecclesiastici doctores Constitutioni Clementinae obsecuti, in linguas orientales, et graecas incubuerunt, discipulos suos illas edocuerunt; et non tantum in praedictis universitatibus haec studia excolebantur, verum etiam in lyceis, et seminariis, aliisque locis istae ediscebantur linguae. Inter illos clarent Lyra-

nus, qui in universa Biblia postillas compegit, Nicolaus de Gorram, Alphonsus Tostatus suis in Scripturas commentariis, Bessarion sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis doctrina praestantissimus, Ambrosius florentinus Ordinis Camaldulensis abbas, Picus mirandulanus, aliique, qui hebraeorum litteris, vel graecorum excelluere, quin omittamus Augustinum e Justinianorum familia episcopum nebiensem, qui primus Genuae 1516. Psalterium polyglotton edidit hebraicum scilicet, arabicum, chaldaicum, graecum cum latina versione et scholiis.

Hic vero aetatem concilii tridentini assecutis non abs re erit quaedam notare circa sessionis quartae verba, ad Vulgatam editionem divinorum librorum spectanctia, quae fortasse e linguarum studio nonnullos removent. Haec interea sunt concilii dicta ibidem: « Insuper eadem sacrosancta synodus, considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quae pro authentica habenda sit, innotescat; statuit et declarat, ut haec ipsa vetus, et Vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus, et expositionibus pro authentica habeatur; et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat, vel praesumat. » Nonnullis, ut

dixi , concilii eadem verba interpretatis visi sunt , codices graeci , et hebraici Bibliorum hoc decreto abrogati fuisse. Verumtamen , ut aequo decretum hoc ponderantibus facile est exceptu , de praedictis codicibus , nihil animadverterunt Patres. Actum est ibi tantum de pluribus , et vario genere Bibliorum latinis editionibus , e quibus quaedam corruptae , vel amanuensium erroribus scatentes , et sincero Spiritus Sancti sensu quodammodo immutato , prae fidelium manibus maxime pusillorum , habebantur ; et ob hoc synodus , quoad fieri poterat , his omnibus seclusis,tantum Vulgatam Bibliorum editionem in auctoritatem sumi , et legi statuit. De originalibus autem hebraicis et graecis , quibus primum facta est divina revelatio ne verbum quidem ; immo Patres ejusdem concilii tradiderunt , et mandarunt fontibus graecis , et hebraicis opus esse in divinis Scripturis interpretandis , quorum primus lucet clarissimus , et doctissimus Salmeron , summorum pontificum Pauli III , Pauli IV , et Pii V in eodem concilio theologus. Scribit enim prolegomeno tertio in sacras Scripturas : « Liberum autem reliquit omnibus , qui Scripturas profundius meditantur , fontes graecos , aut hebraeos, quatenus opus sit consulere , quo nostram vitio librariorum , vel temporum injuria emendare valeant. » Idem firmatur a Vega ejusdem

concilii theologo, et a Bellarmino acceptum, et probatum. Prae omnibus autem hoc adstruit piissimus, et praestantissimus cardinalis e Sancta Cruce, qui postea sub Marcelli II nomine summus Pontifex fuit renunciatus ; cum huic aliisque sessionibus praefuisset, haec scribit (1): « Itaque nec tu (ad Calvinum loquitur) nec quisquam alius propter hanc adprobationem Vulgatae editionis impeditur, quominus ubi haesitaverit, ad fontes recurrat, et in medium proferat quidquid habere potuerit, quo juventur, et locupletentur latini, et Vulgatam editionem ab erroribus repurgent ; et quae sensui Spiritus Sancti sunt magis consentanea, assequantur. » Idem Calmet innuit in sua de Vulgata dissertatione ; et Natalis Alexander, ob fontium praestantiam minime, inquit, Vulgatam editionem supra fontes authenticam declarare poterat tridentina synodus.

Haec interim satisfiant, et dum hae sententiae de auctoritate Vulgatae, synodi tridentinae mentem explicant, nobis quoque necessitatem, et munus adaugent linguam hebraicam et graecam ediscendi. Et hoc docet (juxta propositi argumenti ordinem) idem Alphonsus Salmeron in prolegomeno nono, ubi canones aliquot traduntur de proprietate vocum. Canone quinto

(1) Akerman. Introductio in libros novi testamenti.

scribit : « Pro Canonico et authentico Scripturae textu, quod attinet ad vetus testamentum, quisque catholicus latinam Vulgatam Hieronymi editionem a concilio tridentino adprobatam ita agnoscere, et recipere debet, ut nulli eam rejiciant, vel contemnant, praesertim, ubi castigata, et judicio Ecclesiae ab erroribus, mendis, et vitiis fuerit emendata uti praecepit concilium. Versionem praeterea graecam Septuaginta duo interpretum a Christo, et ab Apostolis, et primis omnibus patribus confirmatam, tribusque ante Christi Crucem saeculis per Septuaginta duos viros eruditissimos factam, et a tota Ecclesia receptam, non secus ac primitivi patres, qui alias Scripturas non noverunt, admittere debemus. Textum quoque hebraeum, quatenus prioribus duobus non contradicit, consulere possumus, et interdum debemus, quemadmodum Hieronymus fere in omnibus sacris libris utramque scilicet graecam, et hebraeam, et amplectitur, et explicat, maxime vero in commentariis suis super Prophetas, ubi ait : - Universi tractatus mei horum testimoniis texti sunt : - Augustinus, libro XVIII. de Civitate Dei, idem docet : - Utraque auctoritate scilicet ex hebraeis, et ex Septuaginta putavi utendum, quoniam utraque una, atque divina est. » Sanctus Ignatius Societatis Jesu institutor, suis in constitutionibus a sancta Sede apostolica com-

probatis, linguae hebraicae, et graecae studium suscipere statuit. Ita namque se habent regulae provinciales N. 5, 6, 7: in libro, qui - Ratio, ac institutio studiorum in Societate Jesu - nuncupatur: « Magnam diligentiam adhibeat in promovendo sacrarum litterarum studio, quod perficiet, si viros ad id muneris eligat, non solum linguarum peritos (id maxime necessarium) sed etiam in theologia, ceterisque scientiis, in historia, variaque eruditione, et quoad fieri potest, in eloquentia bene versatos. Hanc autem sacrae Scripturae lectionem per biennium theologi audiant quotidie per horam. Linguam hebraeam, si commode possit, doceat sacrae Scripturae professor, vel saltem aliquis, qui sit theologus; optandumque, ut esset etiam linguarum peritus, non solum graecae propter novum testamentum et versionem Septuaginta interpretum, sed etiam chaldaicae, syriacae, nec non arabicae, et indicarum, quatenus hae linguae utiles esse possunt ad sacras Scripturas interpretandas, aut earum auctoritatem vindicandam. »

Gregorius pontifex XIII: ineunte decimo sexto saeculo, constitutionibus variis harum linguarum studium commendavit, et ob hoc in orbe christiano viginti tria collegia, vel seminaria fundavit ad haec inter alia studia promovenda, e quibus hic satis erit commemorare illius bullam de nova fundatione collegii germanici

urbis, ubi sic ait : « Ac praeter alia, quae et litteris scribendis, et nunciis in quasdam Germaniae partes haec ipsa de causa mittendis agere aggressi sumus, considerantes fel. rec. Julium papam III. praedecessorem nostrum optimo quidem consilio collegium in urbe alendorum, et latinis, graecis, hebraicisque litteris, logica, physica, aliisque liberalibus disciplinis, et sacra demum theologia, ac piis et christiano homine dignis moribus instituendorum germanicae nationis puerorum causa erexisse, ut non per se solum docti, bonique evaderent, sed ad patriam remeantes habendis concionibus, ac disputationibus, refellendis haeresibus, fideique orthodoxae veritati dilucidandae et defendendae, ac praeterea exercendae animarum curae, aliisque piis et sanctis operibus apti et idonei essent. » Et ut dixit ob varias rerum vices hoc opere cessasse, addit : « Nos praeterea idem opus eidem nationi adeo utile et salutare totis viribus promovendum, animum et mentem nostram convertimus, etc. »

Initio saeculi decimi septimi, item Paulus pontifex V. omnibus in Regularium cujuscumque ordinis vel instituti scholis eadem mandavit : « In cujuslibet ordinis, vel instituti Regularium studiis sint linguarum hebraeae, graecae, et latinae ; in majoribus vero, et celebrioribus etiam arabicae doctores. » Constitutiones ordi-

nis fratrum minorum observantium s. Francisci in capitulo generali romano anno Christi 1612, toletano 1633, et 1682, praecipitur inter alia studium linguarum hebraicae, arabicae, et graecae. In constitutionibus ordinis fratrum servorum Beatae Mariae Virginis anno Domini 1680 a generali Soggia praecipiebatur, ut singuli studentes aliique ad hoc idonei in praecipuis conventibus linguas chaldaicam, hebraicam, et graecam addiscere curarent.

Clemens XI. altero saeculo, linguae graecae peritissimus fuit, juvenes quoque, praeter alia, eidem vacare statuit. Nihil est insuper, quod et alios recenseam, qui paulo ante hoc tempus linguarum hebrearum et graecarum, atque aliarum peritia in Ecclesia Christi praestitere, eamdemque promovere. Nostra tandem aetas viros quidem protulit doctrina excellentes, dignitate praestantes, linguis variis peritissimos; et dum illorum sollicitudinem in his linguis ediscendis miramur, et celebramus, nobis in imitationem cedant; et maxime, et jure inter hos laudibus est celebrandus Gregorius XVI. pontifex summus, qui ad Ecclesiae universalis gubernaculum divina providentia ductus, summis pontificibus, qui eum praecesserunt, minime inferior extat, tum in sacris his studiis suo exemplo promovendis, tum in iis, quae necessaria sunt ad haec excolenda, ceteras inter curas,

quibus in Catholicae Ecclesiae regimine urgetur, potissimam operam impendit.

Hucusque linguarum peritiam utilem, et necessariam ostendimus, prout Ecclesiae patres, pontifices, et concilia ab illius initio usque adhuc docuerunt, et perfecerunt. Hisce vero temporibus inquam, quis inficiari poterit in ecclesiasticis disciplinis necessariam esse praeter alia, linguarum hebraeae et graecae in divinis Scripturis explicandis, cognitionem? Ob oculos omnium ecclesiastica res est, pariterque nobis notum est, utrum inscii, ignari, vel debiles sint illi, qui haereses, et incredulitatem protendunt hac aetate; et quantis viribus, studiis, et conaminibus variis christianorum, et catholicorum coetum impellunt adversarii, et quas vias percurrunt, ut caelestes veritates obscurent. Terrestres abyssos permeant, ethereas regiones ascendunt, orbem terrarum invadunt, novas in terras aditus scrutantur, vita quoque periclitantur, ut sibi aliquod ex his inventum subeat, quo a levi Evangelii jugo, et a Christi Ecclesiae doctrina evadendi aliquis inveniatur praetextus, et nostrae veritates aeternae ex hominum corde facile exscindantur. Etiamque singulos non latet quibus armis isti sint expugnandi. Numquid sacerdotes, ecclesiasticis scientiis, vel studiis, quae eorum conditioni hoc saeculo addicuntur, parum instructi possent

cum his manus conserere, et pro veritate pugnare? Scandalum majus in caput eorum verteretur, et sacrosancto sacerdotis charactere despecto, et apostolicum ministerium minime venerati magis in propriam perditionem provocarentur. Ut ergo contra istos libere procedamus, exceptis aliis notionibus, quibus contra eos agimus, necessarium quoque est linguarum studium, quibus partim, et radicitus eorum falsae opiniones evellantur. Et quemadmodum superioribus aetatibus errores in orbem christianum irruerunt, et doctrinam Evangelii vexabant; et contra, hujus verae Ecclesiae doctores, qui hostes viriliter aggrediebantur, cetera inter arma, linguis hebraicis, et graecis in ipsos usi sunt, utpote in quibus Scripturae divinae, et apostolica traditio servabantur, et maxime de his versabantur hebraeorum, et haereticorum contentiones; eadem ratione, et profecto majori, nunc temporis illarum linguarum nobis erit comparanda cognitio, quae potissimum nos ad illas veritates propugnandas ducit, quibus adversarii mentiuntur. Praeterea satis est in aperto, quantum linguae istae modo in regionibus occidentalibus excoluntur, illis inquam, ubi error incepit, et adhuc invalescit, et quomodo contra nos illi, his studiis insolescunt, quasi a via errantes, quam calcarunt patres nostri. Ne ergo illorum studiis inferiores simus, neque il-

lorum elationem timeamus; majores nostros imitemur illuc advectos, ubi errores serpebant, ea exquirentes, quae ad verum pergerent, illas vias sectati, quibus de medio auferrentur errores, et oves, quae dispersae erant, in unum colligerent, et seductos ad veri cognitionem reversos confirmarent. Illi omnes Ecclesiae doctores, de quibus nuper verba feci, vobis exemplum perhibent; sane quidem ipsi majoribus difficultatibus pressi, quam nos nunc sumus, vigiliis triti, persecutiones passi, exilia tolerantes, de regione in regionem transgressi, loca deserta, cryptasque subeuntes, laboresque varios sustinentes; Scripturarum tamen meditationi, et priorum doctrinae, et omnibus, quae ad haec obtinenda necessaria forent, continuo instantes fuere; quorum omnium vos intuentes exitum conversationis imitamini fidem. Agite ergo, carissimi, et patrum exemplo, et hujus saeculi necessitate abducti ab incepto ne desistamus, studia nostra omnia adversus errores impendamus, ut quaecumque viae calcantur ab hostibus, easdem percurrentes vincamus errorem.

Superest modo, ut de ratione eisdem linguis utendi aliquid dicatur. Linguae, quaevis ipsae sint, suis in principiis, studium, ut ita dicam formale postulant, quod singuli impendant oportet ad viam faciliorem seligendam, qua earum no-

titiam consequantur. Grammaticae usu, ac lexicorum tyro assecutus ejusdem praecepta, et verborum significationem primariam, vel simplicem, minime peritus linguae aestimatur; nam materiali quadam vocabuli significatione, nihil aliud percipitur nisi sonus, quo aliquid exprimitur. Si quidam prae manibus elementa, vel quoddam lexicon habens, et alienae linguae voces aliquas interpretatus, lingua doctus vocaretur, puer quoque, praemissis linguae latinae erudimentis, hujus linguae peritus diceretur; ac italicus idiota, qui simplici, vel rudi educatione Italiae sermonem acquisivit, hujus linguae vocabula ediscendo, nulla praeeunte ratiocinatione, vel seclusa vocum meditatione, quas profert, vocaretur ne reapse thusco eloquio edoctus? Horum neuter jus sibi vindicat sese linguae latinae, vel italicae peritum nuncupandi. Aliud exquiritur, ut quis par cujusdam linguae judex habeatur. Linguae elementis acquisitis, ut supra censui, necesse est etiam, lectione pluries illius auctoris repetita, et cum ea lingua familiaritate inita, ait Augustinus, ut cura maxima, et sollicitudine ejusdem ponderentur origo, indoles, proprietates, atque loca, tempora, viri quoque conferantur, qui locuti sunt, animadvertendo quo viri illi intendebant in similibus vocabulis enunciandis; et quam rationem in propriis sententiis habebat

illorum dicendi modus, vel metaphora quae eo continebatur. Namque satis constat, singulis linguis inesse vocabula, quae significationes varias connectunt, quorum sensus realis indicatur a sermonis nexu, e subjecta materie, ab elocutoris, vel scriptoris mente, ac aliis ab adjunctis. Hoc in omnibus linguis excipitur, praesertim hebraico, et hellenico sermone, de quo hic agitur. Praeterea necessarium quoque est in re nostra, ea tempora adire, ut dicebam, quibus scripserunt illi auctores, quos interpretari aggredimur; et quamvis hodie habeantur scriptores, qui graeca lingua, vel hebraica scribant, vel loquantur, attamen ea grandi istorum distantia ponderata aetatis, quae intercedit cum illis, qui libros sacros hebraice, et graece exararunt, et cum multae, et variae vices fuerint, quae his insertae sunt, facillimae viae, quae ad linguarum illarum naturae, et proprietatum corruptionem perducunt, (eo magis cum de populorum emigratione agatur, de captivitate illorum, morum varietate, et religionis, quae maxime in sermone hebraico, et graecanico spectanda sunt) lex certa minime dici potest, alicujus vocabuli, vel phrasis illarum veterum Scripturarum decernere significationem, definitione sumpta ab illis scriptoribus, qui posteritate longissima vixerunt; dum fieri potest, illud vocabulum, vel sententiam potius linguae

indigenae conformari, quo gentes illuc emigrarunt, quam eloquio primigenio, cujus proprietates novis alteris institutionibus, vel legibus immutatae sunt, seu evanuerunt omnino. Hoc plane effertur ex hodierno hebraico rabbinorum sermone, cujus indoles toto coelo variat e Prophetarum, ac sacrorum aliorum scriptorum eloquio. De graecorum lingua sileo, quae easdem sustinuit vices, priorum auctorum sermone graeco collato cum postremis scriptoribus.

Praeter aetatis distantiam, locorum quoque est animadvertenda varietas de cujusquam linguae verborum usu. Hoc excipitur partim in divinis hebraeorum libris, ubi exurgit immutatio aliqua non verborum tantum, verum etiam significationis, sive ipsos in Aegypto, seu in Palaestina vel inter assyrios captivos conspicimus degentes, ubi regionis conditio, in qua morabantur judaei, objicitur, et lingua plus magisve diversa tum eisdem in vocabulis, cum eorum significatione. Idem dicatur de graecorum lingua, quae juxta urbes, vel provincias, ubi radices fixit, proprietates quoque amisit, seu permutavit, quas sua in origine sortita erat; ut exempli gratia, dialectus graeca alexandrina, quae plurimum aberravit a ceteris jonica, et attica. Alibi de hac re opportune agemus.

Investigatis interea aetate, et locis, ubi homines eloquebantur, vel scribebant, ut com-

modius rerum notitiam assequamur, quae scripto mandatae sunt, necesse quoque erit scriptoris dictionem expendere, an ut poeta, vel ut historicus sacra verba scripserit. Nam secundi simplicitas in rebus enarrandis exceptu facillimis, et omni verborum ornatu seposito, evanescit in poemate sacro; dum Prophetarum est sacris in canticis suas sententias illustrare, figuris, imaginibus animatas reddere, fere ab illo subjecto petitis, quod affini illorum imaginationi offerebatur; ut exempli causa, David, Salomon, Isaias, ceterique sacri poetae figuris abundant, rapido ab una ad aliam transeunt, flores ubique dispergentes, metaphoris divina poemata ornantes, quarum decor, et pulchritudo tantum illorum regionis, et consuetudinum ratione habita, et illorum linguae proprietatibus inspectis, erit aestimanda; cum haec omnia forsan alibi minoris momenti haberentur.

Praeterea cum vocabula sententias componant, et ab his vocabulis aequo captis, sensus cujusque auctoris sit colligendus, exquiramus opus est, et verborum significationem praecipuam accommodemus prius, quam sacri auctoris sensum perscrutatum adeamus. Hoc in opere observandum est, eamdem methodum, eadem principia (si mihi hoc dicere liceat) interpretationis sacris voluminibus communia esse, ac virorum scriptis, qui non sunt inspirati. Ideo-

que divinis in Scripturis verborum significatio exquirenda erit ferme iisdem viis, quibus cujusdam auctoris profani sensus generatim creditur exponendus. Ex hoc enascitur, in Bibliis verborum significatus investigandi methodum (praeter illum, qui ad nos usque per traditionem venit, sensum, quem semper venerari debemus, quoties hic in Bibliorum interpretationem conferre poterit) eodem modo nos consequi posse, quo aliis in libris communibus excipitur, quinimmo simili ratione, et illis certis legibus temperata, quae ex ejusdem natura linguae prodeunt. Dicit enim Augustinus lib. III. de Doctr. Christ. c. XL: « Sciant autem litterati modis omnibus locutionis, quos grammatici graeco nomine *tropos* vocant, auctores nostros usos fuisse, et multiplicius atque copiosius, quam possunt existimare, vel credere, qui nesciunt eos, et in aliis didicerunt, quos tamen tropos qui noverunt, agnoscunt in litteris sanctis, eorumque scientia ad eas intelligendas aliquantum adjuvantur. » Insuper notandum est, testibus divo Hieronymo epistola ad Galatas, divo Chrysostomo, et Gregorio, habere sacram Scripturam suas proprietates, et verborum formas simplices, quae etsi, ait Walton, criticis non arrideant, majestatem tamen divinam spirant; sicuti in secunda parte erit agendum. Quapropter, ut auctorum sacrorum linguae perfectam adipiscamur

cognitionem, pluries legantur, et ponderentur oportet, tum in verbis, phrasi, sermonis serie, ac praeter alias proprietates, in vocabulorum, ac sententiarum parallelismo, cum in evitando opportune illo, ut ita dicam, materiali sensu, qui primis in linguae elementis requiritur, ut interpres quodammodo scriptoris divini usu loquendi potiatur, quem ad enucleandum aggreditur, donec in ipsius scriptoris mentem, quoad fieri potest, permeet, et omnium oculis objiciat purum et integrum ejusdem sensum.

Ceterum, arduum est in scriptoribus usum loquendi excipere, quorum lingua fere mortua est, uti hoc judaeorum linguae addicitur, et partim graecorum sermoni, illi scilicet, quo hebraei alexandrini eloquebantur, et scripta nobis tradita est Septuaginta Bibliorum versio. Ideoque fideli interpreti, harum linguarum notitia comparata, necesse quoque erit, ut in sacrorum codicum hebraeorum, et graecorum verbis explanandis, et rebus, quae in ipsis exaratae sunt, alia sint praesto adjumenta, sermonis scilicet contextus, subjecta materia, scopus auctoris, linguarum affinium analogia, doctrinae unitas, patres maxime graeci, et latini, judaici scriptores, historicae circumstantiae, aliique commentatores ecclesiastici, qui pariter ad illarum linguarum, et scriptorum, qui in illis doctrinam divinam posteritati mandarunt, illustrationem

majorem conferunt. His omnibus subsidiis comparatis, et singulis servatis legibus, quae ad hoc faciunt, tunc quisquam nuncupari poterit vere linguae hebraicae, et graecae peritus, vel satius, inquam, auctorum, qui, divino Spiritu afflante, scripserunt in eisdem linguis; et si hoc perfecerimus, juxta leges, quas divus idem Augustinus docuit de linguarum studio ac illarum interpretatione, progrediemur. Scribit enim libro secundo de doctrina christiana cap. XXI. de signis incognitis, quomodo sint explicanda: « Namque aut ignotum verbum facit haerere lectorem, aut ignota locutio; quae si ex alienis linguis veniunt, aut quaerenda sunt ab earum linguarum hominibus, aut eaedem linguae, si otium est et ingenium, ediscendae, aut plurium interpretum consulenda collatio est. Si autem ipsius linguae nostrae, aliqua verba, locutionesque ignoramus, legendi consuetudine, audiendique innotescunt. Nulla sane sunt magis mandanda memoriae, quam illa verborum, locutionumque genera, quae ignoramus, ut cum vel peritior occurrerit, de quo quaeri possint, vel talis lectio, quae vel ex praecedentibus, vel consequentibus, vel utrisque ostendat, quam vim habeat, quidve significet, quod ignoramus, facile, adjuvante memoria, possimus advertere, et discere. »

Si vero contra, o juvenes, in linguae emor-

tuae studio, qualis praesertim dicitur hebraica, ac interpretatione vocum illius sermonis, solummodo lexicon complectamur, vel interpretem sequamur (eo magis si ille hebraeus fuerit, vel parum fidelis, et catholicae doctrinae oppositus) qui aliud, nisi simplicem, seu vocabuli significatum materialem explanet, omnibus aliis observationibus seclusis, quae de illius vocabuli origine, usu, varietate, ac cum sequentibus et praecedentibus syntaxi conveniant, quaeque singula explicatum aequo subeunt sacri scriptoris mentem, nil nostris curis, et laboribus boni consecuti erimus, evanuerint prorsus sudores nostri. Dictiones varie sumi possunt, et earum significatio vaga, sicuti mens vagatur humana; praeter verbi significatum, nisi linguae ejusdem penitus indolem pervadamus, et proprietates a scriptore sumptas, sanis collationibus, pari critice, et seria meditatione; si hujusmodi linguae studium haud fuerit discipulo christiano noxium, (uti revera hodie pervicacibus hebraeis est, qui tantum sterilibus insenescunt litteris, ait Origenes, semper discentes, numquam vero proficientes, solum una significatione, quae fortasse ibi nihil innuit, ubi addicta fuerit, oblectati, absque ulla ratione contextui, sacri auctoris subjecto, et sermonis unitati) profecto eidem indignum erit, qui se Ecclesiae doctores sequi gloriatur. Vos

animadvertistis, quali studio, et ratione linguis Bibliorum originalibus, in illis interpretandis, usi sunt patres, quomodo ex ipsis accurato illas significationes aptas eduxerunt, quae Spiritus Sancti in eis eloquentis menti conformabantur, quomodo contra haereses, horum librorum verba, et sententias enucleabant, et Christi vaticinia, fideique nostrae dogmata obscurantes propulsabant. Ecclesia Catholica patrum doctrinam secuta, et variis aetatum necessitatibus sese accommodans omnia semper effecit, ac providit, ut depositum fidei sibi a Redemptore traditum servaret illibatum; et ob hoc praecipuis in universitatibus alibique linguarum orientalium et graecae cathedras instituit, quibus tum mala removeret, quae ex eisdem, idest earum abusu, doctrinae suae evenire possent, tum quidem per illas majori lumine, et claritate splenderent evangelicae veritates. His providis Ecclesiae curis minime quidam abusus vel timor adversari potest, inquam, dum cibi abusio non ab eo arcendi necessitatem constituit; simili modo abusus, qui oriri potest, et facile oritur, ut fatendum est, in harum linguarum applicatione ad divinas Scripturas expendendas, non impedit quominus juvenes praecipuo ecclesiastici in eas incumbant; aliter Ecclesia hac ratione haud aequo providisset in his cathedris stabiliendis, si lin-

guarum hebraicae, et graecae, et aliarum peritia fidei obessent. Absit; christiano dogmati nihil officit studium.

Priori Ecclesiae aevo, ut mox dicebam, viros Divina Providentia vocatos legimus eorum studiis vario intuitu sumptis, et linguarum peritia summa alacritate haereticum persecutos. Sine armis pugnari non potest; ac simul ignorantia militaris, ut ita dicam, et timor nullum unquam e castris hostilibus evellerunt trophaeum. Veritati innitimur, nihil timendum est; offertur nobis saeculorum series, nostrae doctrinae vadimonium; orbis totus nobis objicitur, qui nostrae fidei veritatem extollit; inest nobis tandem Spiritus, qui sua gratia nos agit, vivificat, et confortat.

Alacri animo, igitur, et firmo studia sacra ineamus, vias deligentes, quibus difficultates facilius resolvantur. Scripturarum liber negotium exstat, quod prae aliis inter pugnantes saepe apparet, eo magis quod hodie liber iste prae manibus omnium habeatur, et a doctis et indoctis legatur, unus errorem, iste veritatem in eodem quaerat, quidam credat, alter dubitet, alius neget quidquid in eo narratur, et omnes pariter quasi super cathedram moderatores de hoc sententiam pronuncient. Necesse est ergo ut in his Scripturis studium sit a nobis prae ceteris assidue peragendum; ac si-

cuti hi libri quoque plurimas continent difficultates, omnia tentanda sunt, ut singulae de medio auferantur. Linguarum peritia, inquam, quibus antea, et scripta, et translata fuere divina Biblia, utilis, et aequa istorum interpretatio obtineri potest, cum tamen in interpretis mente semper firmo habeatur, et credatur sacris his libris contineri veritatem, et non errorem, eosdem esse Spiritus Sancti opus, qui haud decipi, aut decipere poterat in illorum inspiratione; et hac cordis firmitate, praeter humana conamina, divinarum Scripturarum facilius notitiam consequemur: « Accedentem ad Deum credere oportet quia est, et requirentibus se remuneratur. »

In his omnibus utique incedere debemus juxta patrum instituta, qui in Ecclesia Dei hoc opus perfecerunt, illius utilitate praesumpta. Neque sub vanitatis specie has linguas didicerunt, sed inspecta hujus studii necessitate illud susceperunt. Ita nobis agendum est: « Sciendum est, inquit Walton suis in Prolegomenis, linguarum peritiam januam quidem esse ad rerum doctrinam adipiscendam; at rerum ipsarum cognitionem illud esse, quod viros vere doctos reddit. Linguae enim putamina sunt, nucleus vero est ipsa rerum cognitio, nec linguas propter se, sed propter aliud ediscimus. Qui vero in linguis haerent, similes sunt iis, qui in

porticu subsistunt, in domum vero non intrant, nec ejus penetralia vident. » In usu vero harum linguarum, ac speciatim in divinis libris explanandis, neque nimis faciles, neque vagi, nec audaces simus, nequid speciosum, ac praeter veritatem in Dei Ecclesiam inferamus; et e contra, aliorum desidiam, et timorem haud imitari debemus, qui veriti ne in errorem incidant, nihil boni Ecclesiae conferunt. His vere congruit illud Evangelii dictum: « Tota nocte laborantes nihil cepimus. »

Post hoc, ut nonnihil appareat utilitatis, quae ex his studiis exsurgit, vos, juvenes praeclari, ad hoc meum parvum opus accedetis, et praesertim ad secundam, et tertiam ejusdem partem, ex quo excipietis quantum linguae graecae et hebraicae peritia, praeter alia, juvet ad veritates sacris in libris occultatas consequendas; indeque haec studia excolere incipietis, et in societate christiana ea promovere veluti vias, quibus nostrae fidei dogmata magis explanentur. Gaudet animus meus, dum vos ante me compositos inspicio, et sollicitos ad illas regulas comparandas, quae vos ad harum linguarum acquisitionem conducunt; compertum habeo vos ipsos pluris facturos esse hoc studium, illos imitati, qui hac aetate praestant muneribus, curis, sollicitudine, tum in sacra studia incumbendo, tum iis erigendis, et a

Catholica Ecclesia illam maculam probrosam ignorantiae abstergentes, quam bene noverint divinum ministerium deturpare, et ecclesiasticas evertere leges. « Considĕrate ergo, inquit Cassiodorus ad divinorum librorum studium hortatus, considerate ergo, qualis vobis causa commissa sit, utilitas christianorum, thesaurus Ecclesiae, lumen animarum.

Interea, carissimi, dum huic sermoni finem facio vos oro, et obtestor, ut de bono Ecclesiae nostrae, et ipsius gloria solliciti sitis absque ulla ad invicem invidia, charismata tantum meliora aemulantes. Sine mutua offensione percurramus campum divinarum Scripturarum; aliis observationes nostras blande participemus, quod sine fictione didicimus, sine invidia communicantes, neque e nostrum amore abducti, sed in Christi Ecclesiae exaltationem solummodo studia nostra impendentes. Et dum vobis harum linguarum notionem commendo ad sacros libros exponendos, simul vos ad Scripturarum studium hortor, Scripturas illas inquam, quas divus Petrus divino Magistro obsecutus fidelibus commendavit: (1) « Quibus benefacitis, ait, attendendo, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco. » Et viri apostolici deinde nobis tradiderunt, quos (2) in exemplum

(1) Epist. II. s. Petri c. I. 19. — (2) Hieronymi Epist. ad Paulinum.

habentes, et illorum honorem possidentes, juxta Hieronymum, habere nitamur et meritum.

Denique, lector quicumque tu sis, dum ante Ecclesiae Catholicae tribunal adsto, illius filius, ac discipulus, et Christifidelium doctorum sectator, nihil novi, scias, contra eosdem me hisce disquisitionibus conferre, nihil imminuere, nihil addere voluisse; nullam ergo gloriam, si veritatem sim consecutus, mihi comparavi. Sin vero minus contuli, ipse memento me hominem esse, nihilque humanum a me alienum putare; et idcirco quoties hoc doctrinae specimen tibi non satisfecerit, aut si quid invitus contra veritatem sim locutus, tu benevole corrigas, et corrigendo condones.

INCIPIT PARS PRIMA.

PRÆFATUM

Quid sibi velint in Scripturis vocabula Proto-Canonicum, *et* Deutero-Canonicum.

I. Vocabulum *Canon*, juxta graecam originem κάνων, definitur *regula*, *norma*, *lex*; et haec est significatio primaria. Haec vox praeterea suum protendit quoque sensum, ut legum catalogus significetur, aut potius consignatio, ordo librorum sacrorum, qui in Ecclesia Christi servantur; ex quo generatim Canon divinarum Scripturarum dicitur, a christifidelibus ineunte saeculo quarto ad hoc consecratus; ac isto nomine libri divinitus inspirati intelliguntur, et prout tales ab ipsa Ecclesia firmati. Ideo quivis liber sacer, vel doctrina sancta donatus, nunquam Canonicus vocabitur, eo quod istius auctor modo suprannaturali divina sapientia nequaquam fuerit imbutus. Scripturae autem, de quibus sermo est, merito Canonicae appellantur, dum doctrina sancta, lex certa actuum humanorum, divinitus insuper omnino inspirata, nobis explicatur.

Libris tum veteris tum novi testamenti nomen Scripturae Proto-Canonicae vel Deutero-Canonicae inditum fuit (1). Differentia autem istarum ex hoc orta est. Proto-Canonici libri ita appellati fuere, siquidem Ecclesia ipsos doctrina coelesti praeditos divinos semper cognovit, neque super his dubium aliquod vel ex hebraeorum, seu christianorum parte exortum est. Alteri vero Deutero-Canonici nuncupati fuere in simplicem priorem distinctionem tantum, quatenus a judaeis rejecti, et christiani nonnulli de iis siluerunt, vel de eorum divina auctoritate primis Ecclesiae temporibus (si ita dicere fas est) dubitarunt; et, ut ait Bellarminus, « Quorum non semper aeque certa atque explorata auctoritas fuit, » usque dum Patres Concilii Tridentini legitime congregati, sessione quarta istos libros divinos habendos decreverunt, eademque ac primos aucto-

(1) Scripturae primae, priores, secundae, posteriores, deuterae, pro Scripturis Proto-Canonicis seu Deutero-Canonicis, brevitatis causa, in hoc Opere habebuntur.

ritate praeditos esse, adeo ut numeratis singillatim omnibus libris, quos nunc editio Vulgata exhibet, sic concludit: « Si quis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit.... anathema sit. »

II. Quamvis aliquando de horum Bibliorum divinitate dubitatum fuit, vel potius, si qui numero paucissimi, praeter alios plurimos, qui contra hos stetere, Scripturas Deutero-Canonicas in dubium vocarunt; et si Ecclesia Christi de hac re siluit, nihil officit. Ecclesia enim primis temporibus hujus negotii solutionem transegit, et opportunam non existimavit; nisi dicere velimus, tunc temporis neque haereticorum partes, nec singulare studium ad istarum Scripturarum auctoritatem labefactandam inter christianos extitisse; ex quibus neque Ecclesiae judicium de hac re exspectandum erat, etiamsi de hoc eidem persuasum esset, et firmam Deutero-Canonicarum veritatem teneret, ac divinitatem. Potissimum autem hoc summae ejusdem Ecclesiae prudentiae est concedendum, cui contra hebraeos hasce Scripturas reprobantes agendum erat; ut hoc infra maxime patebit. Quando autem opportunitatem animadvertit de istarum divina inspiratione firmanda, et contra Lutherum et Calvinum eorumque commilitones, qui aperte divinum in ipsis afflatum negabant, et his diebus omni conatu adversantur, eadem Ecclesia contra eosdem judicium tulit, ac publico et generali decreto, perpetuae constantique traditioni innixa, Deuterarum Scripturarum auctoritatem, earumque auctores, Spiritu Sancto afflante, scripsisse declaravit. Eorum, qui nobis adversantur, disquisitiones, utrum divina nec ne essent Biblia Deutero-Canonica Ecclesiam movere, ut suo infallibili decreto haec dubia de medio auferrentur, atque haec eadem semper divina, sicuti Priora, agnovit. Ideoque vocabulum Deutero-Canonicum non stricto sensu est accipiendum, quasi isti libri antea divini, Canonici non fuissent, sicuti Primi, et eadem auctoritate donati; ast hoc hominibus tribuendum est, ac tempori, quo Ecclesia, ut supra dixi, in hostes incidit, qui sermone, scriptis, divinam inspirationem ab his Scripturis eripere conabantur; istius autem doctores, dum contra ipsos, et verbo, ac scripto clamabant earum divinitati suffragati, brevitatis, et claritatis causa haec duo vocabula *Proto-Canonica* et *Deutero-Canonica* inter Romanae ejusdem Ecclesiae fideles, ac hebraeos et acatholicos in quaestionibus usu vulgata sunt; quod etiam mihi necessario peragendum hic erit.

III. Praeterea animadvertamus oportet, Ecclesiam nullum fidei articulum hoc suo decreto innovasse, sicut quidam innuere videntur ; ex quo, eis praeire volo quibusdam rationibus, quas ob oculos eorum posuero. Ecclesia Catholica a sua origine semper aequalis firmaque fuit, credendo, confitendo illa fidei dogmata a Salvatore nostro sancita, et ab apostolicis viris ubique praedicata, quam constantissima uniformitate verbo, ac scriptis, Episcopis eorum successoribus mandata, et usque huc inter fideles servata fuerunt adeo, ut nos simplici confessione, quae quotidie Symboli Apostolici recitatione fit, plane debito satisfaciamus, quod Christus Jesus, ac Ecclesia ejus sponsa ex nobis postulat. In hoc Symbolo integra fidei dogmata simul collecta rataque habemus. Eadem autem Ecclesia harum veritatum custos fidelis, neque earumdem auctrix, opportuno tempore, et quando opus erat, contra illos, qui eisdem obsistebant, quaedam ipsius Symboli dogmata explicavit, ut sacrum depositum, quod ei commissum fuerat, absque ulla innovatione illibatum servaret. Sic, quando Arius impius contra Augustam Trinitatem, et in Filii divinitatem errores suos effundebat, atque in plerasque Orientis regiones serpebat haec haeresis; tunc evenit ut Ecclesia judicium suum de trium Personarum divinitate, et Filii consubstantialitate pronunciaret, et postea contra alios naturam humanam Christi probaret ac divinam, et sic fidei symbolum, ut ita dicam, evolvens, quod sibi creditum fuerat; talique modo fidelibus ea proponens, quae revera semper crediderat, sed quodammodo dicendi formulis in illa fidei professione occultata. Haec res pariter in casu nostro accidit. Synodus Tridentina nullum novum fidei articulum statuit in Scripturis Deuteris, ut divinis, proponendis, et quando suis constitutionibus sibi necesse visum fuit, veritatem ac divinitatem ipsorum librorum contra Reformationem probare et decernere ; tantum hoc decreto explanationem quamdam addidit dogmatis, quod Scripturarum divinitatem respiciebat una cum illis, quarum supernae inspirationi obsistebant haeretici; eo facto indicare volens, semper ut Canonicas ab Ecclesia Dei acceptas fuisse, et hac ratione de coelesti istarum revelatione nullo modo dubitandum esse. Praeterea quisquis sibi facile suadet, Synodum hoc in negotio omnino fidei systema non immutasse, sed solum claves adhibuisse, ad luci fores reserandas, ut oculos illorum, qui in errorum tenebras ambulabant, illuminaret. Optime de hac re theologus praestans loquitur. Si veritates Apostolis revelatae, et ab ipsis Ecclesiae tradi-

tae, majori claritate postero tempore exponi, seu majori verborum diffusione explicari, vel non minori cura, et studio probari potuerint, tum cum maxime opus erat; inde nobis non est colligendum Ecclesiam nova fidei dogmata statuere posse praeter ea quae posita sunt; sed potius ab ea lumen, quo magis magisque veritas effulgeat, exspectare licet.

IV. Clarius autem res exemplis patet. Fides assimilari potest semini, quod integrum quoad substantiam est, deindeque extricatur; vel puerulo, cujus corpus extenditur, roboratur, et forma induitur, quum e principio, licet parvus, omni eo constet, quod requiritur ut homo fiat, cui nihil, praeter extricationem et adolescentiam, desit. Ab his comparationibus exsurgit, veritates omnes, quarum per articulos delectus est catalogus, nonnisi unius veritatis revelatae esse emanationem a suo principio, quaeque ut necessariae consequentiae diffluunt. De quadam veritate revelata dici potest, sicuti de primariis geometriae veritatibus, e quibus quasi e fonte originali plurimae aliae veritates emanant, quae reapse primas adaugent, et earum dilatant dominium. Nonnisi ingenio inventori has veritates geometricas nos debemus, eodem *modo*, si mihi dicere fas est, quo Ecclesiae Catholicae non nisi Apostolis omnes suae veritates revelatae sunt referendae.

Ex rebus hucusque dictis nobis clare patebit Biblia Deutero-Canonica eamdem auctoritatem, sanctitatem, divinitatem in Ecclesia Christiana praeseferre, supernamque revelationem his inesse; ipsa enim traditionis apostolicae semper est secuta vestigia; et nunc merito judicium suum de his pronunciavit, cui omnes christifideles pareant. Hac autem in re Ecclesia Catholica non ex hominibus privatis, neque ex variis et mutabilibus eorum sententiis de hisce libris judicium tulit, sed ex omnibus ejusdem doctoribus in diversas regiones dispersis, ac simul collectis ob hoc negotium, in nomine Christi decrevit. Quisquis autem vocem illius praestantem non audit, Christi Domini sententiam audiat: « Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, et Publicanus. » Quibus dictis divus Augustinus respondens ait: « Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae Catholicae commoveret auctoritas. » Ex hisce rationibus Tridentina Synodus errores multos, qui in divini Pastoris gregem irrepsere, damnavit, maxime autem eos omnes, qui Scripturas Deutero-Canonicas e sacro Canone rescindebant.

V. Isti tamen nullo modo hoc decretum venerati, quasi erroneum facientes, verba spernunt Ecclesiae, quae nomine illius, qui ei claves

regni coelorum tradidit, est locuta; ideoque pro viribus Synodum non errasse demonstrare conabor, neque frustra pro Bibliorum Deuterorum divinitate sententiam edixisse. Atque Patrum auctoritatibus, ac ceterorum doctorum scriptis, et intrinsecis argumentis, quae ipsis Scripturis Secundis exsurgent, et historicis sacris et prophanis, atque aliis monumentis, quae pro earum veritate, ac divinitate pugnant, hoc demonstrationis genus exornabo; ex quibus omnibus tandem non coram adversariis nostris tantum, verum etiam catholicis, qui hoc negotium assecuti sunt, quique (1), (eos veneratus inquam) rem acu non attigerunt, prout meis disquisitionibus constabit, in libris Deutero-Canonicis veteris foederis divina inspiratio, ac inde Concilii Tridentini testimonium luculentius patebit.

Epitome quoddam doctrinae hic mihi adponère visum est adversariorum, qui Scripturas Deutero-Canonicas labefactare conantur, ut lector, quicunque ille fuerit, studii nostri videat rationem.

(1) Clarissimus Pater Tournemine Soc. Jesu, et Canonicus regularis congregationis gallicanae, quamvis brevi sermone, recta tamen pro horum librorum auctoritate scripserunt.

SYNOPSIS

SENTENTIARUM, QUÆ CONTRA SCRIPTURAS DEUTERO-CANONICAS VETERIS FŒDERIS EX HORNÆO IN SUO LIBRO, QUI « INTRODUCTION TO THE CRITICAL STUDY AND KNOWLEDGE OF THE HOLY SCRIPTURES » NUNCUPATUR, TOMO PRIMO PAG. 495, EXCERPTÆ SUNT.

SECTIO I.

De libris apocryphis, qui veteri testamento insunt.

Derivatio vocabuli apocrypha. — *Rationes, quibus libri apocryphi e Canone Scripturae abjiciuntur.* — *I. Isti nullam habent auctoritatem, qua in sacro Canone admittantur.* — *II. Isti in Canone Scripturae quatuor primis Ecclesiae Christi saeculis non accepti fuere.* — *III. Nonnullas res continent, quae commentitiae sunt, et Canonicis Scripturis, factis, doctrinis, et moribus adversantur.* — *IV. Tandem omnibus profanis historicis refragantur.*

Praeter veteris testamenti Scripturas, quae universim genuinae et inspiratae creduntur, et a judaeis et ab Ecclesiis Christianis, existunt etiam scripta alia partim historica, partim ethica et poëtica, quae usu in fine Bibliorum Anglorum veteris foederis inspiciuntur, sub hoc nomine *apocrypha*, idest libri in sacro Canone haud recepti, cum sint spurii aut saltem non existimentur divini. Vox *apocrypha* ex graeca origine, atque vel ex verbis ἀπὸ τῆς κρυπτῆς derivat, eo quod libri in quaestione remoti fuerint a chrypta, vel arca seu alio receptaculo, quo sacri libri servabantur, et de quorum auctoritate nullum erat dubium; aut probabilius nomen hoc a verbo ἀποκρύπτω *abscondo*, *celo* exit; ipsi enim lectoribus celabantur, eorumque auctoritas non cognita ab Ecclesia fuit; atque sunt libri, qui aptis testimoniis carent, eorum origo obscura, auctores occulti, character eorum haereticus, vel suspectus.

Ecclesiae Romanae patroni reapse divinitus inspiratos hos libros affirmant, id vero quanam de causa facile intelligitur; quia scri-

pta apocrypha corruptas nonnullas illius Ecclesiae consuetudines juvant.

Ecclesiae protestantes non solum illos libros apocryphos habent, et meros humani ingenii foetus, (cujus generis esse creduntur ab Ecclesia Romana,et sunt revera, Manassis preces, Esdrae liber tertius et quartus, Jobi in fine additio, Psalmus centesimus quinquagesimus primus); verum etiam Judith ac Tobit libros, libri Esther additionem, Sapientiae, Ecclesiastici, Baruch prophetae una cum Hieremiae epistola, trium puerorum hymnum, Susannae historiam, Beli, draconisque narrationem, ac Machabaeorum libros primum et secundum. Libri isti communi consensu a protestantibus respuuntur; idque ob eas, quae sequuntur, rationes.

I. Nulla auctoritate sive externa sive interna potiuntur, ut in sacro Canone censeantur.

1. Ex his nullus in hebraeo extat. Praeter quartum Esdrae librum, qui tantum latine legitur, omnes ellenica lingua scripti sunt, et plerique ab judaeis alexandrinis.

2. Ipsi scripti fuere postquam spiritus propheticus desiit, licet ante Evangelii praedicationem. In Malachiae prophetia c. IV. 4 - 6 legitur nullum prophetam post eum futurum esse usque ad Joannem Baptistam, qui in spiritu et potestate Eliae veniret; Judaeique unanimes spiritum propheticum cum Malachia cessasse testantur. Libri Sapientiae auctor, librum hunc a Salomone fuisse conscriptum asserit, quod non solum manifesto falsum, sed praeterea librum non esse inspiratum probat. In primis auctor, quisquis ille fuerit, Isaiae ac Hieremiae sententias quasdam assumit, qui nisi post Salomonis aetatem vaticinati non sunt, ideoque liber ab eo non fuit exaratus; secundo Israelitas inimicis suis quasi subditos ostendit, dum contra, nobis ex sacris Scripturis magna pace ac prosperitate eos sub ejusdem Salomonis imperio floruisse non latet.

3. Scriptores isti nullum inspirationis jus sibi vindicant, sese non divinitus impulsos, sed proprio consilio animum ad scribendum adjunxisse disertis verbis fatentur. Sic in prologo libri Ecclesiastici filius Sirach lectorem precatur, ut errores in quos incideret, in verbis hebraeis avi sui Jesu in graecam linguam transferendis, sibi condonet. In Machabaeorum primo c. IV. 46. ac IX. 27. nullum esse asseritur tunc temporis in Israel Prophetam. Ex secundo Machabaeorum libro pariter infertur compendium e quinque libris Jasonis Cyrenaei descriptum, ac verbis expressum, quae idem

auctor omnino a divina inspiratione distare concludit: « Et si quidem bene, et ut historiae competit, hoc et ipse velim : sin autem minus digne concedendum est mihi » 2. Machab. c. xv. 39.

4. Scripturae apocryphae in Canone sacro Synagogae judaicae non receptae fuere, ideoque nec a Salvatore nostro sancitae.

Apocryphorum pars ulla neque a Christo Jesu, neque ab Apostolis appellatur vel spectatur, Philo autem et Josephus, qui saeculo primo Christi scribebant, prorsus de istis silent.

II. Libri apocryphi in Canone Scripturae quatuor Ecclesiae primis saeculis non censebantur.

Isti non legebantur in catalogo librorum divinorum a Melitone collato, qui secundo Christi saeculo vixit, neque in Origenis canone, neque Athanasii, Hilarii, Cyrilli Hierosolymitani, Epiphanii, Gregorii Nazianzeni, Amphilochii, Hieronymi, Ruffini, aliorumque saeculi quarti doctorum; nec in librorum Canonicorum serie a Concilio Laodiceno firmata, quod in eadem aetate habitum fuit, cujus canones ab Ecclesia Catholica accepti fuere, adeo ut, juxta Burnet Episcopum, totius Ecclesiae Dei in hac re consensum inspiciamus. Huic evidentiae contra Canonicam auctoritatem Bibliorum apocryphorum nos addere possumus eosdem in Ecclesia Christi usque ad quartum saeculum nequaquam lectos fuisse, dum, ut testatur Hieronymus (1), isti legebantur, in vitae exemplum, et morum informationem, nullo modo autem ad aliquam doctrinam firmandam; ejusdemque aetatis scriptores, quamvis Scripturae istae ut inspiratae non adprobarentur, ex eis quasdam praesertim Judith, Sapientiam, et Ecclesiasticum a Cathecumenis lectas fuisse statuunt. Ut probetur etiam hasce Scripturas neque saeculo quinto ut Canonicas habitas esse, Augustinus ait, Sapientiae et ejusdem classis libros, quando in Ecclesia legebantur, lectoribus vel inferioris muneris ecclesiasticis traditos, atque istos humiliori loco lectos, quam illos qui universim Canonici agnoscebantur, quique ab Episcopis et Presbyteris eminentiori loco enunciabantur. Tandem etiamsi summa veneratione libros istos Ecclesia occidentalis habuerit, constat tamen istis eamdem auctoritatem ac illis veteris ac novi testamenti non fuisse adscriptam; donec Concilium Tridentinum sessione quarta eos omnes (praeter Manassis preces, ac tertium, quartum Esdrae libros) in eodem Canone,

(1) Varias Patrum et aliorum sententias contra Scripturas Deutero-Canonicas ab auctore censitas, nos opportune notatas explicabimus.

ac Moysis et Prophetarum Scripturas inspiratas colligere praesumpsit.

III. Libri apocryphi res quasdam continent, quae fictitiae sunt, et scriptis Canonicis adversantur, sive mores, sive doctrinam inspicias.

Exempla nonnulla, praeter ea quae adduci possent satis hoc probabunt.

I. *Narrationes fictae sunt*

1. Esther capitis x. 6. « Parvus fons, qui crevit in fluvium et in lucem solemque conversus est, et in aquas plurimas redundavit, Esther est, quam rex accepit uxorem, et voluit esse reginam. »

2. Historia Beli et Draconis est merum commentum, quod Danielis in lacum leonum demissi narrationi obsistit.

3. Historia aquae in ignem conversae et contra (2. Machab. c. I. 19) ac tabernaculi et arcae Hieremiae jussu secum comitantibus delatio. Ibidem c. II. 4.

II. *Oppositae Enarrationes*

1. Auctor libri Sapientiae Salomonis populum Israel quasi hostibus suis subditum respicit, quod aliter se habebat, imperante Salomone. Revera nos sibi inimicos Hadad, Rezon et Jeroboam (1. Regum c.XI.) fuisse legimus; ast israelitas sibimetipsis hosce subjecisse nescimus; decem tribuum autem schisma, nisi post Salomonis ejusdem obitum, evenit.

2. Baruch (c. I. 2.) translatus Babilonem dicitur, dum eodem tempore in Ægyptum Hieremias (XLIII. 6.) venisse testatur.

3. Historia (1. Esdrae III. IV.) sacrorum Bibliorum sanctitate caret, ac insuper de reditu judaeorum sub Cyro, Esdrae verbis opponitur.

4. Primus et secundus Machabaeorum libri sibi invicem adversantur, dum (1. Machab. VI. 4-16) Antiochus Epiphanes Babylone obiisse dicitur; et in secundo libro quasi Nanaeae in Perside a sacerdotibus percussus primum nobis obiicitur (2. Mach. I. 13-16), ac postea (IX. 28) quasi ultimum fatum subiisse inter alienae regionis montes constat.

5. In Tobit libro Angelus nobis occurrit (v. 12) quasi Tobiae affinis; capite XII. e contra, Angelus Raphael e sanctis Angelis unus

nobis perhibetur. Hujus libri auctor addit quoque de Deo, deque providentia sententias ex Assyriorum doctrina delectas.

III. *Repugnantes Doctrinae*

1. Pro mortuis preces (2 Mach. XII. 43-44) et facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans. (Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis). Haec doctrina sacris repugnat Scripturis, quae nullibi pro mortuis precari sinunt.

2. Gentilium sententiae de animarum transmigratione, quae pariter Scripturis contradicunt, leguntur Sapientiae capite VIII. 19. 20: « Puer autem eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam, et cum essem magis bonus veni ad corpus incoinquinatum. »

3. Justificatio ex operibus legis (contra Scripturas, quae nos tantum ex fide justificari docet) de libris apocryphis excipitur. Tobit c. XII. 8-9: « Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna.... quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quae purgat peccata et facit invenire misericordiam et vitam aeternam. » Eccles. III. 3: « Qui honorat patrem suum expiationem facit pro peccatis. » Ib. 30: « Eleemosyna expiat peccata. » XXXV. 3. « Deprecatio pro peccatis recedere ab injustitia. »

4. Sine peccato perfectio. Ecclis. XIII. 24: « Bonae divitiae cui non est peccatum. » Sed quid dicit Scriptura? Eccles. VII. 21: « Non est homo justus in terra, qui facit bonum, et non peccet. » Rom. III. 23: « Omnes enim peccavere et egent gloria Dei. » 1. Joan. I. 8: « Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est. »

IV. *Immorales actus in libris apocryphis commendati, in Scripturis divinis prohibentur.*

1. Mendacium in Tobia.

2. Suicidium, quod in Exodo c. XX. 13. vetitum: « Non occides. » habetur 2. Mach. XIV. 41-46 ut actus virilis, et magni faciendus.

3. Caedes meditata, quam Scripturae abhorrent, in libro Judith laudatur. IX. 2-9.

4. Incantationes, quae in Lev. XIX. 26. ac Deuter. XVIII. 10, 11, 14

interdicuntur, quasi Dei Angeli monitu in Tobit VI. 16-17 adprobantur.

Tandem rebus libri apocryphi constant, quae aliis historicis ethnicis haud cohaerent.

Sic 1. Mach. VIII. 16. Romanos narratur eorum imperium singulis annis uni commisisse, qui omnem illam regionem regebat, et omnes pariter uni obedire, et nihil aemulationis inter eos exstare. Nunc haec verba ab omnibus, nullis exceptis, romanis historicis abjiciuntur. Unius imperium non tunc sanctum fuit, nisi saeculo postquam hic liber descriptus fuit.

Pariter Alexandri mortis (1. Mach. I. 6-7) historia, qui absque jure graecus vocatur, historicis aliis, qui de eo scripsere, non respondet.

Quamvis libri apocryphi non sint pares alicui doctrinae firmandae, tamen ut antiqua scripta valde aestimantur, quae Scripturae phrasi, historiae et moribus orientalibus lumen conferunt. Sicuti autem praeclaros sensus ac praecepta utilia ostendunt, primae aetatis christianae imitatione, anglicana Ecclesia in vitae exemplum et morum informationem ex iis quosdam legit (1).

Contra haec sit.

(1) Quae omnia auctor a variis Ecclesiae protestantis patronis, nempe Burnet, Gorham, Dick, Moldenhaver, Cosin, Lardner et aliis collegit.

PROPOSITIO I.

De Canone Apostolorum ; seu in novi foederis Scripturis disquisitiones, quae ad libros veteris testamenti Deutero-Canonicos spectant.

§. I. Historiam evangelicam legentibus nobis, Apostolorum Actus, et Epistolas, primo intuitu nulla occurrit sententia de iis, quae suum auctorem quemdam ex illis, qui Biblia Secunda scripsere, postulant; quod siquis contra hoc stare vellet, profecto alicujus commentitii inventi auctor haberetur, quod e tanti momenti quaestionibus longe distare debet.

Attamen abs re non erit hoc in negotio, quasdam observationes facere, quae hoc ad argumentum apte quadrare possunt. Primum, animadvertendum est quotiescumque in Evangelio invenimus *Prophetae* dictionem, significatum latius habere hoc vocabulum, quam aliqui existimare possunt. Ideo dum ait Christus Jesus per Lucam cap. XXIV. « Quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysis, et Prophetis, et Psalmis de me, » non tantum ad viros illos, qui futura praedixerunt hoc nomen *Prophetis* est referendum, sed etiam ad illos, qui hebraeorum gesta narrabant, ac mores emendabant. Significationem autem latiorem voci *Prophetae* traditam testantur, primum, nonnulla Scripturae loca, in quibus nomine prophetae donatur tum futura videns, tum cantor, orator, panegyrista. Insuper Flavius contra Apionem, postquam in suo Canone Bibliorum libros Moysis censet, addit: « Prophetae qui Moysi successere, res sua aetate gestas tresdecim libros complexi sunt, in quibus Prophetae veri et historici enumerantur. » Prout in secunda parte videndum erit. Pariter nunc temporis hebraei libros Josuae, Judicum, Samuel, Regum cum eorum auctoribus נביאים ראשונים Prophetas priores vocant, alios autem אחרונים posteriores. Tandem Ecclesiae patres Moysen, Sapientiae libri ac Ecclesiastici auctorem, Tobiam, aliosque, prophetas nuncupant, sicuti passim in eorum scriptis facile est inveniri; ex quibus a Salvatore et ab Apostolis, formulis scilicet Scripturae, Prophetarum, vel Prophetiae, quodcumque Scripturae divinae genus colligere licet.

§. II. Secundo, quantumvis Christi Apostoli nullum testimonium earum Scripturarum, quae Deutero-Canonicae appellantur, suis

scriptis inseruere, nihilominus ab ipsis Canonem, seu Numerum veteris foederis librorum divinum non colligimus. Ex ore ipsorum, nisi Scripturarum illarum, quae ante eos extabant, divinitatem non audivimus: « Omnis Scriptura, ait Petrus secunda Epistola, divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum in fide.» « Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. » Ac discipulis suis has commendando: « Quibus benefacite attendentes. » Idem divinus Paulus suis Epistolis. Praeter hoc nihil aliud legimus. Si isti librorum Divinorum numerum non statuerunt, qui a judaeis et a Salvatore nostro tales habebantur, fortasse aliis hoc erit agendum? absit. Ast hoc posito etiam, uno temporis puncto, nos nempe sanctorum Bibliorum ex Apostolis constituere debere Canonem, illasque Scripturas complecti tantum, quas ipsi scripto verbum Dei evangelizantes in medium protulere; sequeretur ne libros quidem omnes Proto-Canonicos divinos esse, et pari suprema auctoritate frui, cum inter eosdem quibusdam nunquam usus fuerit Salvator noster, neque Apostoli in suis scriptis usque huc servatis; quod etiam adversarii fatentur? Revera in novi foederis Scripturis, quidam libri historici, vel alterius generis, qui ad Priorem Canonem spectant, nullibi in testimonium advocati fuere, neque auctor, neque illius divina auctoritas unquam occurrit, Canticum Canticorum scilicet, Ecclesiaste liber, historia Esther, Esdra, Nehemia, Propheta Nahum, Sophonia, quidamque historiarum libri, de quibus in novo testamento nulla mentio habetur. Hoc silentio non obstante, hasce Scripturas, qui aliter sentiunt, utpote divinas, sponte percurrunt, earumque auctoritatem ceteris libris adaequant.

III. Praeterea haberetur vera aliorum sententia, Apostolos videlicet ac Christi discipulos Scripturas Deuteras nunquam in auctoritatem sumpsisse, quatenus iidem scripto tradidissent omnia, quaeque ex ore Christi didicerunt, deindeque aliarum regionum gentibus praedicarunt. Quisquis sibi suadet Christifideles a judaicis et ab ethnicis institutionibus descivisse, atque in Christo gregem congregatos verbis magis, quam scriptis; Epistolas autem Apostolorum noverit non nisi monita servare, quae ab eis corpore absentibus, ac nullo modo voce christianis confirmare valentibus, committebantur, quaeque praecipue versabantur circa res antea ab eis verbis traditas, vel non intellectas, seu explicatione carentes, ac potius a pseudo-prophetis immutatas, qui Christi oves in errorem trahebant, et doctrinae apostolicae puritatem deturpabant. Cuivis

novi foederis scripta legenti non latebit, haec omnia a circumstantiis petita, collecta fuisse, et a fidelibus servata. Haec res plane ex ipsis verbis exsurgit, quae in eisdem Apostolis leguntur. Ad Timotheum scribit Paulus : « Tu autem assecutus es meam doctrinam, » ac paulo post : « Permane in iis, quae didicisti. » Sed de hoc copiosius alibi.

IV. Post istas observationes scrutatum pergimus, utrum in Evangeliis, ceterisque scriptis apostolicis sententiae quaedam ex Scripturis Deutero-Canonicis sumptae legantur.

Hac in re, ut contra hostes per viam aggeratam veniamus, et quae veritati debetur, victoriam consequamur, ipsorum doctrinam amplectemur de modo, quo Apostoli veteris testamenti Scripturas in Evangelia, et in Epistolas vocantes, usi sunt. Hac ratione nunc, quod alias iidem firmarunt, negare non poterunt. Docent ipsi, novi foederis scriptores, cum sint hebraei, veteres libros in testimonis contulisse, prophetae nomen, vel libri, e quo verba divina descripsere, explicantes, ut singulis constat. Insuper fatentur Apostolos Bibliorum auctoritates varias simul collegisse, quae vitam Christi inspiciebant, vel illius gesta exprimebant, ejusdemque doctrinam. Praeter hoc fatentur in Bibliis novi foederis inveniri magnam sententiarum copiam ad antiquas Scripturas spectantium, quin neque locus, neque scriptor inspiratus, nec verba eadem aliquando, distincte legerentur. Similiter alias sacri scriptores, inquiunt ipsi (1), veteris testamenti auctoritatem enunciabant, solum sensum veterum Scripturarum repetentes. Hornaeus quasi sexaginta textuum antiquorum scriptorum numerum recensuit, quos evangelici auctores in suis scriptis intendebant. De modo, quo istae citationes fiebant, quaedam exempla referam. Divus Paulus ad hebraeos (2) scribens, ac a legibus carnalibus eos convertens ad spiritualès, ait : « Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, idest fructum labiorum confitentium nomini ejus. » Hisce verbis Apostolus illud dictum Oseae (3) inspexit: « Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum, et reddemus vitulos labiorum nostrorum. » Sanctus Matthaeus (4) simili ratione his verbis utitur : « Et invenietis requiem animabus vestris, » quae illis Hieremiae (5) recte respondent, « Et invenietis refrigerium animabus vestris. » Pariter apud sanctum Jacobum (6) legitur haec

(1) Horn. to. II. p. 269. — (2) Ad Heb. c. XIII. 15. — (3) Osea c. XIV. 3. (4) Mat. XI. 19. — (5) Hier. VI. 16. — (6) Jac. c. IV. 14.

sententia: « Qui ignorans quid erit in crastino ; » hoc testimonium e libro Proverbiorum exit : « Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies. » Ad Corinthios Apostolus (1) : « Ubi est mors victoria tua ? ubi est mors stimulus tuus ? » quae illud Oseae (2) spectant : « Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne. » Apostolus idem (3) : « Fide transierunt mare rubrum tanquam per aridam terram, quod experti Ægyptii devorati sunt, » ut ex Exodo (4) : « Et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris, erat enim aqua quasi murus. » Istis, praeter alias multas, sententiis noscere licet pluries in scriptis apostolicis veteres Scripturas renunciatas esse tam historicas, quam propheticas, quin auctor divinus, locus, neque verba eadem, sed sensus dumtaxat, innuantur.

Hisce positis, nobis curae sit in Bibliis Deutero-Canonicis investigandis quaerere utrum viri apostolici Scripturas veteres advocantes, prout modo diximus, sententias quoque ex Scripturis Deuteris sua inter scripta concinnaverint.

Singulis Biblia Posteriora aperientibus, doctrinam in ipsis vix legentibus, ac postea ad scripta evangelica transgressis quam facillimum erit in istis sententias plurimas colligere, nisi verbotenus, saltem sensu ex Scripturis Deutero-Canonicis petitis, quomodo supra explicavi, atque sicuti circa libros Proto-Canonicos actum esse probatum fuit. Exemplis rei suffragamur.

Matthaeus (5) de Sacerdotibus, de Scribis, et de Pharisaeis Jesum in cruce exspirantem improperantibus, locutus, verba de Sapientiae libro ex ore ipsorum enarrat: «Salva temetipsum; si filius Dei es descende de Cruce... Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere; si Rex Israel est, descendat nunc de Cruce, et credimus ei.» Graece autem legitur : Σῶσον σεαυτόν· εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ, κατάβηθι ἀπὸ τοῦ σταυροῦ: ... Ἄλλους ἔσωσεν, ἑαυτὸν οὐ δύναται σῶσαι! εἰ βασιλεὺς Ἰσραὴλ ἐστι, καταβάτο νῦν ἀπὸ τοῦ σταυροῦ, καὶ πιστεύσομεν αὐτῷ. Haec verba Apostoli sunt. Sapientiae (6) autem dicta ex Septuaginta educimus: Ἴδωμεν εἰ οἱ λόγοι αὐτοῦ ἀληθεῖς, καὶ πειράσωμεν τὰ ἐν ἐκβάσει αὐτοῦ· εἰ γὰρ ἔστιν ὁ δίκαιος υἱὸς Θεοῦ, ἀντιλήψεται αὐτοῦ, καὶ ῥύσεται αὐτὸν ἐκ ἀνθεστηκότων. i.e. « Videamus si sermones illius veri, et tentabimus quae sint ex evasione illius. Si enim est justus filius Dei suscipiet eum, et liberabit illum de manibus contrariorum. » Divo Luca (7) in Evangelio te-

(1) 1. Cor. c. XV. — (2) Osea c. XIII. 14. — (3) Ad Heb. I. 29. — (4) Exod. c.XIV. — (5) Matth. c.XXVII. 40,42. — (6) Sap. c.XXI.17. — (7) Luc. c. VI. 20.

stante Jesus discipulis suis eleemosynam hisce verbis commendat: « Παντὶ δὲ τῷ αἰτοῦντί σε δίδου, i.e. Omni autem petenti a te tribue. » Haec Tobiae (1) filio eloquenti cohaerent: « Ἐκ ὑπαρχόντων σοι ποίει ἐλεημοσύνην ... μὴ ἀποστρέψῃς τὸ πρόσωπόν σου ἀπό παντὸς πτωχοῦ, i. e. Ex substantiis tuis fac eleemosynam ... ne avertas faciem tuam ab omni paupere. » In Scripturis evangelicis autem sane observatu dignum est, quod sanctus Joannes de Christo Jesu in porticu Salomonis ambulante locutus, notat (2): « Ἐγένετο δὲ τὰ ἐγκαίνια ἐν Ἱεροσολύμοις, καὶ χειμὼν ἦν, i.e. Facta sunt autem *Encaenia* in Hierosolymis, et hiems erat. » Hanc solemnitatem ibi descriptam nobis tantum Machabaeorum libri tradunt, ac nullibi occurrit; eorum enim aetate Antiochus Israelis regiones invadit, et per gentes in templo sancto profanatio facta fuit; ac postea juxta eorum Scripturas (3): « Mundaverunt sancta, et tulerunt lapides contaminationis in locum immundum .... et fecerunt dedicationem altaris diebus octo, et obtulerunt holocausta cum laetitia, et sacrificium salutaris, et laudis; et statuit Judas, et fratres ejus, et universa Ecclesia Israel, Ἵνα ἄγωνται αἱ ἡμέραι ἐγκαινισμοῦ τοῦ θυσιαστηρίου ἐν τοῖς καιροῖς αὐτῶν ἐνιαυτὸν κατ' ἐνιαυτόν, i.e. ut agerentur dies dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum per dies octo, a quinta et vigesima die mensis *Caslev* cum laetitia et gaudio. » Haec vera est dies, de qua loquitur Joannes Apostolus in verbis praedictis. Vere dixi, quoniam nonnulli hanc diem non esse arbitrantur, quam Machabaei statuerunt, ast potius, addunt isti, verba evangelica aetati Salomonis, vel Zorobabeli conformantur. Ut hoc non ita se habere quisquis sibi suadeat, satis sit Evangelii verba percurrere, quae sequuntur « et hiems erat » quae clare Joannis Encaenia, nullum aliud festum, nisi illud Machabaicum, esse explicant. Etenim solemnitates aliae ad hoc institutae, sive a Salomone vel a Zorobabelo in hieme incidere non poterant; sed potius ea sub Salomone in *Tizri* seu autumnali tempore, ac Zorobabel alia in mense *Adar*, qui Februarii et Martii dimidio respondet. Contra autem, Joannis Encaenia in mense *Caslev* occurrit, qui plane Novembri ac Decembri cohaeret, Machabaeorumque aetati satisfacit. Insuper vocabulum *Encaenia* sive ἐγκαίνια e sua radice *innovatio* pro Salomonis templo apta non habetur, dum non innovavit Dei Sanctuarium, sed primus ipse aedificavit Salomon. In Ezdrino autem libro diem solemnem dedicationis domus Dei per

(1) Tob. c. IV. — (2) Joa. c.X. 22. — (3) Mac.1. lib. c.IV. 41. et 2.c.I. 68.

singulos annos statutam esse non legitur, solum in Machabaeorum primo a Juda Machabaeo statutam fuisse hanc solemnitatem, singulis annis, constat; et hanc consuetudinem servatam esse Flavius quoque testatur; uti hoc festum postera aetate a judaeis eisdem celebrari ex eorum libris eruitur.

Ab Evangelio ad apostolicas epistolas transeuntes, ad romanos Paulus de peccato originali invenimus scripsisse (1) « Διὰ τοῦτο ὥσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος· καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους θάνατος ὁ διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, i.e. Propterea sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit, et per peccatum mors, et sic in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. » Quis Apostolum hisce dictis, Sapientiae, et Ecclesiastici Scripturis adhaerere negabit? In Sapientiae (2) enim libro dicitur: « Φθόνῳ δὲ διαβόλου θάνατος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον, i.e. Invidia autem diaboli mors intravit in mundum. » In Ecclesiastico (3) autem legimus: « Ἀπὸ γυναικὸς ἀρχὴ ἁμαρτίας, καὶ δι' αὐτὴν ἀποθνήσκομεν πάντες, i.e. A muliere initium peccati, et per ipsam omnes morimur. » Summa quoque sententiarum, ac doctrinae unitas eruitur e divi ejusdem Pauli epistola ad romanos, et e capite decimo quarto libri Sapientiae. Paulus enim ad romanos scribens ait, homines inexcusabiles esse ante Deum ob suam perfidiam, et peccata, dum a Deo de sua existentia plurima indicia data sunt in creaturis omnibus, quae sub coelo sunt, quibus cognitionem Dei veri assequerentur. Sed ex eo, quod in adinventionibus suis erraverunt, obscuratum esse dicit cor insipiens eorum ut non intelligerent: « Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas ita, ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis; qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium; et coluerunt, et servierunt creaturae potius, quam creatori, qui est benedictus in saecula, amen.

(1) Rom. c. V. 12. — (2) Sap. c. II. 24. — (3) Eccl. c. XXV. 24.

Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae. Nam foeminae eorum mutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam. Similiter autem et masculi, relicto naturali usu faeminae exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non existimaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quae non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque foedere, sine misericordia; qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. »

Nunc conferantur quae dixit Sapientiae Auctor. Eodem modo divinus scriptor hoc in libro agit contra eos, qui Deum non agnoverunt, et pro Deo vero creaturas illius coluere, et ob hoc magis magisque praevaricantur in malum: « Vani autem sunt, scribit, omnes homines, in quibus non subest scientia Dei; et de his quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex..... A magnitudine enim speciei, et creaturae cognoscibiliter poterit creator omnium videri. Sed tamen adhuc in his minor querela; et hi enim fortasse errant, Deum quaerentes, et volentes invenire; etenim cum in operibus illius conversentur, inquirunt, et persuasum habent quoniam bona sunt quae videntur. Iterum autem nec his debet ignosci. Si enim tantum potuerunt scire, ut possent aestimare, vel conjicere saeculum, quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt? Infelices autem sunt inter mortuos spes illorum, qui vocaverunt Deos opera manuum hominum, aurum et argentum artis inventionem et figuras animalium, aut lapidem inutilem opus manus antiquae..... Et non suffecerat eos errasse circa Dei scientiam, sed in magno viventes ignorantiae bello, tot et tanta mala pacem appellant; aut enim filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut insaniae plenas vigilias habentes, neque vitam, neque nuptias mundas jam custodiunt, sed alius alium per invidiam occidit, aut adulterans contristat, et omnia commixta sunt, sanguis, homicidium, furtum, fictio, corruptio, infidelitas, turbatio, et perjurium, tumultus bonorum, Dei im-

memoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio, maechiae et impudicitiae. Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali causa est, et initium et finis. Aut enim dum laetantur insaniunt, aut certo vaticinantur falsa, aut vivunt injuste, aut pejerant cito. Dum enim confidunt in idolis, quae sine anima sunt, male jurantes noceri se non sperant. Utraque ergo illis evenient digne, quoniam male senserunt de Deo, attendentes idolis, et juraverunt injuste in dolo contemnentes justitiam. » Licet ambo divini scriptores identidem variis utantur verbis, idem tamen sensus est, ac idem finis; et sic Apostolus sanctus juxta morem, ut videre est suis in omnibus epistolis, sensum e veteribus Scripturis saepe saepius tantum profert, ideo congruo conjici possit hoc in loco Paulum illam doctrinam e Sapientiae libro excepisse, et quasi memoriter, ad romanos scribentem, eamdem exarasse; dum una et eadem utrinque probetur doctrina de idololatria, ejusdemque effectibus. Conferas praeterea versiculum vigesimum, ac vigesimum primum cap. I. Epistolae ad romanos cum altero Sapientiae primo, cap. XIII; pariter legas versiculum vigesimum octavum divi Pauli in eodem capite una cum versu trigesimo cap. XIV. Sapientiae Salomonis, et satius arctam amborum analogiam inspicies. Ad Titum (1) Apostolus idem sic: « Προσδεχόμενοι τὴν μακαρίαν ἐλπίδα, καὶ ἐπιφάνειαν etc.,i.e.Exspectantes beatam spem et adventum etc.» Sumpta haec verba videntur e Tobiae libro: « (2) quoniam filii Sanctorum sumus, et vitam illam exspectamus. » Ad romanos, Paulus regibus et principibus populi obedientiam commendans, ait « (3) Οὐ γὰρ ἔστιν ἐξουσία εἰ μὴ ὑπὸ Θεοῦ αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι, ὑπὸ Θεοῦ τεταγμέναι εἰσίν, i.e.Non enim est potestas nisi a Deo, quae autem sunt potestates, a Deo ordinatae sunt.» Quae verba Sapientiae libri auctorem aequo postulant, dum regibus sic loquitur « (4) Ὅτι ἐδόθη παρὰ τοῦ κυρίου ἡ κρατησις ὑμῖν, καὶ δυναστία παρὰ ὑψίστου, i.e.Quoniam data est a Domino potestas vobis et virtus ab Altissimo. » Ad corinthios (5) pariter in Christo fratribus benefacere hortatus, inquit: « Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, Ἱλαρὸν γὰρ δότην ἀγαπᾷ ὁ Θεός,i.e.Hilarem enim datorem diligit Deus.» Huic sententiae respondent Ecclesiastici (6) verba: « Ἐν πάσῃ δόσει, ἱλάρωσον τὸ πρόσωπόν σου, i.e.In omni dato hilarem fac vultum tuum.» Apostolus idem ad

(1) Tit. c.II. 13.—(2) Tob. c.II.— (3) Rom. c.XIII. 1.— (4) Sap.VI.3. juxta 70.— (5) Corint. 2. Epist. c. VII.— (6) Eccl. c. XXXV. 12.

hebraeos (1) de fide locutus Patriarcharum, qua Deo accepti fuere, ac super se benedictiones coeli consecuti, israelitas omnes censet, qui fide Deo placuerunt, sine qua hoc est impossibile, atque isto loco Paulus e primis Patriarchis incipiens ordinatim usque ad judaeorum postremos pergit, eorum gesta enarrat, quemadmodum vetus Scriptura tradit, ab Adamo scilicet usque ad Machabaeorum tempora, eorum fidei constantiam potissimum commendans. Hujusmodi autem sunt verba Apostoli in fine illius recensionis: « Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus non erat dignus mundus, in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terrae. » Quae verba, dum in his explicit historia illorum, quos Paulus enarrat, non referenda sunt, nisi ultimae Machabaeorum (2) aetati, quando Judas Machabaeus cum suis, ne sacrificiis vel institutionibus ethnicis pelluëretur, in deserta et in speluncas secessit: « Καὶ ἔθεντο τὸν Ἰσραὴλ ἐν κρύφοις καὶ ἐν παντὶ φυγαδευτηρίῳ αὐτῶν, i.e. Et posuerunt Israel in absconditis et in locis fugitivorum. » Quae sic libro secundo repetuntur: (3) « Ἰούδας δὲ ὁ Μακκαβαῖος δεκατός ποῦ γυνεθεὶς, καὶ ἀναχωρήσας εἰς τὴν ἔρημον, θηρίων τρόπον ἐν τοῖς ὄρεσι διέζη σὺν τοῖς μετ' αὐτοῦ, καὶ τὴν κορτώδη τροφὴν σιτούμενοι διετέλουν, πρὸς τὸ μὴν μετασχεῖν τοῦ μολυσμοῦ, i.e. Judas autem Machabaeus, qui decimus fuerat, et cum secessisset in desertum locum, et quasi ferae in montibus vitam agebat cum suis, et foeni cibo vescentes perseverabant, ne participes fierent coinquinationis. » Quis inter Prophetas et alios pios ex judaeis viros hujusmodi, et tot persecutiones passus est? Quinam egentes angustiati in cavernis, in montibus errarunt; nisi hebraei illi, qui Antiochi abhominabilia reprobantes in desertum fugerunt? Mihi objici possunt praeter istos, Elias et Eliseus, qui reges Israelis persecutionem veriti, cum aliis prophetis in deserta loca abierunt. Sed mihi concedendum erit, ipsos, ubique fuerint, vel quo venere, singulari providentia alitos fuisse, ac panem, carnem, aquas praestita eis testatur Scriptura ipsa; ac insuper ab illis angustiis et aerumnis, de quibus loquitur Paulus, quam longissime absunt.

Idem ad corinthios (4) Sapientiam divinam exaltans; ac istam hominibus coelatam esse testatus, inquit: « Quis enim hominum

(1) Ad Hebraeos c.XI. 37. — (2) 2. Mac. c. I. 56. — (3) 2. Mac. cap. V. 27. — (4) 1. Cor. c. II. 13.

scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est; ita, et quae Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis; . . . Animalis homo autem non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi, et non potest intelligere; quia spiritualiter examinatur..... quis enim cognovit sensum Domini, qui instruet eum? » Horum verborum sensum Salomon praetulit in libro, qui nomen ejus jactat hoc modo: (1) « Quis enim poterit hominum scire consilium Dei? Aut quis cogitabit quid velit Deus? Et difficile aestimamus quae in terra sunt, et quae in manibus, invenimus cum labore; quae autem in coelis sunt, quis investigabit? Consilium autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis? »

Verba praeterea ad galatas: (2) « *Ὥστε οἱ ἐκ πίστεως, εὐλογοῦνται σὺν τῷ πιστῷ Ἀβραάμ*, i.e. Igitur qui ex fide sunt benedicentur cum fideli Abraham. » Haec ad Ecclesiasticum (3) referuntur: « *Καὶ ἐν πειρασμῷ εὑρέθη πιστός*; i.e. Et in tentatione inventus est fidelis. » Maxime autem nobis favent dicta ex epistola ad hebraeos, (4) dum de Verbo Dei loquitur Apostolus sic: « *Ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, φέρων τε τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ*, i.e. Qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae ejus, portansque omnia verbo virtutis suae. » Haec verba reapse Sapientiae libri auctorem postulant, dum ille divinam Sapientiam ita extollit: (5) « *Ἀτμὶς γάρ ἐστι τῆς τοῦ θεοῦ δυνάμεως καὶ ἀπόῤῥοια τῆς τοῦ παντοκράτορος δόξης εἰλικρινής· διὰ τοῦτο οὐδὲν μεμιαμμένον εἰς αὐτὴν παρεμπίπτει. Ἀπαύγασμα γάρ ἐστι φωτὸς ἀϊδίου, καὶ ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον τῆς τοῦ θεοῦ ἐνεργείας, καὶ εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ*, i.e. Vapor enim est Dei virtutis et emanatio omnipotentis gloriae sincerae; ob hoc nihil inquinatum in eam incurrit. Splendor enim est lucis aeternae et speculum sine macula virtutis Dei, et imago bonitatis illius. » In hisce Scripturis non solum sensus, sed etiam verba coincidunt; et haec omnia simul Christi divinitatem consubstantialitatemque perbelle significant. Istae, et hujusmodi aliae verborum, vel sensuum inter Scripturas Posteriores, et novi foederis scripta saepissime occurrunt convenientiae; praesertim si utrorumque textum graecum conferas, ubi verba eadem

(1) Sapientiae c.I. 13.— (2) Gal. cap.III.9.— (3 Ecc.c.XLIV. 20.— (4) Heb. c.I. 3.— (5) Sap. c. VII. 25,26.

ellenica e Scripturis Deutero-Canonicis sumpta in evangelica Biblia relata fuerunt.

§. V. Post haec omnia, Catholicis obsistentes adversarii, ne priores quidem Ecclesiae patres Scripturas Deutero-Canonicas agnovisse, urgent. Hoc in negotio, prius quam certamen adeamus, pauca nobis erunt praemittenda.

Usque ad Salvatoris in coelum ascensionem, hebraeos solum, et eorum proselytas veterum Scripturarum custodes fuisse constat. Hebraei erant Apostoli, e genere Judae Salvator noster natus erat. Ad Apostolos locutus est Dominus, et ab eo divinum mandatum recepere Evangelium suum cunctis gentibus praedicandi: « Euntes praedicate Evangelium universae creaturae. » Prius autem illis Sapientiam eis elargiri, virtutemque supernam voluit, singulare donum, Spiritum Sanctum, qui ante illorum separationem ignis specie, eorum capiti adstitit, quo inflammati terras percurrerent, regiones peragrarent, ubique Christi salutem praedicantes.

Ad hoc opus sollicito et animo prompto aggressi Apostoli, et ab invicem segregati universum mundum utpote eorum praedam armis evangelicis intuebantur, captivantes intellectum gentium in obsequium fidei. Ipsi judaeos gentesque Christi fidem docebant; praeter miracula, Religionis Christianae veritatem ex antiquis hebraeorum Scripturis explicabant, quae inter eos servabantur. His libris vel maxime ipsi utebantur, tum ad hostes expugnandos, cum in via veritatis firmandos fideles. Apostolorum porro dispersiones, eorumque praedicatio, et in pluribus orbis regionibus conversiones factae, tales sunt, ut negari non possint.

Apostoli iidem pariter una cum Evangelio Scripturas veteres docuere, utpote eorum doctrinae maximum vadimonium. Illae in manus christifidelium per eos advenere; ac praecipue in eorum ecclesiis, congregationibus, oratoriis, vel potius coenaculis, coram omnibus legebantur, sicuti divus Paulus, illiusque primae aetatis historiae docent, ac Plinius quoque in suis litteris ad Trajanum testatur, dum ei christianorum vitam, mores, consuetudines enarrat. Hos inter fideles, hebraei numerabantur partim, et gentiles alii. Ethnicos, qui Salvatoris doctrinam susceperant, hae Scripturae omnino latebant; isti ab Apostolis, vel Christi Discipulis hebraeis antea, Mosaicasque leges edoctis, accepere. Apostoli igitur tantum in manus christianorum libros sacros tradidere, eorumdem, quocumque iverunt, praedicarunt divinitatem, secum per Asiam scilicet, Africam, Europam ferentes, ceterasque orbis

regiones. Insuper ex hoc, Apostolis summa res erat, cura maxima, judaeis, vel ethnicis Christum induentibus Scripturas tradere, non quomodocumque sese haberent, ast potius Biblia vera, divina auctoritate praedita; non ob gentiles solum, dum ea quasi ignorabant, sed praesertim ratione hebraeorum, qui, carnalibus institutionibus remissis, et spiritualem Christi veritatem amplexantes, bene Scripturas noverant, et libros divinitus inspiratos, eosque sese aliter habentes, etiam maxime secernebant.

Hisce positis; si nobis orbem terrae circumeuntibus, et Christi Ecclesias, quas Apostoli statuerunt, visentibus, in Canone Scripturarum Biblia Deutero-Canonica utpote inspirata, in eisdem inveniri, constaret; tunc dicendum esset Apostolos, has Scripturas divinas esse, docuisse; aliisque ob hoc, earumdem divinitati nulla ratione obsistendum. Post haec nos quid cogitamus? Quid agemus? Quo oculos vertamus? Quas vias aggrediamur? An vestigia Apostolorum sectemur ad illorum investigandam de hac re doctrinam? Utique, Apostolicis vestigiis insistamus, easdem vias perambulemus, quo isti adiverint, ubi morati sint, et Christi Evangelium praedicaverint; atque doctrinam, quam ibi docuere, quamque discipulis suis tradidere, accuratius inquirere non desistamus. Et a coenaculo egressis Apostolis Spiritu Sancto repletis, ante omnes Petrum inspiciamus Apostolorum principem, quoque se vertit, nos eum insequi non taedeat.

Ut hoc vero facilius consequamur, Augustinum secuti, illarum Ecclesiarum Doctrinam investigabimus, quae ab Apostolis fundatae sunt, quaeque Apostolorum Epistolas accipere meruerunt. Inter has maximae sunt consideratu dignae Ecclesia Latino-Romana, Africana, seu Carthaginensis, Alexandrina, Antiochena-Syriaca, Graeca et Hierosolymitana. Praeter istas, locorum praecipuum habebunt concilia, epistolae pontificiae, encyclicae, synodales ad nostrum argumentum pertinentes, quae omnia primam partem complectentur.

PROPOSITIO II.

Doctrina Ecclesiae Romanae, et Latinae de Scripturis Deutero-Canonicis. A saeculo primo usque ad sextum.

§. I. Ecclesiae Romanae in magistrum Apostolus ille sorte obtigit, qui divino Spiritu illuminatus Salvatoris postulationi respondit: « Tu es Christus filius Dei vivi » ; cuique Salvator idem potissimo oblectationis signo arridens, his verbis inquit: « Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam: » « Hanc Petram immobilem, juxta Eusebium, praepotentem reliquorum omnium Apostolorum facile Principem a Judaea profectum, Syriae et Graeciae regionibus peragratis, benigna Dei providentia totius mundi rectoris, Romam versus ad hujuscemodi pestiferam vitae humanae corruptelam delendam, quasi manu deduxit. » Et quippe quae ipsa tunc temporis regina mundi sedebat, in ea Salvator Petrum constituere voluit, ut etiam in hac re singulis illius dignitatem ostenderet, universamque auctoritatem, qua a Deo fuerat ornatus, quemadmodum universalis erat Urbis auctoritas, quam ad incolendam venit.

Profecto, nullo modo negari potest, doctrinam Apostolicam esse illam, quam hac in quaestione enunciabimus, dum Petrus, inquam, ac cum eo Paulus Apostolus paulo post Christi Jesu Ascensionem, in hanc Metropolim, Redemptionis illius causa praedicandae, adivere. Doctrinae Christi semen, quod Apostoli in hac civitate effudere, vere in terram bonam cecidit, et fructum protulit adeo, ut Apostolus idem ad eos scribens exaltet: « Vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est, et in qua, Irenaeo teste, traditio, quae ab Apostolis est, semper servata fuit. » Ac tandem perspicue haec a Cajo scriptore ecclesiastico secundi saeculi, in sua contra Proclum haereticum disputatione de illis Apostolis loquente, firmantur. (1) « Ego, inquit, Apostolorum trophaea possum ostendere. Nam si lubet in Vaticanum proficisci, aut in viam, quae Hostiensis dicitur, te conferre, trophaea eorum, qui istam Ecclesiam suo sermone et virtute stabiliverunt, invenies. »

Hoc in loco, iis, quae de Scripturis Secundis veteris foederis a summis Pontificibus statuta sunt, in alteram partem demandatis,

(1) Apud Eusebium Hist. Eccl. lib. III. c. 24.

scriptorum tantum Romae, vel Ecclesiae Latinae occidentalis censionem agemus, et quidquid ex eorum libris pro nostris Scripturis hauriri potest, in medium proferemus, legibus chronologicis, quoad fieri potest, servatis.

§. II. Prae omnibus hac in Ecclesia locum tenet sanctus Clemens, cujus quanta sit auctoritas divus Irenaeus dicit: « Μετὰ τοῦτον δὲ τρίτῳ τόπῳ ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων τὴν ἐπισκοπὴν κληροῦται Κλήμης, ὁ καὶ ἑωρακὼς τοὺς μακαρίους Ἀποστόλους, καὶ συμβεβιωκὼς αὐτοῖς, καὶ ἔτι ἔναυλον τὸ κήρυγμα τῶν Ἀποστόλων, καὶ τὴν παράδωσιν πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχων, οὐ μόνος· ἔτι γὰρ πολλοὶ ὑπελείποντο τοτε ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων δεδιδαγμένοι, i. e. Post hunc (Anacletum) autem tertio loco ab Apostolis Episcopatum (Romae) sortitur Clemens, qui et vidit beatos Apostolos, et cum iis versatus est, et adhuc resonantem praedicationem Apostolorum, et traditionem ante oculos tenens, non solus; adhuc enim multi supererant tunc ab Apostolis docti. » Idem Origenes et Hieronymus testantur. Is in sua Epistola ad corinthios, de qua nihil dubii adhuc superest, saepius Deutero-Canonicos veteris Scripturae libros appellat. Ad Sapientiae librum primo illis verbis: (1) « Sed unusquisque secundum pravas cupiditates suas incedit, invidiam iniquam et impiam assumendo: - Δι' οὗ καὶ θάνατος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον, i. e. Per quam et mors intravit in mundum. » De eodem libro sunt: (2) « Ἐν λόγῳ τῆς μεγαλωσύνης αὐτοῦ συνεστήσατο τὰ πάντα, καὶ ἐν λόγῳ δύναται αὐτὰ καταστρέψαι· τίς ἐρεῖ αὐτῷ, τί ἐποίησας; ἢ τις ἀντιστήσεται τῷ κράτει τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, i. e. In verbo magnificentiae suae constituit omnia, et in verbo potest illa evertere. Quis dicit ei, quid fecisti? Vel quis resistit virtuti fortitudinis ejus? »

Pariter ex libro Judith, et ex additamentis Esther haec sumpta sunt, dum ipse animum audacem exaltat, illorum ex gentilibus, christianis et judaeis, qui pro suis multa et virilia gesserunt: « Πολλαὶ γυναῖκες ἐνδυναμωθεῖσαι διὰ τῆς χαρίτος τοῦ θεοῦ, ἐπετελέσαντο πολλὰ ἀνδρεῖα. Ἰουδὶθ ἡ μακάρια ἐν συγκλεισμῷ οὔσης τῆς πόλεως, ἠτήσατο παρὰ τῶν πρεσβυτέρων ἐαθῆναι αὐτὴν ἐξηλθεῖν εἰς τὴν παρεμβολὴν τῶν ἀλλοφύλων· παραδοῦσα οὖν ἑαυτὴν τῷ κυνδύνῳ ἐξῆλθεν δι' ἀγάπην τῆς πατρίδος, καὶ τοῦ λαοῦ τοῦ ὄντος ἐν συγκλεισμῷ, καὶ παρέδωκεν κύριος Ὀλοφέρνην ἐν χειρὶ θηλείας. Οὐχ ἧττον αὖ καὶ ἡ τελεία κατὰ πίστιν Ἐσθήρ, κυνδύνῳ ἑαυτὴν παρέβαλεν, ἵνα τὸ δωδεκάφυλον τοῦ Ἰσραὴλ μέλλον ἀπολέσται, ῥύσηται. Διὰ γὰρ τῆς νηστίας, καὶ τῆς

(1) Cotelerius to. I. p. 85. Luteciae Parisiorum. Sap. c. II. 24.— (2) Sap. c. XI. 12. et XII. 12.

ταπεινώσεως αὐτῆς, ἠξίωσεν τὸν παντοποιητὴν δεσπότην Θεὸν τῶν αἰώνων. ὃς ἰδὼν τὸ ταπεινὸν τῆς ψυχῆς αὐτῆς, ἐῤῥύσατο τὸν λαὸν, ὧν χάριν ἐκινδύνευσεν, i. e. Complures mulieres gratia Dei corroboratae perfecerunt multa virilia. Judith beata, cum urbs obsideretur, petiit a senioribus, ut sibi liceret in castra alienigenarum exire; tradens semetipsam periculo, ob Patriae amorem exiit, et populi obsessi, et tradidit Dominus Olophernem in manu foeminae. Nec minus, cujus perfecta fuit fides, Esthera, periculo sese objecit, ut duodecim tribus Israel jam perituras liberaret; per jejunium enim et humilitatem illius precata est omnium effectorem Dominum Deum saeculorum, qui respiciens humilitatem animae illius populum liberavit, cujus gratia sese periculo exposuit. » Sententiae sunt istae quas Clemens inter alias Scripturas refert, ac Spiritus Sancti vera oracula dicit. Quanta autem hujus Epistolae sit auctoritas corinthiorum Ecclesia testatur; dum ex tempore, quo ista illuc missa fuit usque ad Dionysium illius civitatis episcopum, eadem dominicis diebus legebatur; sicuti (1) Eusebius, historiae ecclesiasticae libro quarto, refert Dionysii verba, Romae Christianis, Marco Aurelio imperante, scribentis, ac Sotero Pontifici, qui erga corinthios beneficia contulerant: « Hodie sacrum diem Dominicum celebravimus, in quo vestram epistolam legimus, quam semper, sicut etiam priorem nobis a Clemente missam, ad nostram institutionem legere solemus. »

§. III. Post Clementem romanum in Ecclesia occidentali in sanctum Irenaeum incidimus, qui post dimidium saeculi secundi scribebat. Is episcopale munus in Ecclesia lugdunensi gessit, urbe Christianae pietatis ab Apostolorum tempore amantissima. Illuc a Polycarpo missus fuit, cujus se discipulum vocat et aliorum, qui cum Apostolis versati erant. Eusebius (2) de illius scriptis locutus, ait: « Librum composuit Irenaeus de Octonario, in quo etiam libro primam se Apostolorum successionem contigisse significat. » Ex iis, qui nobis supersunt, libris adversus haereses, praeter multos, qui periere, inquirere licet pro Scripturis Deutero-Canonicis illius sententiam. In libro secundo verba Sapientiae dicit: (3) « Justi autem fulgebunt, sicut sol, in conspectu Patris eorum. » De libro Baruch (4) in libro quinto ait: « Hieremia Propheta, circumspice, dicens, ad orientem Hierusalem, et vide laetitiam, quae adventat tibi

(1) Eus. Hist. Ec. lib. IV. c. XV.— (2) Hist. Eccl. lib. V. c. 20.— (3) Iren. c. LI. de Haeres. Edi. maur.— (4) Bar. c.IV. et Iren. lib.V. c. 35.

ab ipso Deo; ecce venient filii tui quos emisisti; venient electi ab oriente, usque ad occidentem, verbo illius Sancti gaudentes ea, quae a Deo tuo est, claritate. » E libro quarto pariter ex historia Beli apud Danielem ista censet: « Daniel Propheta, (1) cum dixisset ei Cyrus rex Persarum, quare non adoras Bel? Annuntiavit dicens, quia non colo idola manufacta, sed vivum Deum, qui constituit coelum et terram, et habet omnis carnis dominationem. » Item de presbyteris injustis: (2) « Et audient voces, quae sunt a Daniele Propheta: (3) Semen Chanaan et non Juda, species seduxit te, et concupiscentia evertit cor tuum; inveterate dierum malorum, nunc advenerunt peccata tua, quae faciebas antea, judicans judicia injusta. » Pro libri Tobiae auctoritate faciunt patris nostri verba de Ophitarum opinionibus et Sethianorum, qui paulo post Evangelii praedicationem vixere (4): « Illos haereticos, ait, deos multos numerare, et unicuique deorum proprii Prophetae, sicut ex Scripturis divinis, scilicet Jao Dei fuisse Prophetas, Samuel, Nathan, et Jonam, et Micheam. Dei autem Adonaei fuisse Prophetas, Esaiam, Ezechiel etc. Eloei autem, Tobiam et Aggaeum. » Inter hebraeos nati haeretici isti, et judaica religione imbuti Tobiam inter alios Prophetas Priores censentes nobis magni ponderis praestant argumentum. Ad Baruch testimonium appellat illis libri tertii verbis: (5) « Unde et Spiritus in Filium Dei filium hominis factum descendit cum ipso, assuescens habitare in genere humano, et requiescere in hominibus, et habitare in plasmate Dei. »

De Irenaei scriptis Eusebius (6) idem libro quinto scribit: « Καὶ βίβλιον τι διαλέξεων διαφόρων, ἐν ᾧ τῆς πρὸς Ἑβραίους ἐπιστολῆς, καὶ τῆς λεγομένης Σοφίας Σολομῶντος μνημονεύει, ῥητά τινα ἐξ αὐτῶν παραθέμενος, i.e. Praeter alia etiam liber variarum disquisitionum, in quo Epistolae ad hebraeos, et Sapientiae Salomonis, sic dictae, mentionem facit, testimonia nonnulla ex iisdem depromens. » Praeterea divinitate libri Sapientiae innixus Doctor sanctus illius verba profert. Hoc testimonium Eusebius laudatus verbotenus deponit: « Καὶ ῥητοῖς δὲ τισὶν ἐκ τῆς Σολομῶντος σοφίας κέχρηται μονοκουκὶ φάσκων, Ὁράσις δὲ Θεοῦ περιποιειτικὴ ἀφθαρσίας. Ἀφθαρσία δὲ ἐγγὺς εἶναι ποιεῖ Θεοῦ, i. e. Et verbis nonnullis quoque ex Salomonis Sapientia utitur, dicens: Visio autem Dei immortalitatis est effectrix; immortalitas autem facit Deo propinquare. » A Sapientia (7) Si-

(1) Iren. lib. IV. 11., et Daniel. c. XIV. — (2) Iren. c. XLIV. et Dan. c. XIII. — (3) Iren. lib. I. de Haeres. — (4) Iren. c. XVII. vel XIX. — (5) Hist. Eccl. c. XXVI. — (6) Hist. Eccl. lib. V. c. 8. et Sap. c. VI. 19. — (7) Eccl. c.I. 2.

rach haec dicta educit, libro quarto, cap. XXXVI. « Ad quos juste, quis dicat, quemadmodum ipse sermo suggeretur, quatenus super Deum extollitis cogitationes vestras, inconsiderati, elati: « Audistis mensos esse coelos in palmo; et dicite mihi mensuram, et enarrate multitudinem cubitorum coelorum innumerabilem, et exponite mihi plenitudinem, latitudinem, longitudinem. » Tandem libro quarto disserens de Scripturis veris, et de apocryphis, (1) quae ab haereticis disseminatae erant, ait: « Si quis igitur legat Scripturas intentus, inveniet in iisdem de Christo sermonem, et novae vocationis praefigurationem..... Ex ipsis Scripturis autem Jesus discipulis suis ostendit, quoniam pati oportebat Christum, et intrare in gloriam suam, et erit consummatus discipulus, qui profert de thesauro suo nova et vetera. Quapropter eis, qui in Ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet his, qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui cum episcopatus successione, charisma veritatis certum, secundum placitum Patris, acceperе. Reliquos vero qui obsistunt principali successioni suspectos habere, vel quasi haereticos. Omnes autem decidunt a veritate; et haeretici quidem alienum ignem offerentes ad altare Dei, idest alienas doctrinas a coelesti igne comburentur. » Hisce verbis conjici potest, qua libertate Episcopus sanctus agit de veritate Scripturarum, quae legendae sunt, et quae respuendae. Si Scripturae Deutero-Canonicae ab ipso inter scripta apocrypha habitae fuissent, qua audacia deinde contra haereses Biblia falsa vel suspecta in testimonium advocaret? Eo magis, quod de doctrina apostolica locutus, cum sibi in varias orbis regiones profecto constaret christianae Fidei praedicatio, illius veritatem testatur (2): « Ecclesia in universum mundum disseminata diligenter custodit hanc fidem, quasi unam habens animam et unum cor, et consonanter haec praedicat. »

§. IV. Severo imperatore, christianae doctrinae zelo vigebat Hippolytus Episcopus romanus, ut ait Nicephorus in Chronographia; a Zonara vero Hippolytus Romani Portus Episcopus appellatus est. Bibliotheca Vaticana illius effigiem exhibet. Iste juxta Eusebium plerosque commentarios in sacram Scripturam comparavit, et alia multa scripta illius habentur, quorum fragmenta nonnulla tantummodo nobis supersunt. Ex iis, (3) quae genuina existimantur, colligitur, qualis sacrorum Bibliorum Canon ab eo censeba-

(1) Cap. XLIII. vel XXVI.— (2) Iren. lib. I. c. 10.— (3) Edit. Hamburgi 1716.

tur. In scripto enim de Antichristo (non obstantibus quaestionibus, quae circa hunc librum inter ecclesiasticos viros irrepserunt, de Antiocho (1) ejusque decreto ex libris Machabaeorum loquitur : « Et haedera coronatas libero circuituros ; qui nolunt parere, his cruciatibus atque tormentis examinatos neci tradendos esse. » sequitur antistes istius Antiochi narrationem, ac tandem subjungit: « Si quis haec singillatim legere velit et singula lustrare in libris Machabaeorum perscripta inveniet. » Adversus judaeos ad Sapientiae librum appellat his verbis: « Producam in medium prophetiam Salomonis de Christo, quae aperte et perspicue, quae ad judaeos spectant, edisserit (1): « λέγει γὰρ προφήτης, i.e. Ait enim Propheta: » «Non recte cogitaverunt impii (de Christo) dicentes: circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis. » Sanctus insuper episcopus testimonia multa ex ipso libro recenset. De Charismatibus inquit: « Inter mulieres, quae prophetaverunt fuit Maria Moysis soror, post eam Debbora, ac post illas « Ὁλδα, καὶ Ἰουδηθ, ἡ μὲν ἐπὶ Ἰωσίου, ἡ ἐπὶ Δαρίου, i. e. Olda et Judith, illa quidem sub Josia, ac ista sub Dario. » In Canticum Canticorum de Salomone inquit: « Et ubinam est copiosissima illa scientia? Ubi illa mysteria? et ubi libri? « Ἀναφέρονται γὰρ μόναι αἱ παροιμίαι, καὶ σοφία, καὶ Ἐκκλησιαστης, καὶ τὸ ἆσμα τῶν ἀσμάτων, i. e. Supersunt enim sola Proverbia et Sapientia et Ecclesiastes et Canticum Canticorum. » Antiquitus enim vocabulum σοφία, Sapientiae et Ecclesiastici Scripturas explicabat. Invenitur etiam inter illius commentaria aliud non integrum in Susannam, de quo ex Suida in Lexico: « Scripsit Hippolytus in prophetias Danielis commentarium. » In hoc libro pariter divus ad Tobiae librum confugit hisce verbis: « Missum fuisse ad eam, idest Susannam, Angelum qui eam adjuvaret: » Ὃν τρόπον ἐπὶ τοῦ Τοβίτ, καὶ τῆς Σάῤῥης συνέβη, i. e. Quemadmodum Tobiae et Sarrae evenit, quorum exaudita est oratio, et missus est Angelus Raphael, ut curaret eos. » Ex catena patrum colligitur quidquid de tribus pueris iste dixit: « Εὐλογεῖτε Ἀνανία Ἀζαρία Μίσαελ τὸν Κυρίον, i. e. Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino ; admiranda sunt, o dilecti, quae a tribus pueris in camino dicta sunt, quomodo nihil ex rebus creatis praeterierunt; ut nempe nihil, quasi liberum, vel sui juris esse putaretur; sed cum omnia comprehendissent, ac nominassent tum coelestia, quum terrestria, et subterranea omnia subjecta Deo esse ostenderunt. »

(1) 2. Mach. 6. — (2) Sapient. c. II. — (3) Baruch. c. III. 36.

Contra Noetum tandem, ex quo Noetiani dicti sunt haeretici, verba illorum refert hoc modo: « Χρῶνται δὲ καὶ ἑτέραις, μαρτυρίαις λέγοντες, οὕτω γέγραπται: οὗτος ὁ θεὸς ἡμῶν, οὐ λογισθήσεται ἕτερος πρὸς αὐτόν. Ἐξεῦρε πᾶσαν ὁδὸν ἐπιστήμης, καὶ ἔδωκεν αὐτὴν Ἰακὼβ τῷ παιδὶ αὐτοῦ μετὰ τοῦτο ἐπὶ τῆς γῆς ὤφθη, καὶ ἐν τοῖς ἀνθρώποις συναναστράφη, i. e. Utuntur autem et aliis testimoniis dicentes, ita scriptum est: - Iste Deus noster, non reputabitur alius ad eum. Adinvenit omnem viam disciplinae et dedit eam Jacob puero suo; post hoc in terram apparuit, et cum hominibus conversatus est. » Noetii verbis respondens Hippolytus, ne auctoritatem quidem hujus Scripturae is negat; ast tantum addit: « Noetiani nec quidquid istorum intellexerunt; prout ipsae Scripturae inscitiam eorum redarguunt, quae testimonium veritati tribuunt. » Ac paulo post, horum verborum sensum explicat dicens: « Recte enim dicunt Scripturae, sed alia Noetus intelligit. » Ex his verbis duo argumenta pro nobis stant. Primum libri Baruch divinitatem non respuit contra haereticos Hippolytus, sed libenter ac jure accipit. Alterum ex verbis haereticorum exsurgit, qui ad ipsorum errores firmandos inter alia divina eloquia ad librum Baruch recurrunt.

§. V. Arnobius, tertio exeunte saeculo, scribebat Rethor in Africa clarus, ac postea Christo Jesu indutus Romae docuit. De Deo uno et trino illius habetur conflictus, cum Serapione, in quo Sapientiae libri (1) verba sic exponit: « Quia in sordidam animam non introibit Sapientia neque habitabit in corpore subdito peccatis. » Alibi eumdem librum appetit: « Spiritus enim Sanctus effugiet disciplinae fictum. »

Hujus Arnobii scriptis additur in Psalmos commentarium (quamvis hoc opus alteri Arnobio aetate posteriori potius adscribatur). In hoc pariter leguntur sententiae ex Scripturis Secundis sumptae; prout in psalmo 118: « Secundum illam sententiam Ecclesiastici: - Si recorderis, inquit (2) novissima tua » et alibi in psalmum 119: « Si credit tibi vere a Dei Sapientia dictum: (3) - Cum accesseris ad servitutem Dei, sta in timore et tremore, et praepara animam tuam ad tentationem. »

§. VI. Hujus discipulus Lactantius nunc locum excipit, qui Romae docebat sub Diocletiani et Constantini imperio. Ex plurimis scriptis suis, (non obstantibus censuris, quae super his statutae fuere) exsurgit Bibliorum Deuterorum divina auctoritas. Divinarum

(1) Sap. c. I. — (2) Eccl. c. VI. 40. — (3) Eccl. c. II. 1.

institutionum libro quarto, cap. VIII, hisce dictis Ecclesiastici librum petit: « Item Salomon (1) ipsum Verbum esse demonstrat, cujus manibus opera ista mundi fabbricata sunt: « Ego, inquit, ex ore altissimi prodivi ante omnem creaturam; ego in coelis feci, ut oriretur lumen indeficiens, et nebula texi omnem terram; ego in altis habitavi, et thronus meus in columna nubis. » Ulterius Sapientiae (2) verba refert hoc modo: « Primum nec sciri a quoquam possunt, nec narrari opera divina, sed tamen sanctae litterae docent a quibus cautum est: - Illum Dei filium Dei sermonem esse. » In suo epitome ait cap. XLV. « Salomon autem ante pronuntiaverat his verbis in Sapientia: (3) - Circumveniamus justum quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris. » Alibi, juxta Baruch librum, dicit: « Et illud Prophetae vaticinium expleret: - Et post haec in terra visus est, et cum hominibus conversatus. » Praeter ista, saepe in suis operibus, et maxime in libris divinarum institutionum sententiae Deutero-Canonicae occurrunt.

§. VII. Julius Maternus Firmicus, medio saeculo quarto, de errore prophanarum religionum verba Sapientiae profert dicentis: (4) « Quae sit substantia ejus Sapientiae, veneranda voce monstratur; ait enim in libris Salomonis: (5) - Omnia idola nationum aestimaverunt deos, quibus neque oculorum visus est ad videndum, neque nares ad percipiendum spiritum, neque aures ad audiendum, neque digiti manuum ad tractandum, sed et pedes eorum pigri ad ambulandum. » De eodem proposito contra idololatras ex Baruch: (6) « Jubente Deo haec darent populo praecepta: - Angelus enim meus vobiscum est. »

§. VIII. Phaebadius sive Sebadius, anno circiter 360: Agenni Galliarum Episcopus in suo contra Arianos libro e Sapientiae, et Ecclesiastici Scripturis multa testimonia profert, quae utpote divina ab ipso aestimantur: « De consubstantialitate, loquens Filius ait: - Ergo ex ore Altissimi prodivi. (7) »

§. IX. Jam speciali modo nobis animadvertendum videtur Ecclesiae sanctae lumen, praeclarus nempe Christianae Religionis athleta, Hieronymus sanctus, cujus scripta doctrinae, sanctitati, ac de Religione sollicitudini testimonium perhibent. Is inter alios praestitit studio et cura in sacris Scripturis interpretandis, ex qui-

(1) Eccl. IV. 6. — (2) Sap. c. II. — (3) Sap. c. II. — (4) Ex Bibliot. Patrum. — (5) Sap. c. XV. 15. — (6) Baruch c. VI. 1, 6. — (7) Ex Bibl. Patr.

bus merito in diei sui natalis oratione, praeconio illo, quod de ipso legit Ecclesia, decoratus est: « Deus, qui Ecclesiae tuae in exponendis sacris Scripturis beatum Hieronymum confessorem tuum, doctorem maximum providere dignatus es. etc.»

Qui nobis adversantur, ut dictum est, quasi pro se stantibus utuntur Hieronymi scriptis. Utrum ista, nec ne, ita se habeant; difficultatibus multis, seu potius obscuritatibus praevisis, in quas offendere possumus ipsius libris legendis, praetium operae erit educationem, studia, peregrinationes, aliaque illius fata expendere, ut facilius, quoad fieri potest, ejus sententiam in nostro negotio assequamur.

Stridone in Dalmatia ortum duxit Hieronymus, et ibi adolescens in litteris latinis et graecis apprime versatus Romam petiit, ubi ceteris vanis studiis posthabitis ad sacras litteras incubuit, in quibus valde proficiens paulo post Magisterium adeptus est.

Priusquam autem quaestionem aggrediamur, utrum pater sanctus Scripturas Deutero-Canonicas utpote divinas aestimaverit; singulis patebit, mihi suadeo, quanto tempore Hieronymus Romae colonus fuerit, contra Deuterorum Bibliorum divinam auctoritatem nihil didicit, neque docuit; neque inter ista et Priora discrepantiam ullam concepit, dum Ecclesia Romana huc usque temporis, ut vidimus, ne verbum quidem adversus Scripturas Secundas praesumpsit. Hac namque in civitate doctor idem Scripturae egregiam operam navavit, versionibus latinis tantum, et graecis usus, in quibus Scripturae Posteriores legebantur. Sed insuper constat ex litteris multis suorum amicorum, et episcoporum occidentalium postulationibus, et matronarum romanarum petitionibus, quibus, praeter codicum hebraicorum versiones, quos judaei divinos recipiebant, interpretationem quoque Scripturarum Deuterarum ex earum fonte noscere cupiebant. His respondens Hieronymus, instantiis eorum acquiescens, ita ad Chromatium et Eliodorum episcopos loquitur: (1) « Mirari non desino exactionis vestrae instantiam; exigitis enim, ut librum chaldaeo sermone conscriptum ad latinum stylum traham; librum utique Tobiae, quem hebraei de catalogo divinarum Scripturarum secantes, his quae hagiographa memorant, manciparunt. Feci satis desiderio vestro, non tamen meo studio; arguunt et nos hebraeorum studia, et imputant nobis, contra suum Canonem ista transferri. »

(1) In Praefatione libri istius.

De Judith (1) autem libro ad alios scribens, dicit: « Apud hebraeos liber Judith inter hagiographa vel apocrypha (2) legitur; cujus auctoritas ad roboranda illa, quae in contentionem veniunt, minus idonea judicatur. » Haec omnia cum explanasset Hieronymus et judaicam opinionem et dubitationem suam, si hoc dicere fas est, nobis argumentum praebet, occidentalis Ecclesiae viros nunquam in dubium istas Scripturas vocasse; aliter frustra has observationes, et haec monita scripsisset doctor egregius.

Hisce notatis, ab Ecclesia latina nunc semotum Hieronymum animadvertamus, et in regionibus orientalibus inspiciamus versantem. Doctor enim de lectione, ac intelligentia divinorum Bibliorum maxime sollicitus, non solum, ut dixi, linguae latinae et graecae peritiam acquisivit, verum etiam linguae hebraicae summo studio vacavit, ad quam ultimam comparandam regio ipsa, quam incolebat, sibi adjumento erat. Gregorio Nazianzeno in sacrae Scripturae interpretatione usus est, prout ipse testatur in suo libro virorum ecclesiasticorum: « Vir eloquentissimus praeceptor meus, a quo Scripturas explanare didici, » nonnullis etiam cum viris doctis hebraeis versatus est, ex quibus hebraicam linguam didicit, ut e sacris Bibliorum fontibus purum veritatis argumentum hauriret, ne judaei ipsi, ut ad Paulam et Eustochium scribit, de falsitate Scripturarum Ecclesiis Dei diutius insultarent.

Hac de ratione Hieronymus beatus hebraeorum doctrinam optime noverat, et quae speciatim de Scripturis Deutero-Canonicis docebant. In his autem laboribus, et curis, quas doctor subierat, cum maximum suum negotium esset et Christi Ecclesiae coram judaeis vindicatio, et potissimum studium, ut, si aliquando fieri posset, in Salvatoris horreum Abrahae semen congregaret, cui tanta amoris signa, totidem promissiones jam antiquitus praestita fuerant, visus est idem de Scripturis Secundis scholae judaeorum doctrinam sectatus esse ac institutionem; ac easdem nullo modo divinitus inspiratas docuisse. Quanta ponderatione digna sint haec omnia, respondeat ille, qui scripta Hieronymi legerit, et legens noverit doctorem ipsum Scripturas Deutero-Canonicas ita se habere non excogitasse, prout Eterodoxi, ut eorum verba supra legistis, apocryphos scilicet faciunt nulliusque auctoritatis; quod etiam ab aliis moderatius firmatum est, aut potius concessum. Propterea ante lectoris oculos multas de hac re Hieronymi sen-

(1) In Praefatione Judith. — (2) Plurimi codices legunt apocrypha.

tentias ponere aequum erit, et amplius congruum existimabitur, dicta omnia beati, quae Canoni Christianae ac Catholicae Ecclesiae adversari videbuntur, secernere ab iis, quae pro Canone Tridentino stare perhibentur; singulos hac in collatione confirmans, justitiae me ac rationis amantem nullam doctoris sententiam, vel dictum, quod nobis faveat, seu obstet, omissurum, sicuti etiam verba ejusdem congruentius interpretari non desinam.

Primum locum habebunt doctoris sententiae, quae quodammodo Catholicae non favent doctrinae.

In Prologo Galeato ait ipse: « Juxta duas et viginti litteras hebraeorum supputari ita volumina sacra. Primus apud eos liber vocatur בראשית *Berescith*, quem nos Genesim dicimus. Secundus ואלה שמות *Veelle Scemoth*, qui Exodus appellatur. Tertius ויקרא *Vajcra* idest Leviticus. Quartus וידבר *Vajedaber*, quem Numeros vocamus. Quintus אלה הדברים *Elle haddebarim*, qui Deuteronomium praenotatur. Hi sunt quinque libri Moysis, quos proprie ת.ו.ר.ה *Thorà* idest legem appellant. Secundum Prophetarum ordinem faciunt, et incipiunt ab Jesu filio Nave, qui apud eos יהושע בן נון *Josue ben nun* dicitur. Deinde subtexunt שפטים *Sophetim*, idest Judicum librum; et in eumdem compingunt Ruth; quia in diebus judicum facta ejus narratur historia. Tertius sequitur שמואל *Samuel*, quem nos Regum primum et secundum dicimus. Quartus מלכים *Melachim*, idest Regum, qui tertio et quarto Regum volumine continetur.... Quintus est ישעיה Isaias; sextus ירמיה Jeremias; septimus יחזקאל Ezechiel; octavus liber duodecim Prophetarum, qui apud illos vocatur תריעשר *Thereassar*. Tertius ordo Hagiographa possidet, et primus liber incipit a איוב Job; secundus a דוד David, quem quinque incisionibus, et uno Psalmorum volumine comprehendunt. Tertius est שלמה Salomon tres libros habens; Proverbia, quae illi משלי *Misle*, idest Parabolas appellant. Quartus כוהלת *Cohelet*, idest Ecclesiasten. Quintus, Canticum Canticorum, quem titulo שיר השירים *Sir Hassirim* praenotant. Sextus est דניאל Daniel. Septimus דברי הימים *Dibre Hajamim*, idest verba dierum, quod significantius chronicon totius divinae historiae possumus appellare, qui liber apud nos Paralipomenon primus et secundus inscribitur. Octavus עזדרא Esdra; qui et ipse similiter apud graecos et latinos in duos libros divisus est. Nonus, אסתר Esther, atque ita fiunt pariter veteris legis libri viginti duo; idest Moysi quinque, et Prophetarum octo, Hagiographorum novem; quamquam

nonnulli רות וקינות Ruth et Cinoth inter Hagiographa scriptitent.... Hic prologus Scripturarum quas Galeatum principium, omnibus libris, quos de hebraeo vertimus in latinum, convenire potest ut scire valeamus, quidquid extra hos est, inter apocrypha esse ponendum. Igitur Sapientia, quae vulgo Salomoni inscribitur; et Jesu filii Sirach liber, et Judith, et Tobias, et Pastor, non sunt in Canone. Machabaeorum primum librum, hebraicum reperi. Secundus graecus est, quod ex ipsa quoque phrasi probari potest. Quae cum ita se habeant, obsecro te, lector, ne laborem meum reprehensionem existimes antiquorum.»

Idem census divinorum Bibliorum exsurgit e litteris, quas ad Paulinum scribit, ad sacrae Scripturae cognitionem hortatus, quem mihi hic ob quamdam prioris varietatem enarrare placet: «Primum locum tenent quinque libri Moysis vel Pentateuchus. Deinde sequitur Job patientiae exemplar, et resurrectionem apertius prophetans. Sequitur Jesus Nave Christi Domini typus, ad quem accedit Judicum liber, et Ruth. Postea occurrit Samuel, Melachim seu Reges. His adduntur duodecim Prophetae in uno volumine coarctati; Isaias, Hieremias, Ezechiel et Daniel post istos prodeunt. Salomon autem mores corrigit, Ecclesiam jungit et Christum, sanctarumque nuptiarum dulce canit epithalamium. Post hunc Esther in Ecclesiae typo populum liberat e periculo; Paralipomenon liber subjungitur, idest veteris instrumenti epitome. Esdras tandem et Neemias ultimum locum occupant.»

In praefatione Salomonis librorum, postquam de illius Proverbiorum libro, de Ecclesiaste ac de Cantico Canticorum disseruit, addit: «Fertur et Panaeretos Jesu filii Sirach liber et alius Pseudepigraphus, qui Sapientia Salomonis inscribitur; quorum priorem hebraicum reperi non Ecclesiasticum, ut apud latinos, sed Parabolas praenotatum, cui juncti erant Ecclesiastes et Canticum Canticorum; ut similitudinem Salomonis non solum librorum numero, sed etiam materiarum genere coaequaret. Secundum apud hebraeos nunquam est, quin et ipse stylus graecam eloquentiam redolet; et nonnulli scriptorum veterum hunc esse Judaei Philonis affirmant. Sicut ergo Judith, et Tobiae, et Machabaeorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas Scripturas non recipit; sic et haec duo volumina legat ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.» In libri Esther praefatione, istum dicit variis translatoribus vitiatum esse: «Quem ego, ait, de archiviis hebraeorum revelans, ad verbum

expressius transtuli; quem librum editio Vulgata laciniosis hinc inde verborum finibus trahit, addens ea, quae eo tempore dici poterant et audiri; sicut solitum est scholaribus disciplinis, sumpto themate excogitare, quibus verbis uti potuit, qui injuriam passus est, vel qui injuriam fecit. Vos autem Paula et Eustochium, quoniam et Bibliothecas hebraeorum studuistis intrare, et interpretum certamina comprobastis, tenentes Esther hebraicum librum per singula verba nostram translationem aspicite etc. » In Hieremiam (1), de libro Baruch ait: « Libellus iste non habetur apud hebraeos, et Pseudepigraphon Epistolam Hieremiae nequaquam censui disserendam. » Pariter in praefatione ad Hieremiae commentarium: « Librum autem Baruch notarii Hieremiae, qui apud hebraeos nec legitur nec habetur, praetermisimus; pro his maledicta ab omnibus praestolantes quibus me necesse est per singula opuscula respondere: » Aliquando verbis a Tobia et Judith petitis usus, hanc sententiam interserit: « Si quis vult librum, vel auctoritatem istius recipere; vel, Si cui placet hunc recipere librum. » In Danielem (2) Prophetam scribit: « Haec idcirco refero, ut difficultatem vobis Danielis ostenderem, qui apud hebraeos, nec Susannae habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Beli, draconisque fabulas. » In fine commentarii addit fere eadem verba: « Expositis juxta hebraicum, quae continentur in libro Danielis Prophetae, breviter exponam, quid Origenes in decimo Stromatum suorum libro de Susannae et Beli fabulis dixerit. » De libro Judith, ut paulo antea retuli, apud hebraeos iste liber inter apocrypha legitur, cujus auctoritas ad roboranda illa, quae in contentionem veniunt, minus idonea judicatur. » Item in librum Tobiae ad episcopos Chromatium et Heliodorum: « Mirari non desino exactionis vestrae instantiam, exigitis enim ut ad latinum stylum traham Tobiae librum chaldaeo sermone conscriptum; librum utique Tobiae, quem hebraei de catalogo divinarum Scripturarum secantes his, quae apocrypha memorant, manciparunt. »

E scriptis beati Hieronymi sententiae istae quodammodo contra Biblia Deutero-Canonica veteris foederis, sumptae sunt. Nunc nobis inquirendum est quidquid pro eorum librorum divinitate alibi pronunciaverit doctor. Ante omnia operae praetium erit observare Sancti aetatem, loca et circumstantias, in quibus idem scribebat. Primum quidem mentis illius aestum animadvertamus

(1) Edit. Veronae to.V. p. 745. — (2) Tom. V. p. 670.

oportet, quo contra hostes, et maxime hebraeos, irruebat, causa veritatis christianae propugnandae, adeo ut aliquando illa sana ratiocinatio ab eo effugeret, quae reapse in leni, ac placido corde assuescit, et ibi constanter permanere solet. Neque vero hoc dixi, ut de quadam temeritate Sanctum incusarem, et illius scripta inconsulta arguerem. Tantum hoc sermone ostendere volui maximum fuisse Hieronymi pro evangelica fide zelum, e quo, cum tunc temporis inter christifideles et judaeos, quibuscum doctor vivebat, de vero Christi adventu vehemens exsurgeret conflictus; ac potissimum de Bibliorum sacrorum Canone ageretur pugna, et dicta aspera admodum aegreferens doctor, quae in Scripturarum Deuterarum auctoritatem christianis objiciebantur a judaeis, utpote qui eas divinas negabant; cumque ei amplius has Scripturas appellandi nulla foret necessitas, visus est, his sub rationibus, de istorum librorum auctoritate dubitasse, vel satius sententiam suam de his cohibuisse, lectorem monendo harum Scripturarum testimonium minus se habere, quia ipsae non universim receptae erant, seu quia eisdem judaei fidem negabant. Verumtamen hoc de antea enunciatis dictum sit. Deinde vero, etsi, sicuti ex variis illius dictis, quae supra retulimus, inferri possunt contra Biblia-Deutero-Canonica argumenta, quae Catholicae Ecclesiae parum satisfacere videntur, attamen totidem sententias illum plurimis in locis retulisse inficiari non possumus, ubi opinionem suam explicavit, vel temperavit, eo magis cum ad christianos amicos et episcopos loqueretur, qui dictis illius, et opinionibus non conveniebant. At insuper ab eo, studio, et aetate provecto, et animo pacato, suae opinionis veritas nobis erit exspectanda. Et, ut haec omnia sic esse dicantur, doctoris sancti verba et sententias, quae contra priora stent, in medio ponamus.

De historia Judith in Epistola ad Salvinam (1) sic loquitur: « Habens carissima tui ordinis quas sequaris Judith de hebraea historia; et Annam filiam Phanuelis in Evangelio. » In Epistola ad Innocentium (2) de tribus pueris et de Susanna: « Huc mihi trium exempla puerorum, ait, qui inter frigidos flammarum globos hymnos edidere pro fletibus.... huc beati Danielis revocetur historia, juxta quem adulantibus caudam, praedam suam leonum ora timuerunt. Nunc Susanna nobilis fide omnium subeat

(1) Tom. I. p. 504. — (2) Ep. I. Ed. Veronae.

mentibus, quae iniquo damnata judicio Spiritu Sancto puerum repiente salvata est. » De fragmentis Esther (1) haec verba sumit ad Demetriadem (2) scribens: « Et cum Esther loquebatur ad Dominum: - Tu nosti quod oderim insigne capitis mei. » Ad Principiam, hebraearum mulierum virtutem exaltans, inquit: « Ruth, Esther et Judith tantae gloriae sunt, ut sacris voluminibus nomina dederint. » Alibi Doctor (3) in ea verba: « Qui Deo non vivit in Scripturis sanctis dicitur non subsistere; unde et Esther contra idola loquens: (4) - Ne tradas, inquit, (5) sceptrum tuum his qui non sunt. » In capite decimo Zachariae, Machabaeorum gesta (6) enarrat: « Machabaei huc illuc fugientes Domino auxiliante superabunt, ut ejectis Macedonibus de terra Israel mundetur templum, legis praecepta serventur, et eruditio Scripturarum rursus germinet. » Verba quaedam Prophetae Zachariae, divus pater temporibus, et historiae Machabaeorum quadrare posse conjicit, ut ex illius in hunc librum commentariis. Ad Chromatium Epistola et Jovinianum et Eusebium e Scripturis exempla proferens: « O beata domus, clamat, in qua morantur Anna vidua, Virgines prophetissae, geminus Samuel nutritus in templo; o tecta felicia, in quibus cernimus Machabaeorum martyrum coronis cinctam martyrem matrem. (6) » Testimonium Tobiae sumit dum ait: « Hujus itaque custodienda praecepta sunt, hujus voluntas patranda; et hoc est, quod in Tobiae libro scribitur: - Mysterium regis abscondere bonum est. » De Sapientiae libro (7) haec verba educit: « Denique Sapientia (8) in portis civitatis considens dixit: - Quanto tempore innocentes obtinuerint justitiam, non confundentur. » Ex Ecclesiastico: (9) « De quibus scriptum: - Principem te constituerunt ne eleveris. » Contra Ruffinum libro primo ait: « Loquitur et Sapientia, quam sub nomine Salomonis legimus: - In malevolam animam nunquam intrabit Sapientia. » Ad Julianum scribens hoc modo Ecclesiastici librum appellat: « Divina Scriptura loquitur: (10) - Musica in luctu intempestiva narratio. » In dialogo contra pelagianos (quod maxime observatione dignum est) ex eodem libro dicit: « Respondet (11) stultae interrogationi tuae Sapientiae liber: - Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris: » De Spiritu Sancto (12), verbis Joannis Apostoli censitis, et Apo-

(1) Est.XIV. 16. — (2) Tom.I. p.972.— (3) Tom.V. p.302.— (4) Esth.c.XIV. — (5) Tom. VI. p. 869.— (6) To.III. pag.451. — (7) Tom.VI. p. 292.—(8) Sap. c. VI. 11. — (9) Tom. 5. p. 962., et Eccl. c. XXXII. 1. — (10) Eccl. c.XXII. 6. — (11) Tom. II. p. 717. — (12) Tom IV. p. 753.

stolorum actibus, addit quoque Sapientiae testimonium: « De quo (Spiritu Sancto) et in Sapientia reperimus scriptum: (1) - Sanctus enim Spiritus disciplinae fugiet dolum, et recedet a cogitationibus stultis. » Ex Ecclesiastico pariter loquitur: (2) « Dicente Scriptura sancta: - Ne beatum dicas quemquam hominem ante mortem. » Ex eodem libro (3) ait: « Unde scriptum est: - Ne succendas carbones peccatoris. » Tandem in Hieremiam divus pater de Prophetae aetate locutus, inquit: « Ne aetatem consideres, alio enim Propheta (4) loquente, didicisti: - Cani hominis sunt sapientia ejus. »

Doctoris sancti hic testimonia enarrare, e Scripturis Deutero-Canonicis excerpta, sicuti illius scripta ostendunt, plus aequo res longe exiret. Haec interim hucusque numerata, dum cuique libros suos adire fas est, sufficiant; et potius alias illius sententias, et priores, quas retulimus, sedulo et accurate expendamus, quae ad negotium nostrum conducunt. Quae nuper enim nos diximus, tantum modum spectabant, quo ille Biblia Deutera legebat, non solum scilicet ut scripta humana, ut historias dubias, incerta testimonia, ast potius ut libros divinam inspirationem jactantes, formulis vulgatis donatos, quibus Scripturas Proto-Canonicas compellat, divinasque fide tenet. Nunc vero ceteras illius sententias disquiramus, quae a nostra fide alienae videbantur, et ab eo alio modo, aliisque verbis temperatae, ac explicatae fuere.

Primum enim respondens illis, qui libri Judith interpretationem postulabant, ait: « Apud hebraeos liber Judith inter apocrypha legitur, cujus auctoritas ad roboranda illa, quae in contentionem veniunt minus idonea judicatur. » Haec verba doctor egregius non ex semetipso loquitur, sed ex mente judaeorum extra eorum Canonem Scripturam istam respuentium, et ob hoc alienum a studiis suis hoc opus existimat, et desiderio suo non satisfaciens. Deinde sequitur addens: « Sed quia hunc librum Synodus nicaena in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquievi postulationi vestrae immo exactioni.... Accipite Judith viduam castitatis exemplum, et triumphali laude, perpetuis eam praeconiis declarate. Hanc enim non solum foeminis, sed et viris imitabilem dedit, qui castitatis ejus remunerator, virtutem ei talem tribuit, ut invictum omnibus hominibus vineeret, et insuperabilem superaret. »

(1) Sap. c. I. 5. — (2) Tom. IV. p. 57. Eccl. c. II. — (3) Tom. IV. p. 753. — (4) Ibid. p. 838. Sap. c. IV. 8.

In Tobiam autem dixerat Chromatio et Eliodoro: « Exigitis enim ut librum chaldaeo sermone conscriptum ad latinum stylum traham, librum utique Tobiae, quem hebraei de catalogo divinarum Scripturarum secantes, his, quae hagiographa, vel apocrypha memorant, manciparunt. Feci satis desiderio vestro, non tamen meo studio. Arguunt et nos hebraeorum studia; et imputant nobis contra suum Canonem latinis auribus ista transferre. Sed melius esse judicans pharisaeorum displicere judicio, et episcoporum jussionibus deservire, institi ut potui. » Ex his dictis tum de libro Judith, cum de Tobiae historia exsurget doctoris sententia, qua et Synodo nicaenae et episcopis credere magis et obtemperare volebat, quam pharisaeis placere. Insuper, ut paulo ante dictum est, ex ore hebraeorum Hieronymus extra Canonem has Scripturas rejicit, non autem ex suimet judicio, et quando tardus ad horum Bibliorum translationem apparet; hoc scandalo, in quod hebraei offenderent maxime in his libris transferendis, ut ait, non autem suae voluntati tribuendum est. Hoc quoque probatur ex alio loco, dum Tobiae librum sic praevenit: (1) « Liber quoque Tobiae, licet non habetur in Canone, tamen quia usurpatus ab ecclesiasticis viris, tale quid memorat, dicente Tobia ad filium suum: - Fili, ecce senui, et in eo sum, ut revertar de vita mea, tolle filios tuos, et vade in Mediam, fili, scio quae locutus est Jonas Propheta de Ninive, quoniam subvertetur. » Ut autem magis doctoris mentem ita se habere perspicuum sit, et solummodo illius prudentiam ex scriptis suis incusare possimus, Scripturae quaestiones ab Hebedia (2) illi propositas adeamus. In his eidem respondens divus pater, ad Danielis testimonium in trium puerorum Canticum repetens, ait: « Cumque illud eis oppositum fuerit: - Benedicite spiritus et animae justorum Domino: - Scripturam non recipiunt, dicentes, in hebraico non haberi. » Pariter contra pelagianos dixit: « Respondet interrogationi tuae Sapientiae (3) liber: - In simplicitate cordis quaerite Deum: - Et ne forte huic volumini contradicas, audi Apostolum dicentem etc. »

Scrutatum porro accedentes quidquid, post catalogum divinorum Bibliorum juxta judaeos, de Scripturis Secundis dixerit in libris Salomonis disserens, scilicet: « Sicut ergo Judith, et Tobiae, et Machabaeorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter Ca-

(1) Tom. VI. p. 390. — (2) Epist. 120. — (3) Sap. c. I. 1.

nonicas Scripturas non recipit, sic et haec duo volumina (Ecclesiasticum et Sapientiam) legat ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. » Eadem via, et pari ratione sunt haec nobis explicanda. Dum ipse optime noverat universam Christi Ecclesiam istas Scripturas legere, ac pariter judaeorum doctrinam contra harum divinitatem firmo permanere, securiorem partem elegit, ne tum hebraeorum synagogam laederet, cum nequidem christiani instituti traditionem respueret; eo magis, quod Hieronymi aetate hebraeorum doctrina, multitudo, potentia admodum vigerent, ac inter utrosque christianos scilicet, ac judaeos vel judaizantes contentiones quam plurimum invalescerent, sicuti nobis alibi dicendum erit. Quando ergo sacer scriptor ait: « Sed eos inter Canonicas Scripturas non recipit. » Ex sequentibus verbis interpretari debemus, nempe: « Sic et haec duo volumina legat Ecclesia ad aedificationem plebis, non autem ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. » Quasi diceret non contra hebraeos, neque haereticos e schola judaeorum venientes, his Scripturis utantur ecclesiastici doctores, quoniam apud istos libri isti non sunt Canonici, non aestimantur divini, eorumque auctoritas non praevalet; et Ecclesia contra istos congressa eorum auctoritate non utitur. Hanc autem esse mentis ejusque opinionis explanationem urget quidquid de libro Judith dixit: « Cujus auctoritas ad roboranda illa, quae in contentionem veniunt, minus idonea judicatur. » Ex hoc videamus, quantum doctor verbis *minus idonea* sententiam superiorem temperavit, vel potius explicavit. Dionysius charthusianus in prologo ad Tobiam videtur eadem ratione doctoris mentem interpretatus esse, dum ejusdem verba sic legit: « Legat quidem Ecclesia ad informandos mores, non ad confirmationem atque probationem eorum, quae veniunt in contentionem, idest credendorum, de quibus inter Catholicos, et incredulos extat disputationis contentio, sed ad morum informationem. »

His legibus praeterea, etiam vocabulum *apocryphum* ex illius ore neque aliunde est interpretandum; nam quoties ipse scripta Deutero-Canonica apocrypha appellavit, alias pariter illius sensum tribuit. De libris enim Salomonis Deuteris, quos antea inter apocryphos in Scripturae Canone numeravit, in praefatione de istis libris, quae habetur in postremo illius operum volumine, scripsit: « Canonicas Scripturas emendare desiderans, et studium meum certis, quam dubiis commendare. » Quando au-

tem in suis scriptis occurrit mentio de libris, qui prorsus extra Canonem ecclesiasticum existimantur, et ab omnibus reprobantur, Biblia *apocrypha* nominat, verum etiam addit: « Et qui ab omnibus rejiciuntur. »

Nobis etiam advertendum est nomen ψευδεπίγραφον *falso inscriptum*, quod Hieronymus libro Sapientiae et Baruch Epistolae, vel Hieremiae concedit, libri auctoritati non officere, solummodo autem illius Scripturae auctori, de quo, sicuti de aliis, quibus Biblia Canonica inscripta sunt, Synodus tridentina nihil decrevit, de libri divinitate potius sollicita quam instrumentis, quibus Deus usus fuerit ad homines suam voluntatem edocendos.

Nunc autem supersunt expendenda, quae sacer interpres scripsit in Danielem: « Haec idcirco refero, ut difficultatem vobis Danielis ostenderem, qui apud hebraeos, nec Susannae habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Beli draconisque fabulas, quas nos etc. » Sententiam hanc aliis verbis doctor paulo post, sigillatim dictiones σκίνου et πρίνου scrutatus, moderatur inquiens, ob vocabula ista hebraeos hanc pericopen ex eorum Canone respuere, cum e graeca origine derivent: « Et nos cogemur eis assentiri, si non fuerit inventa ex hebraeis etymologia; quod si quis ostenderit duarum istarum arborum scissionis, et sectionis in hebraeo stare etymologiam, tunc poterimus etiam Scripturam recipere. » Inspiciat quivis quantum moderationis prae aliis habeant in se ista verba, dum trium rerum difficultas, quae a Hieronymo in praefatione junctae sunt, in duobus verbis hic tantum coalescat; denique in fine hujus libri addit: « Si quis autem potuerit eam adprobare esse de Canone, tunc quaerendum est quod ei respondere debeamus. » Hujus vero pericopae ratione, et aliarum, quae in libro Danielis Proto-Canonico non leguntur, disquisitionem admodum opportune, quae inter Hieronymum et Ruffinum de eisdem concitata fuit, proponere existimo; de qua et Ecclesiae traditio de argumento nostro, et Hieronymi vera suimet sententia nobis clare prodit: « Et quidem, ait Ruffinus, (1) cum ingens copia fuisse ex initio in Ecclesia Dei, et praecipue Hierosolymis, eorum qui ex circumcisione crediderant, referatur, in quibus utique linguae utriusque perfectam fuisse scientiam, et legis peritiam probabilem, administrati pontificatus testatur officium. Quis ergo in ista eruditorum copia ausus est instrumentum divi-

(1) Tom. II. p. 660.

num, quod Apostoli ecclesiis tradiderunt, et depositum Sancti Spiritus compilare? An non est compilare, quum quaedam quidem immutantur, et error dicitur corrigi? Nam omnis illa historia, quae castitatis exemplum praebebat ecclesiis Dei, ab ipso abscissa est et abjecta et posthabita. Trium puerorum hymnus, qui maxime diebus solemnibus in ecclesiis Dei canitur, ab isto e loco suo penitus erasus est.» Hic interea fatendum est cum Ruffino, vera esse, quae Hieronymo ipse objiciebat non solum de hac pericope Danielis, verum etiam de aliis libris et additionibus, quae ab hebraicis voluminibus aberant, quae vero graeca legebantur in omnibus fidelium ecclesiis; nam et hoc ex ejusdem doctoris verbis adstruitur, qui ad amicos episcopos, et ad alios fidei socios scribens, conqueritur de oppositione quorumdam, qui minime probabant non tantum novam suam ex hebraeo Scripturarum interpretationem, verum etiam novum librorum ordinem, segregatis hebraeorum Scripturis ab illis, quae vocantur Deutero-Canonicae, et amplius quorumdam librorum Prophetarum partibus nonnullis prorsus abscissis. Ita enim in praefatione Hieremiae dicit: « Praeterea ordinem visionum qui apud graecos et latinos omnino confusus est, ad pristinam fidem correximus. Librum autem Baruch notarii ejus, qui apud hebraeos nec legitur, nec habetur, praetermisimus; pro his omnibus maledicta ab aemulis praestolantes, quibus me necesse est per singula opuscula respondere. » Idem repetit in Danielem de ejusdem libri additamentis: « Quae, ipse scribit, quia in toto orbe dispersa sunt, veru anteposito, easque jugulante, subjecimus, ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse. » Pariter in librum Esther ad Paulam, et Eustochium, confecta ex hebraeo illius libri versione, et notatis quae in graecis editionibus legebantur, in hebraeo omissae, dicit: « Nec affectamus laudes hominum, nec vituperationes expavescimus. » Hoc idem excipitur e praefatione Tobiae et Judith, dum ipse scribit ad episcopos, qui horum Bibliorum cupiebant interpretationem; e quibus omnibus divus doctor sententiam suam postea, ut antea dixi, emendare, vel melius explicare coactus est, ut hic facit, cum supradicti Ruffini verba et ceterorum aegre ferens, eidem respondet, eumque arguit, quasi non aeque mentem suam interpretatum: « Quod autem refero, quid adversum Susannae, et Beli, et draconis fabulas, et hymnum trium puerorum, quae in hebraico volumine non habentur, hebraei soleant dicere; qui me criminatur, stultum se sycophantam probat. Non enim

quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere soleant, explicavi. Quorum opinioni si non respondi in prologo, brevitati studens, ne, non praefationem, sed librum viderer scribere, puto quod statim subjecerim. Dixi enim, de quo non est hujus temporis disserere; alioquin, et eo, quod asserui Porphyrium contra hunc Prophetam multa dixisse, et vocavi hujus rei testes Methodium, Eusebium, Apollinarium, qui multis versuum millibus illius vesaniae responderunt, me accusare poterit, quod non in praefatiuncula contra libros Porphyrii scripserim. »

Praeterea hic censere juvat pro Hieronymo erga Danielis scripta Deutero-Canonica quidquid doctor idem de Africano, qui menti judaeorum favens in sua epistola ad Origenem, hanc de Susannae historia quaestionem objiciebat: « Contra quem, inquit latinus pater in libro de viris illustribus, doctam epistolam scribit Origenes. » Quae verba, ut suo loco de hac epistola agemus, haud Hieronymus pronunciasset, si nostrorum Bibliorum auctoritatem respuisset.

Animadvertere quoque licet ex iis, quae dixit Hieronymus in tertia apologia contra Ruffinum de Septuaginta interpretum usu, deque Danielis additamentis, ubi eidem opinionem suam de horum auctoritate explanavit, atque ex nuper citata epistola Origenis ad Africanum, quae tota versatur de quaestione nostra, persuasum fuisse divo interpreti de horum librorum divinitate omnium, quotquot Deutero-Canonici appellantur. Nam hae Scripturae, etsi ab hebraeis e Canone eorum rescissae, in omnibus Christi ecclesiis una cum aliis libris legebantur, et ante illius aetatem, ut fatetur, et nullus ex scriptoribus ejusdem sancti coaevis, et qui statim post illius obitum scripserunt, neque auctoritati divinae Bibliorum nostrorum derogarunt, nec inter Priores, ac Deuteras Scripturas illud Hieronymi discrimen, ut vellent, et explicant adversarii, apposuerunt. Et etiam si episcopi Hieronymi acceperint novam illius ex hebraeo versionem, attamen censum librorum divinorum, et ordinem antiquum, quo legebantur in Septuaginta graecorum et latinorum versione, non immutarunt, neque quidquam horum minoris auctoritatis fecerunt. Et hoc jure decernimus ex Chromatii illius amici scriptis, ex Augustino, qui etsi illius peritiam in divinis Scripturis et aetatem semper veneratus, attamen constantissime divinitatem nostrorum Bibliorum coram Hieronymo et haereticis propugnavit; ex Concilio carthaginensi, quod has omnes Scripturas suscipit, singulis Maurita-

niae episcopis suffragantibus; ex Innocentio Primo, Romanae Ecclesiae Pontifice, qui ob hoc ad Exuperium tolosanum scribens, eumdem librorum Canonem constituit; ex ecclesiae hispanicae antistitibus, qui versionem ejusdem Hieronymi videntur primum accepisse, nulla vero facta Scripturarum animadversione, ut infra videndum erit. Et haec omnia insuper acta sunt, cum adhuc in vivis degeret Hieronymus. Quare merito conjici potest Sanctum ante illius mortem aequo sensisse de Bibliis Deutero-Canonicis, suamque in hac re universalis Ecclesiae fidei accommodasse sententiam.

Tandem in quaestionem revocantes, quae divus interpres in libros Salomonis dixit: « Legat, nempe, ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem dogmatum ecclesiasticorum confirmandam. » Et aliud in Tobiam: « Cujus auctoritas ad roboranda illa, quae in contentionem veniunt, minus idonea judicatur. » Praeter illud, quod saepissime in suis scriptis Deutero-Canonicas Scripturas arcessierit, utpote divina auctoritate praeditas, hoc argumentum sub dilemmatis specie in medio ponamus. Vel Hieronymus, praedictis similibus verbis, divinitus inspiratas has Posteriores Scripturas credidit, seu aliter sensit. Si divina inspiratione scripta fuisse haec Biblia credebat Sanctus, necesse est sustollere discrepantiam, quam ille superius commentus est, et alias causas, scilicet viros, loca, seu tempora repetere, inter quas maxime esset notanda prudentia haud illorum auctoritate coram judaeis utendi, sicuti dictum est; nam dum divinarum Scripturarum titulo insignita sunt ab eodem, nulla differentia inter Priores et Posteriores Scripturas est admittenda, quoniam unus idemque Spiritus, essentia immutabilis, sapiens, suisque in verbis infallibilis auctor primarius esset, ac simplex instrumentum scriptor maneret. Contra vero, si divus pater Biblia eadem nonnisi ingenii humani foetum ac praeter inspirationem noverat, eidem nulla ratione ex iis, utpote divini libri, et Scripturarum partes, plurima testimonia sumenda forent, neque nomine, neque honoribus paria existimanda illis Proto-Canonicis quasi libri divini, scripta sacra, vel prophetica, ut antea egisse ostendi; ad summum, doctor aestimatione, et auctoritate eos exornasset, quam scriptis Ecclesiae doctorum, qui eum praecesserunt, impertivit, quod nullibi fecit, nec excogitavit.

Certo, nobis Hieronymi zelum, et animum illius effervescentem, atque aetatem condonantibus, doctor cunctis praesto erit tum

episcopis complacendo, consuetudinem seu Ecclesiae traditionem recolendo, tum doctrinam Catholicam et Apostolicam complectendo, ac tandem Ecclesiae Romanae exhibendo se socium, quod idem Damaso Romae Pontifici profitetur, inquiens: « Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuae idest Cathedrae Petri communione consocior; super illam petram aedificatam Ecclesiam scio; quicumque extra hanc domum agnum comederit profanus est. »

§. X. Sanctus Hilarius, eodem fere Hieronymi tempore, in Ecclesia pictaviensi episcopus excellebat tum christiano zelo, tum doctrina ecclesiastica adeo, ut brevi tempore, quo Christi socius per Evangelium factus est, illius vindicator, et Catholicae Ecclesiae columna merito sit appellatus.

E scriptis illius, quotquot nobis supersunt, et inveniri potuerint, in Scripturas Deutero-Canonicas quantum fuerit ejus obsequium e sequentibus liquet, ubi sententias ex illis sibi in auctoritate divina inspiratione ditavit. In Psalmo (1) CXXV: de Daniele disserens in lacu leonum cum Habacuc, et de tribus pueris in medio fornacis cantantibus, et Eleazaro juxta Machabaeorum librum secundum, ait: « Testes mihi sunt tres pueri inter flammas cantantes; (probat enim fidelis animae libertatem etiamsi corpore captivae) testis Daniel in fame leonum Prophetae prandio saturatus; testis Eleazar inter jura dominorum, patriis suis legibus liber; testes cum matre sua Martyres septem, Deo gratias inter nova mortis tormenta referentes. » In eodem Psalmo e libro Judith (2) quasi e libro legali veteris foederis dixit: « Discentes haec omnia a Lege, et Prophetis, Evangeliis et Apostolis; et e Lege cantantes: - Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi. » Psalm. CXVIII. Sapientiae libri (3) testimonium compellat tamquam ex ore Prophetae: « Et rursus Propheta: - Magna enim sunt judicia tua et inenarrabilia. » De eodem libro Psalmo CXXXVI: «Quod autem in omnia temperationis suae spiritus transfusus, et penetrans sit, docet Propheta dicens: (4) - Spiritus Dei replevit orbem terrarum. » Contra arianos (quod maxima ponderatione dignum est) qui sola Dei Patris divinitate celebrata, Filio auferebant quod Deus est; inter alia Scripturae testimonia, illud Danielis de Susanna sumit, dicens: « Hunc omnia providentem, sicut beata Susanna dicit: - Deus aeternus absconditorum cognitor, sciens omnia

(1) Edit. Mau. — (2) Jud. c.XVI. 3. — (3) Sap. c.XVII. 1. — (4) Sap. c.I. 7.

ante generationem eorum. » Contra eosdem libro I. de Trinitate num. 7, hunc de Deo pulcherrimae sententiae modum propheticis vocibus apprehendit: « (1) De magnitudine enim operum, et pulchritudine creaturarum consequenter generationum conditor conspicitur. » De spiritualibus virtutibus ex Tobia ait: (2) « Sunt secundum Raphael ad Tobiam loquentem, angeli assistentes ante claritatem Dei; et orationes deprecantium ad Deum deferentes. » In Psalm. CXL. num. 5. « In eo enim libro, qui nobiscum Salomonis inscribitur, apud graecos autem, atque hebraeos Sapientia Sirach habetur, monemur: - (3) Ecce circumvalla possessionem tuam spinis, argentum et aurum tuum constitue; et ori tuo fac ostium, et seram, et verbis tuis jugum. » Libro quinto de Trinitate num. 41. ex Baruch dicit: « Audi enim praeter Moysen et Isaiam, tum tertio id ipsum quoque et Hieremiam docentem: - Hic Deus noster, et non deputabitur alius ad eum, qui invenit omnem viam scientiae, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo; post haec in terra visus est, et cum hominibus conversatus. » Alibi « Nec Dominum audiunt dicentem: - Peccasti (4), quiesce. » E libro contra Constantium imperatorem num. 6. « Sciat a martyre esse dictum regi (5) Antiocho: « Tu quidem iniquus de praesenti vita nos perdis, sed Rex mundi defunctos nos scies pro legibus in aeternam vitam in resurrectionem suscitabit. »

Hujus autem doctrina non solum Germanicae primae episcopis, et Germanicae secundae, et Belgicae innotuit, verum etiam Seleucide et Constantinopoli docebat, arianos opprimebat invicta constantia, ac contra eosdem ubicumque auctoritatem ex Bibliis Primis et Secundis pariter, nulla habita ratione, compellans.

Nihilominus is ab adversariis in testem vocatur inter illos Ecclesiae patres, qui Canoni judaeorum favebant, illis verbis Hilarii sumptis, quae prologo suo in Psalmos dixit. Hic enim doctor censet Canonem Scripturarum juxta judaeos, et viginti duos esse ait, quos vanum est hic describere. Videat quisque, quod hoc loco ad hujusmodi censum doctor inducitur ex quadam chabala, quae circa vocem Ogdoadem in Psalmis reperienda erat. Ex hac enim mystica dispositione hebraeis tantum satisfaciente, transit ad computationem librorum 22. sacrorum juxta eosdem, et in fine subjungit: « Quibusdam autem visum est, additis Tobia et Judith,

(1) Sap. c.XIII. 5. — (2) Tob. c.XII. 15. — (3) Eccl. c.XXVIII.28. — (4) Ecc. c XXI. 1. — (5) Mac. 2. c. VII. 9.

viginti quatuor libros secundum numerum graecarum litterarum connumerare. Nihil postea agit, quid vel quomodo Christi Ecclesia libros sacros veteris testamenti censuerit. Quidquid autem hic scripsit, e libris Origenis, quos ipse transtulit, vel in iis versatus est, in sua scripta subintulit, de quibus suo loco sermo habebitur, et illius doctrina explanabitur.

§. XI. Hieronymi aetate, illiusque quondam amicissimus, scribebat aquilejensis presbyter Ruffinus historiae ecclesiasticae libros duos, et in aliquot Psalmos commentaria, et alia in quibus pro Scripturis Deutero-Canonicis auctoritates earum nonnullas refert, divinaque inspiratione munitas credit. In Psalmo XVII Ecclesiasticum (1) adit dictis illis: « Scriptum est, quemadmodum Proto-Canonicas appellat: - In omnibus operibus tuis memorare novissima tua. » Sententiam illam Psalmi XXXVI: « Considerat peccator justum. » Sic interpretatur: « Dicit quod in libro Sapientiae (2) praedictum est: - Gravis est etiam nobis ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita ipsius, et immutatae sunt viae ejus. » In Oseam Ecclesiastici librum (3) vocat: « Sed conamur facere sicut scriptum est: - Sapiens audiens verbum collaudat et adjiciet ad illud. » In Psalmum VII. rursus Ecclesiastici Scripturam refert: « Initium omnis peccati superbia. » Alibi autem eadem verba enarrans, hoc modo praesumit: « Magnum hoc delictum caput atque causa omnium delictorum, scriptum est enim: - Initium omnis peccati superbia; et ne quasi leve aliquid contemnas: - Initium, inquit, superbiae hominis apostatare a Deo. » Alibi autem Ruffinus Biblia Posteriora censet, utpote divina, e quibus illud in symboli Apostolorum expositione enunciare credimus, inquiens juxta Baruch verba: « Quod et Propheta praedixerat, ubi ait: - Hic Deus noster, qui in terra visus est, et cum hominibus conversatus. »

Attamen, cum haec omnia ita sint, Ruffinus inter illos, juxta adversarios, habetur, qui Canoni hebraico favent, dum in praedicto symbolo Apostolorum illis dictis *secundum Scripturas* censionem facit Bibliorum divinorum juxta synagogae volumina; et ab his secat Sapientiae, Ecclesiastici, Tobiae, Judith et Machabaeorum libros, subjungens: « Quae omnia legi quidem in Ecclesia voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. »

(1) Ecc. c. VII. 40. — (2) Sap. c. II. 15. — (3) Ecc. c. XXI. 18.

In hac vero sententia mihi, nullo modo, mentis Ruffini aequitas adest, dum et antea, ut visum est, Scripturas Deutero-Canonicas compellat, ut divinas habet, et in auctoritatem ad sua dicta comprobanda sumit. Iste amplius toto animi ardore Hieronymum redarguit, quod ipse ex Apostolicis Scripturis secreverit Danielis partes nonnullas, sicuti paulo ante memoravimus; quando hoc loco e contra Hieronymi opinioni de Bibliis Secundis adhaeret. Praeter hunc locum profecto nullibi legitur e scriptis illius, qui nobis supersunt, minoris auctoritatis habuisse Ruffinum Scripturas Deuteras. Ast mihi accurate animadvertenti praelata symboli verba facile occurrit suspicio, eamdem mentem ibi scribere, quae concipitur in Hieronymi praefatione de Salomonis Bibliis, immo eadem verba, quae doctor sanctus excogitavit in libris Primis a Deuteris secernendis: « Legit quidem Ecclesia, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam » adeo ut Hieronymus vere, et non Ruffinus, Symboli auctor esse videatur. Praeter hoc in Symbolo legimus Scripturae verba juxta Septuaginta interpretum versionem relata, quod Hieronymum tantum aliquando fecisse constat, nunquam autem Ruffinum suis in commentariis. Tandem hic tractatus occurrit inter opera sancti Hieronymi. Immo seorsim hic Oxonii edebatur sub ipsis rei typographicae initiis, anno 1468. sub hoc titulo — Expositio s. Hieronymi in Symbolum Apostolorum ad Papam Laurentium. — Quae omnia lectoris judicio remitto.

§. XII. Eodem tempore, flos sanctitatis et doctrinae christianae catholicae propugnaculum vigebat Ambrosius, Ecclesiae mediolanensis regimen mirabili modo aggressus. Is Romae praeter Fori studia, divinarum Scripturarum lectioni vacavit, in quibus quantum sibi, et aliis profecerit, illius scripta testimonium exhibent, sicuti etiam illius erga Scripta Deutero-Canonica fidem testantur. Libro secundo de Fide (1) contra arianos Ecclesiastici (2) verba sic protulit: « Nec videatur coepisse ex tempore, qui ex Patre nascendo prodiit, ut dixit ipse, qui natus est: - Ex ore altissimi prodivi. » In Psalmo primo in eumdem librum (3) adit inquiens: « Non enim otiose scriptum est: - Ante mortem ne laudaveris aliquem. » De Paradiso cap. XII: « Sicut Salomon (4) ait: - Quia invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum. » De Ja-

(1) Lib. II. c. VII. Edit. Maur. — (2) Ecc. c. XXIV. — (3) Ecc. c. XI. 30. — (4) Sap. c. II. 24.

cob et de vita beata c. VIII. loquitur: « Et juventus cana consiliis, de qua dicit Scriptura:(1) - Senectus enim venerabilis, et aetas senectutis vita immaculata. » De vita beata (2) pariter, Patriarchis memoratis, et Prophetis nonnullis, subjungit: « Danielem sanctum, cum inter leones staret intrepidus, et prandium (3) ei raptus ab Angelo Propheta deferret. Non utique ideo beatus, quia alienum prandebat prandium, sed quia meritis suis impasta leonum ora claudebat. Quis autem non beatam dixerit matrem Machabaeorum, quae septem filiorum funeribus octavam se addidit ad laudem coelestis triumphi? » Et inde narrans pergit ad historiam septem martyrum Machabaeorum. Ambrosius idem de Tobia librum unum contexuit, qui sic incipit: « Lecto prophetico libro, qui inscribitur Tobias, quamvis plene vobis virtutes sancti Prophetae Scriptura insinuaverit, tamen compendiario mihi sermone de ejus meritis etc. » Et breviter Tobiae gesta enarrat. De Jejunio autem illius auctoritatem sumit dicens: « Non venalis est Dominus, sed tu ipse venalis es; redime te pecunia tua; vilis pecunia, sed praetiosa est misericordia: - Eleemosyna, inquit, a peccato liberat. » In libro de Viduis historiam Judith commendat doctor: « Sed ut discas maturae viduitatis affectum, seriem ipsam persequere Scripturarum: - Diebus enim viri sui, quibus ille defunctus est, vestem jucunditatis deposuit, moeroris assumpsit, per omnes dies intenta jejunio. » Libro tertio de Virginibus ejusdem Judith et Susannae gesta retulit. Tandem primo libro de Fide (5), sic: « In Hieremiae quoque libro unum Deum Scriptura dicit; et tamen et Patrem et Filium confitetur. Itaque sic habes: - (6) Hic Deus noster, et non reputabitur alius ad eum, hic adinvenit omnem viam disciplinae; et dedit eam Jacob puero suo. » Haec interim sufficiant ad Ambrosii mentem pro Scripturis Secundis patefaciendam, dum quisque illius libros aditurus praeter ista, testimonia multa ex his Bibliis sumpta colligere potest. Ejusdem etiam in regiones Graeciae itinera, et illius linguae peritiam, et Aquilae versionem prae manibus habuisse noverit lector; quae omnia potiorem illius auctoritatem pro Deuterarum-Scripturarum divinitate conferunt.

§. XIII. Sanctus Chromatius episcopus aquilejensis juxta Hieronymi testimonium, doctissimus, ad quem, ut vidimus, scribit in

(1) Sap. c.IV. 8. — (2) Lib.II. c.IX. — (3) Dan. c.XIV. 35.— (4) 2.Mac.c.VII. — (5) Lib. I. c. III. — (6) Bar. c. III. 36.

praefatione libri Tobiae. Quamvis ipsum Hieronymi opinio de Bibliis Deutero-Canonicis non fugeret, in libris Proto-Canonicis, a Secundis secernendis, versata, tamen ex ipsis testimonia sumens, modis ac formulis usus est, quibus divina inspiratio in his Scripturis confirmatur. In libro enim de octo beatitudinibus, Ecclesiastici librum petit hisce verbis: « Secundum quod ipse Dominus per Salomonem (1) testatur: - Qui me manducant adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient. » Alibi: « Unde et per Salomonem Spiritus Sanctus contestatur (2) dicens: - Qui spernit modica paulatim decidet. » Testimonia alia e Scripturis Secundis petita pro earum divinitate in Bibliotheca Patrum, saeculo quarto, invenienda sunt.

§. XIV. Idacius Clarus hispanus episcopus, obeunte saeculo quarto, scribebat contra Varimadum arianum libros tres (3), qui sub dialogi specie nobis exhibentur, e quibus Scripturae Deutero-Canonicae, inter alia testimonia divina, ab invicem explicantur. Ex Esther (4) enim additamentis ait: « Domine, Domine Deus omnipotens omnia in potestate tua sunt.... » « Si Trinitas non est, paulo post subjungit, cur etiam Judith (5) orando ait: - Domine, Domine Deus virtutum omnium, respice in orationem meam. » Alibi de Baruch libro testatur dicens: « Si unus Deus non sunt Pater et Filius, quis est hic Deus, in quo esse dicitur Deus, praeter quem alium Deum non esse, Propheta sub numero protestatur dicens? et Hieremias: - Hic Deus (6) noster, ait, et non applicabitur alius ad eum; et cum hominibus conversatus est. » Ex Ecclesiastico (7) hoc testimonium sumit: « Et in Salomone: - Miserere nobis Deus omnium, et ostende nobis lumen miserationis tuae, et immitte timorem tuum super gentes, quae non inquisierunt te, ut cognoscant quoniam non est Deus, nisi tu. »

E Scriptura Sapientiae (8) legit: « Et in Salomone: - Non enim impossibile erat manus tua, quae creavit orbem terrarum ex materia invisa, immittere illis multitudinem ursorum, aut audaces leones. » Sicuti Patri etiam Filio a prisci temporis sacerdotibus fuisse sacrificium oblatum contra ipsum Varimadum ex hymno trium puerorum probat: « Daniele (9) propheta dicente: - Non est locus, inquiunt tres pueri, ad sacrificandum nomini tuo, ut pos-

(1) Eccl. c. XXIV. 29. — (2) Eccl. c. XIX. 1. — (3) Bibl. Patr. saec. 4. — (4) Est. c.XIII. 9. — (5) Judit. c. IX. 17. — (6)Baruc. c. III. 36. — (7) Eccl. c. XXXVI. — (8) Sap. c.XI. 18. — (9) Dan. c. III. 38.

simus invenire misericordiam. » Ecclesiastici (1) pariter auctorem Prophetam nuncupat, inquiens: « Et Propheta: - Qui genuit me requievit in tabernaculo meo. » Machabaeorum (2) libri secundi verba refert: « Eliodorus autem, quod statuerat perficiebat eodem loco cum satellitibus suis circa aerarium praesens; sed Spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suae ostensionis evidentiam etc. » Ex capite tertio Tobiae dicit: « Cur Tobias, cur filium suum in Rages civitatem mitteret cum Raphaele Arcangelo benedicens eum, ita dixisse docetur: - Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob ipse impleat benedictionem suam in vobis? » Varimadus idem contra doctorem, ecclesiastici verba protulit, inquiens: « Contra, si tibi dixerit illud, quod scriptum est: - Spiritus Prophetarum Prophetis subjectus est. » Haec omnia testimonia de Patre et Filio, in libri initio Idacius ait, a Prophetis et Apostolis esse praedicata. Tandem hoc addere, de his libris contra Varimadum, placet, quod nonnulli non Idacio sed potius Vigilio hos tribuunt. Quomodocumque sit res, nihilo nobis imminuitur argumentum.

§. XV. Divus Brixiae episcopus Gaudentius eadem aetate scribens, nobis aliquot in varia Scripturae loca tractatus reliquit, in quorum praefatione ex Tobia (3) dicit: « Eleemosyna quippe a peccato liberat, et facit invenire misericordiam. » In eodem loco Sirach librum vocat: « Si autem justus es, nomen quidem justi praesumere non audebis, intelligis tamen ad gloriae tuae probationem evenire quod pateris, scriptum (4) est enim: - Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. » Tractatu XIII. ad eumdem librum refertur dicens: « Loquitur Scriptura: - (5) Conclude eleemosynam in corde pauperis, et ipsa pro te exorabit ad Deum. » Tractatu XV. agit de martyribus Machabaeis, et illorum sacram historiam narrat. E Sapientiae auctore ait: « Scriptum (6) est enim, quoniam invenitur ab his, qui non tentant eum; apparet vero his, qui fidem habent in eum. »

§. XVI. Aurelius Prudentius, poëta christianus, carmina egregia scripsit, e quibus aliquando exsurgit historia Deutero-Canonica. In Psychonomachia illud Judith sic modulatur:

« Assyrium postquam thalamum cervice Holoferni
Caesa, cupidineo madefactum sanguine lavit,
Gemmatumque thorum Maechi ducis aspera Judith

(1) Eccl. c.XXIV. 12. — (2) 2. Mac. c.III. 23. — (3) Bibl. Patr. c.IV., et Tob. c. IV. 11. — (4) Ecc. c. XXVII. 6. — (5) Ecc. c. XXIX. 15. — (6) Sap. c. I. 2.

Sprevit, et incestos compescuit ense furores
Famosum mulier refusus ex hoste trophaeum
Non trepidante manu, vindex mea, coelitus audax. »

In hymno quarto de Daniele in medio leonum, et de Habacuc illi prandium ferente, canit:

« Adstant cominus et jubas reponunt (leones)
Mansuescit rabies, famesque blanda
Praedam rictibus ambit incruentis.
Sed cum tenderet ad superna palmas,
Expertumque sibi Deum rogaret
Clausus jugiter, indigensque victu;
Jussus nuntius advolare terris,
Qui pastum famulo daret probato.
Raptim desiliit, obsequente mundo.
Cernit forte procul dapes inemptas,
Quas messoribus Habacuc Propheta
Agresti bonus exhibebat arte,
Hujus caesarie manu prehensa
Plenis, sicut erat, gravem canistris
Suspensum rapit, et vehit per auras. »

§. XVII. Initio saeculi quinti, episcopus taurinensis floruit sanctus Maximus. Suis in sermonibus, de Jesu apud Pilatum falso accusato disserens, calumniam istam innocenti Susannae comparat; ac inde plura testimonia ex istius mulieris historia repetit. In diei quoque paschalis Homilia ad Ecclesiastici librum venit, Filii divinitatem probans: (1) « Ipse enim, idest Filius, est dies, qui ait per Salomonem: Ego feci, ut oriretur in coelo lumen indeficiens. » Sapientiae Scripturam adit: « Dicens, quod in junioribus senectus quaedam sit honestatis, inquit Propheta: (2) Senectus enim venerabilis, non diuturna, nec numero annorum computata. » Pro divinitate Deuterorum Bibliorum haec sint satis. De ceteris, Patrum Bibliothecam consulat qui his plura cupit.

§. XVIII. Eadem aetate divus Paulinus, nolanus episcopus epistolas varias, ac poemata egregia edebat, in quibus facile lectori testimonia nonnulla sumpta (3) ex Scripturis Deutero-Canonicis veteris foederis objiciuntur. Juxta Ecclesiasticum (4) in epistola XI.

(1) Eccl. c. XXIV. 6. — (2) Sap. c. IV. 8. — (3) Edit. Paris. — (4) Eccl. c. VI. 15.

ad Severum inquit: « Quia amico fideli nulla est comparatio, et lingua gratiae in bono homine abundat. » Ad Pammachium epistola XIII. e libro Tobiae loquitur: « Sanctam vere et sanctificatam spem perhumandi curam, nos Tobias docet, hujus specialiter muneris praerogativa justificatus a Domino, et Archangeli voce laudatus, quod praetulisset prandio suo pauperis sepulturam. » In eadem epistola dicit: « Nam id quoque Deo placitum monstrat Scriptura divina (1) cum dicit: - Fili produc lacrymas in mortuo, et quasi dira passus incipe plorare; et non despicias sepulturam illius. » Pariter ad eumdem e Sapientiae libro loquitur: « Neque tibi, sancte frater, hinc acrior doloris stimulus ingeratur, quod primaeva decessit, quoniam huic ipsi casui solatium praebet sermo divinus: (2)- Justus enim, inquit, si morte praeventus fuerit, in refrigerio erit. » E libro Baruch ad Aprum epist. XXXVIII. « Hunc tu Dominum et Deum nostrum, quia non aestimabitur alius ad eum; (alibi) in terra visus est, et cum hominibus conversatus. » In hymno de sancto Felice, his verbis Judith virtutem celebrat:

« Terrentemque manu late populos Holofernem
Arte pudicitiae deceptum callida Judith
Risit, in impuro, quae non polluta cubili
Barbara, truncato victrix duce, castra fugavit. »

In eodem carmine de tribus pueris in medio fornacis psallentibus, canit:

« Sed velut aeternos pueris recinentibus hymnos
Roscidus accensos discussit spiritus ignes. »

§. XIX. Sulpitius Severus, quo valde familiariter utebatur sanctus Paulinus, duos libros scripsit de sacra historia, qui velut Scripturae epitome habentur, in quorum initio ait: « Res a mundi exordio sacris litteris editas breviter constringere, et cum distinctione temporum usque ad nostram memoriam carptim dicere aggressus sum. » Hisce in voluminibus de Tobiae gestis mentionem facit, et Judith historiam narrat. In libro Esther partes Deuteras comprehendit. De tribus pueris in libro Danielis: « Quum aspectantibus deambulantes in camino psalmum dicere Deo cernerentur. » De Susanna inquit: « Maxime itaque Danielis egregiam ad conservandam legem perseverantiam, et in absolutione Susan-

(1) Eccl. c.XXXVIII. 16. — (2) Sap. c.IV. 7.

nae. » Censet etiam Beli et draconis historiam, ac ita Machabaeorum gestis memorandis, ad cetera transgreditur.

§. XX. Sanctus Eucherius episcopus lugdunensis, qui circa dimidium saeculi quinti vixisse existimatur, commentaria in varios Scripturae libros reliquit, in quibus testimonium pro Deuteris Bibliis eruitur, et maxime in interpretatione hebraeorum nominum, qui in Canone sacrae Scripturae habentur: « Sic Daniel, qui in presbyterorum judicio sententiam divinae disceptationis exhibuit. Judith laudans. Raphael medicina Dei ex Tobia. Susanna lilium, *Elul* in Machabaeorum libro. Beel vetustas idolum babylonium. Haec nomina invenire ait in Canone divinorum librorum. Quidquid autem scriptores de his commentariis praesumpserint, utrum divi Eucherii opus sint, an non, nihili mea interest; scripti enim auctoritatem quaero, non autem illius auctorem.

§. XXI. Una cum Eucherio scribebat Claudianus Mamertus episcopus viennensis (1) de Statu animae insigne Opus. In hoc animae immortalitatem probans Sapientiae librum (2) compellat: « Audiamus igitur quid imaginis suae pronunciet inimicis divina Sapientia: - Dixerunt, inquit, impii cogitantes non recte, exiguum, et cum taedio est tempus vitae nostrae, et extinctus cinis erit corpus nostrum, et spiritus diffundetur tamquam mollis aer. »

§. XXII. Aquitanus Prosper regiensis episcopus, temporibus Leonis primi pontificis vixit, cujus Trithemius (3) in Scripturis eruditionem, ingenii subtilitatem, conversationis sanctitatem miratur. In libro primo de promissionibus et praedictionibus Dei, Sapientiae Scripturam (4) adit hujusmodi eloquio: « Cujus dispensatione creator omnium Deus, omnia ex nihilo formare dignatus est, ut Scriptura sancta proloquitur: - Ex materia invisa summa mediis, et media imis libratione perpendens. » Librum Tobiae in auctoritatem sumit (5) in eodem libro cap. XXXVI. quando dicit: « Obnoxiusque est legi generali, qua dictum est: quod tibi fieri non vis, alii ne feceris. » E Baruch libro (6) nomine Hieremiae donato haec haurit: « De daemonum autem cultoribus (7) Hieremias scribens ait: - Ubi fuerunt gigantes nominati scientes praelium. Non hos elegit Dominus, nec viam scientiae dedit eis; et perierunt propter quod consilium non habuerunt: » Antea autem dixerat ex Hieremiae (8) ejusdem epistola: « Ingressi in Babilo-

(1) Bibl. Patr.— (2) Eccl. c.II. 1.— (3) Bibl. Patr.— (4) Sap. c.XI.— (5) Tob c. IV. — (6) Baruc. c. III. — (7) Lib.X. pars II. c. IX. — (8) Bar. c. VI. 3.

niam videbitis ibi deos aureos et argenteos portari in humeris. »

Ibidem Cap. XXXIII. de Daniele et Ezechiele in captivitate prophetantibus, ac de primi visionibus locutus, inquit: « In prima, contra impudicos seniores castitatem Susannae defendit. In quarta visione inter alia, censet quomodo tres pueri illaesi hymnum Regi vero dum canerent in medio camini, secum filium Dei habere meruerunt. » De nona visione, verba faciens de his, qui ipsum criminati erant Danielem, ait: « In his etiam suppleta est prophetia (1) dicens: - Qui foveam fodit proximo, incidet in eam, et qui statuet laqueum proximo, peribit in illo. » In duodecima visione speciatim (2) narrat Beli draconisque historiam et cultum, quem eis babylonii praestabant. Mentionem quoque facit de Danielis subtili arte, qua fraudes sacerdotum revelatae sunt; de lacu leonum in quem injectus est, et quomodo divina potentia per socium ejus Habacuc, prandium ministravit incluso. Eadem in parte Cap. XXXVIII, postquam Esther historiam narravit, progressus loquitur: « Nec impari etiam loco Judith sancta, ordine subsequenti ponitur, quae etiam ipsa figuram sanctae Ecclesiae personamque suscipiat. Nam cum militiae dux regis Babylonis Betuliam Holofernes obsidione cinxisset, sublatisque aquis, siti totam affligeret civitatem, primores ejus in deditionem statuerunt tradere Holoferni. Haec disponentibus etc. » Capite XXXIX: Tobiae captivitatem protulit, et illius patientiam commendat, et praeconia illius de Christo celebrat quemadmodum in ejusdem Scriptura docemur. Tandem Machabaeorum libros duos proponit, et eorum martyres laudat, pro mortuis preces educit, ac sub eis, ait, impletam fuisse Jacob patriarchae prophetiam: « Non deficiet princeps ex Juda, et dux de foemore ejus, donec veniat cui reposita sunt ei, et ipse erit exspectatio gentium, testatur. » De his omnibus autem in prologo dixerat: « Verum ne longum proëmium hujus libri humanus sterilisque sensus extendat, quem in tres partes et dimidiam distributum, juvante illo, cujus munere loquimur, divina testimonia collecta, conjunctaque supplebunt ex omnibus divinis Scripturis, quae praedicta, quae sint promissiones Dei, ut occurrerint, per capitula decerpenda suscepimus. » Post haec omnia, non est nobis ultra illius scripta percurrere, ad illius auctoritatem pro Scripturis Deutero-Canonicis enucleandam; nihilque aliud a sancti Augustini discipulo est desiderandum de hac re.

(1) Eccl. c. XXVII. 29. — (2) Dan. c. XIV.

§.XXIII. Sedulius presbyter hiberniensis suo in epistolam ad romanos commentario ad Ecclesiastici librum venit: « Unde et Salomon (1) ait: - Altiora te ne scruteris, et majora te ne quaesieris, sed quae praecepit tibi Deus, illa semper cogita. » In caput VI ad Timotheum epistolae ejusdem libri testimonium sumit inquiens: « Merito initium omnis peccati superbiam definivit Scriptura dicens: (2) - Initium omnis peccati superbia. »

§. XXIV. Eusebius episcopus emesenus, in homilia secunda, verba Danielis (3) repetit: « Hoc itaque genere deficit vinum legis, quia jam non sunt in ea sicut dicit Propheta: - Neque holocaustomata, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum. » Homilia tertia, Ecclesiastici verba (4) commendat: « Et ideo de se ipso dicit Dominus, qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient. » De Epiphania et sanctis Machabaeorum infantibus, (5) homilia quarta, ita juniorem, qui solus supererat, alloquitur mater: « Miserere mei, inquit, quae te decem mensibus in utero portavi, et lac triennio dedi, ne timeas carnificem istum, sed similis fratribus effectus, libens mortem excipe. » Homilia in Quadragesima, verba Ecclesiastici (6) colligit: «Similiter alius Propheta commemorat: - Orationibus inquit, et eleemosynis purgantur peccata. » De istarum homiliarum auctore contendunt scriptores ecclesiastici. Quisquis vero sit, praeter dictum, parum interest. Nisi illius nomen secernatur, saltem haec aetas eisdem homiliis erit tribuenda.

§. XXV. Petrus Chrysologus Ravennae episcopus disertas homilias scripsit, quae etiam divinitati Bibliorum Deuterorum testimonium praebent. Verba Sapientiae colligens ait: « Dicente Domino: - Potentes potenter tormenta sustinent. » Ex eodem libro loquitur: (7) « Deus autem vitam fecit, diabolus machinatus est mortem, divino eloquio sic prodente: - Deus autem mortem non fecit, invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum. » In sermone de annunciatione et conceptione sancti Joannis Baptistae, sumptis Baruch dictis, ait: « Quis est hic Deus? De quo Propheta dicit: - Hic est Deus noster, et non est alius absque eo, qui invenit omnem viam disciplinae, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. »

§. XXVI. Leo papa hujus nominis primus, etruscus, doctrina

(1) Ecc. c.III. — (2) Eccl. c.X. 15. — (3) Dan. c. III. 38. — (4) Ecc. c. XXIV. 29. (5) 2. Mac. c. VII. — (6) Eccl. c. III. 33. — (7) Sap. c. I. 13.

et apostolico zelo clarus, dimidio saeculi quinti pontificatu fungebatur. In suis, eloquentia praeditis, homiliis saepe ad Scripturas Deutero-Canonicas venit. Appellat enim ad Tobiae librum, sermone quinto: « Unde et Tobias filium suum praeceptis pietatis instituens ; ex substantia, inquit, tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. » In sermone nativitatis septem fratrum Machabaeorum incipit: «Causam ergo, dilectissimi, festivitatis hodiernae plenissime sacrae Historiae lectione didicistis, nec latere vos potuit. » In eodem Ecclesiastici sententiam protulit: « Filii, inquit Deus, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et praepara animam tuam ad tentationem. » Homilia de eo, quod scriptum est: «Videns Jesus turbas ascendit in montem: » « Tunc mens videndo Deo intenta nullis corporeae infirmitatis impedietur obstaculis, nec jam dici necesse erit: (1) - Corpus quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. » Ex historia Susannae serm. XVI de Passione Domini haec verba sunt: « Sed tu impiissime homo: semen Chanaan et non Juda: nec jam vas electionis. » Alibi Sirach dicta praevenit hoc modo: « Cumque audiunt sibi divinitus dici: - Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere etc. » Et exceptis aliis, hic memoriae revocare satis erit quidquid sua in epistola ad Martianum Augustum legitur: « Et cum evangelica et apostolica doctrina ne uno quidem verbo liceat dissidere, aut aliter de Scripturis divinis sapere, quam beati Apostoli et patres nostri didicerunt, atque docuerunt. »

§. XXVII. Vincentius monachus lirinensis in suo commonitorio adversus prophanas haereseon novitates, in quo, inquiunt magdeburgenses centuriatores, idest Romanae Communionis hostes infensissimi, vis ingenii elucet et doctrinae magnitudo, de Scripturae libris loquitur cap. XXXVIII: « Hoc scilicet facere magnopere curabunt, ut divinum Canonem secundum universalis Ecclesiae traditiones, et juxta catholici dogmatis regulas interpretentur. » Qualis iste Canon esset, et quot libros comprehenderet, quamve auctoritatem libris Deuteris donaret, haec verba sufficiant, quae in capite XXVI loquitur juxta Ecclesiasticum: (2) « Sic terrena institutio, quae aliter perfici, nisi assidua emendatione, immo potius reprehensione, non possit; quum divina clament oracula: - Super judicantes ne judices ; et scindentem sepem mordebit serpens. »

(1) Sap. c. IX. 15. — (2) Eccl. c. VIII. 16.

§. XXVIII. Animadversione maxima digna sunt, quae in scriptis Marii Mercatoris invenienda circa Pelagium et Coelestium haereticos. Idem libellum fidei profert, (1) qui a Juliano eclanensi missus fuit ad Sedem Apostolicam nomine octodecim episcoporum detractantium Pelagii atque Coelestii damnationi subscribere. In prima ejusdem libelli parte dicunt: « Novum et vetus testamentum recipimus in illo librorum numero, quem Catholicae Ecclesiae tradit auctoritas. » Parte secunda ad Ecclesiastici Scripturam appellant, de libero arbitrio: « Juxta quod scriptum est (2): - Ante hominem bonum et malum, vita et mors, quod placuerit ei, dabitur illi. » Paulo post addunt: « Item in libro Machabaeorum: (3) - Nescio, inquit, qualiter in utero meo apparuistis, neque enim ego spiritum donavi vobis, sed et singulorum membraturam non ipsa compegi. » Alibi verba Tobiae repetunt: « Et sanctus Tobias ait: (4) « Noli timere fili, pauperem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bona. » Ex his patet quantum in Ecclesia Christiana ex eo tempore praevaluerit fides erga Scripturas Deutero-Canonicas; ipsi enim haeretici eamdem in illas profitentur fidem.

§. XXIX. Salonius viennensis Galliarum episcopus sua in Salomonis parabolas et Ecclesiastis librum, mystica explicatione (5), saepe Ecclesiastici et Sapientiae Bibliorum verba interserit. In Ecclesiastis capite primo dicit: « Non reprehendit Salomon risum naturalem, idest modestum et honestum, unde alibi dicit: (6) - Vir sapiens, tacitus ridebit. » In parabolis cap. XIII. Sapientiae verba enarrat: « Quia Dominus omnia in pondere, et mensura, et numero constituit. »

§. XXX. Valerianus cemelliensis episcopus (7) juxta Jacobi Sirmondi sententiam, ineunte saeculo quinto, varias homilias inscripsit, e quibus Scripturarum Deuterarum divinitas elucet. Homilia v. Ecclesiastici verba (8) enarrat inquiens: « Audite Dominum dicentem, facito ori tuo ostia, et seras, et verbis tuis facito stateram. » De otiosis verbis (9) hom. VI. « Audiant isti Dominum dicentem: - Os, quod mentitur, occidit animam. » Homilia decima octava Machabaeorum martyres laudibus prosequitur, matrisque adhortationem, et fidei constantiam exaltat.

(1) Edit. Paris. pag. 320. — (2) Eccl. c. XV. 18. — (3) Mac. c. VII. — (4) Tob. c. IV. — (5) Bibl. Patr. — (6) Eccl. c. XXI. — (7) Ex Bibliot. Patr. saec. V. (8) Eccl. c. XXVIII. 28. — (9) Sap. c. I. 12.

§. XXXI. Faustus regiensis episcopus, sive catholicus sive pelagianus habeatur, de gratia Dei et libero arbitrio verba Sapientiae (1) profert: « Mors itaque, idest peregrinum et adventitium malum, non est ordo naturae, sed poena sententiae: - Quoniam, inquit, Dominus mortem non fecit. »

§. XXXII. Ruricius episcopus, in epistolarum libro secundo ad Capillutum filium, loquitur: (2) « Unde suadeo pietati vestrae, ut quod cogitatis, celerius, Deo adjuvante, faciatis, quia mors non tardat, ipso Domino dicente: (3) - Ne tarderis converti ad Deum, non differas de die in diem; subito enim venit ira ejus, et in tempore vindictae disperdet te. »

§. XXXIII. Agnellus episcopus ravennatensis inter suos hymnos, profert illud trium puerorum Canticum, quod sic modulatus est:

« Omne quod aeternus, per Verbum condidit auctor;
Auctoris nomen celebret, laudesque resultet,
Exultetque suum per saecula cuncta parentem:
Angelicae vestro turmae benedicite regi,
Ingenitumque simul resonet vox celsa polorum.

§. XXXIV. Gildus Sapiens in sua correptione totius britannici populi plurima de divinis Scripturis educit ad eos redarguendos; et postquam Prophetarum oracula proposuit, ad Salomonis Sapientiam pergit, et illius sententias extollit: « Audiamus itaque quid Propheta regibus (4) dixit: - Diligite, inquiens, justitiam, qui judicatis terram; servite Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quaerite illum. » Ac paulo post: « Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces illorum. »

§. XXXV. Saeculo quinto ineunte Caesarius arelatensis episcopus luculentas varii generis homilias composuit, e quibus Scripturae Deutero-Canonicae divinae elucent. Homilia prima ad librum Sapientiae (5) venit, inquiens: « Sic Dominus dicit: - Fulgebunt justi sicut sol. » Sententiam ex Ecclesiastici (6) Scriptura profert hisce verbis, homilia XVIII: « Et ut hoc verum esse cognoscas, audi Scripturam dicentem: - Initium apostatare a Deo omnis superbia. » Homilia XX. de Susanna apud Danielem mentionem fecit: « Virgines ergo cogitantes Mariam, viduae considerantes Annam, maritatae vero Susannam; imitentur illarum castitatem in hoc saeculo, ut illis sociari mereantur in aeternum. » Homilia XXII. pariter

(1) Sap. cap. II. et Bibl. Patr. — (2) Bibl. Patr. — (3) Eccl. V. 2. — (4) Sap. c. I. 1. — (5) Bibl. Patr. saec. V. — (6) Eccl. c. X. 15.

Sirach librum (1) profert: « Et per Prophetam clamat Spiritus Sanctus: - Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum. » Homilia XXIII. e Sapientia: (2) « Dicit Scriptura: - Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum. » Homilia XL. de eleemosynis: « Tobias (3) ait: - Omnibus diebus vitae tuae Dominum habe in mentem, et noli ambulare in viam iniquitatis; ex substantia tua fac eleemosynam. » Quamplurimas autem sententias a Bibliis Deuteris sumit auctor divus, quas hic enumerare superfluum videtur. »

§. XXXVI. Remigius tandem episcopus rhemensis in divi Pauli epistolis (4) explanandis, Salomonis verba ab Ecclesiastico (5) repetit dicens: « Unde dicit Salomon: - Fili miserere animae tuae placens Deo. » Ad eumdem librum, capite septimo ejusdem epistolae, redit: « Primogenitus vero, qui ante omnem creaturam non factus, sed genitus est, sicut per Salomonem (6) dicit: - Ego, Sapientia, ex ore altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. » Sapientiae Scripturam compellat in illius epistolae capite decimo: « Sed crede illum ubique esse praesentem secundum divinitatem, sicut de eo dicitur (7): - Sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. »

Hucusque temporis de Ecclesia latina occidentali sit sermo; et quos hujus Ecclesiae scriptores reperire potui, qui ad rem nostram faciebant, Bibliorum Deutero-Canonicorum, ex illorum operibus, divinitatem comprobare studui. Nunc autem africanas regiones advolantes, maurorum de eadem re doctrinam sedulo inquiramus.

(1) Eccl. c. III. 33. — (2) Sap. c. II. 14. — (3) Tob. c. IV. 7. — (4) Ad. Rom. c. I. — (5) Eccl. c. XXX. 24. — (6) Eccl. c. XXIV. 5. (7) Sap. c. VIII. 1.

PROPOSITIO III.

De Ecclesia latina africana, seu carthaginensi, illiusque doctrina circa Scripturas Deutero-Canonicas e primis Ecclesiae Christi aetatibus usque ad saeculum sextum.

§. I. Priusquam scrutatum pergamus ad Mauritaniae oras evangelica semina, quae ibi dispersa fuerunt, pariterque de Bibliis Deutero-Canonicis illius Ecclesiae documenta; congruum videbitur nonnullas animadversiones facere, quae illius antiquitatem ostendant, simulque Scripturarum usum. Primum, punicis in regionibus evangelicae praedicationis initium investigantibus, non longe erit illud ex aetate apostolica constituere, sicuti etiam ab Ecclesia Romana illius advocare originem. Quoad autem Apostoli, vel satius Petri discipuli, Christi veritatem in terras illius regionis bonas disseminaverint, ab historicis ecclesiasticis constat, aetati apostolicae proximis, qui Religionem christianam longe, lateque jam ab ejus exordio diffusam tradunt. Huc quoque accedit, quod maurorum terrae romano imperio subditae essent, et artes, et studia ibi exculta, et assiduo negotia cum iisdem romanis exercerent; e quibus aequo conjici posset, gentes africanas a christianis romanis Evangelii veritates edoctas fuisse. Hoc quidem a Tertulliano firmatur, qui postquam Romam celebraverit, quod Apostolorum Petri, et Pauli, Joannis doctrina nobilitata esset, subjungit:(1) « Videamus quid didicerit, quid docuerit, quid cum africanis quoque Ecclesiis contesserarit. » Innocentius pontifex in epistola ad Decentium iguvinum: « In omnem Italiam (2), inquit, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulasque interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerint sacerdotes. » E quibus verbis Ecclesiam africanam a Romana ortam esse liquet.

§. II. Hoc de illius origine dictum sit; de ejusdem vero antiquitate nobis argumentum praestant veteris Ecclesiae viri Irenaeus, Epiphanius, et maxime Justinus (3) ab Apostolorum aetate non longe distans, qui christianos ubique fuisse testatur: « Nec magis diffusa est anima per corporis membra, quam illi per orbis terrarum urbes. » Tertullianus idem, qui Apostolorum discipulos

(1) De Praescript. c.XXXVI.— (2) Conc.Labei tom.I. — (3) Epist. ad Diogne.

nisi viderit, saltem paulo ante obiverant, adversus judaeos scribens capite septimo loquitur: « In quem enim alium universae gentes crediderunt, nisi in Christum, qui jam venit? Cui enim et aliae gentes crediderunt, parthi, medi, elamitae, et qui habitant Mesopotamiam?.... Romani, et incolae, tunc et in Hierusalem judaei et ceterae gentes; ut jam getulorum varietates et maurorum multi fines; Hispaniarum omnes termini, et gallorum diversae nationes et brittannorum » aliaeque quas enumerare hic desino. (1) Insuper a Numidiae episcopis hoc adstruitur, quum a Pelagio II. petiere, ut omnes sibi superiorum temporum consuetudines servarentur: « Quas a beati Petri Apostolorum principis ordinationum initiis, hactenus vetustas longe servavit. » Cyprianus tandem huic rei testis habetur, dum in sua epistola ad Quintum et Jubajanum scribit sub Agrippino coactam fuisse Synodum plurimorum episcoporum, qui in provincia africa et numidia ecclesiam Domini gubernabant: « Quando multi, inquit, jam anni sunt, et longa aetas ex quo sub Agrippino bonae memoriae viro convenientes in unum episcopi hoc statuerint. » Scribebat Cyprianus anno CCLIV. ex quo sumptis verbis *multi anni et longa aetate* conjiciendum est saeculo secundo plurimos in Africa fuisse episcopos, ac ideo latam et diffusam fuisse per illas regiones Redemptionis doctrinam; indeque Ecclesiae Christianae antiquitatem etiam ex Apostolorum aetate in afris gentibus repeti posse, non erit inficiandum.

Ecclesiae africanae origine, et vetustate hucusque explanatis, ad propositum reverti necesse est, in medium proferre nempe istius ecclesiae pro Scripturis Deutero-Canonicis doctrinam. Non abs re erit primo loco quidquam animadvertere circa Bibliorum divinorum latinam versionem, quod etiam ad nostrum negotium facit.

§. III. Latinae Bibliorum veterum versionis auctor haud apparet, neque aetas certa habetur, qua ipsa collata fuit. Verumtamen si aequo conjicere velimus ex vulgari consuetudine, quae Ecclesiae Christianae inerat, libros veteris et novi testamenti suis in concionibus, vel coenaculis, oratoriis publicis et privatis legendi, hujus translationis antiquitatem tantam noscere cogemur, quantum Ecclesia latina antiqua perhibetur; satius inquam, christiani illi, qui hac dialecto usi, et evangelicae dispensationis participes in Africa, Latio, aliisque Europae occidentalis regionibus

(1) Morcelli Africa christiana.

versabantur. Clare patet, neque explanatione est opus, Evangelium seu Apostolorum sonum in orbem terrarum exiisse, et doctrinae Christi semen diffusum ab ipsis, atque suis discipulis majori profectu excultum adeo, ut ubique christianorum numerus augeretur. Haec omnia evenere primis Religionis Christianae temporibus, jamque ab ea aetate in manus fidelium Scripturae sacrae, Evangelii libri deferebantur, ut dixi, et ab omnibus legebantur. Haec enim fidelium pia consuetudo erat tum in Religionis actibus, tum Divinitati gratiarum actionibus, Biblia legendi quotidie, et ex iis praesertim, quae apta credebantur. Ut haec omnia complerentur, necesse utique erat Scripturarum versio, in singulasum gentium lingua, ut unicuique viro, doctis, indoctis praesto esset. Ex hac animadversione igitur firmari potest latinae Bibliorum versionis vetustas, sicuti in hujus linguae gentibus Christi praedicatio habetur antiqua. Walton in suis prolegomenis huic sententiae favet inquiens: « Probabile tamen est ipsam ab ipsis Ecclesiae primordiis in usu fuisse, cum Ecclesia Latina sine versione esse non potuerit, eamque Ecclesiam Romanam, quae principem inter ecclesias locum tenuit, et antiquarum traditionum tenacissima fuit, in communi usu recipere. Serrarius ab Apostolorum quodam redactam existimat; et aetati apostolicae parem censet Vossius. Quamvis autem ita se habere haec videantur, et praeter dubium latinae Scripturae usus antiquus, ut dixi, attamen solum hoc novi foederis libris concedunt nonnulli, non autem hebraeorum Scripturis. Quare contra istos testimonia seligimus, quibus Scripturae etiam veteris libri latinis auribus donati comprobantur.

Tertullianus primum in Apologetico cap. XXXIX. disertis verbis testatur: « Fideles ad audiendas Scripturas convenisse, eamque ob rem oratoria aut ecclesias adiisse. » Quod vanum esset nisi fideles intellexissent. Cap. XXIX. de Scripturis ait: « Principium, medium, et omnium rerum finem eas praevidisse. Quae providenter scripta sunt; dum patimur leguntur, dum recognoscimus probantur. » Pariter idem contra Ermogenem Marcionis discipulum circa Geneseos verba: « Terra erat invisibilis et incomposita. » Ait: « Sed ex sequentibus argumentatur Ermogenes: - Terra autem erat invisibilis, et incomposita: - Nam et terrae nomen redigit in materiam, quia terra sit, quae facta est ex illa, et *erat* in hoc dirigit, quasi quae semper retro fuerit innata et insecta. Indivisibilis autem, et rudis, quia informem, et confusam, et inconditam vult fuisse materiam. » E quibus verbis recte decernitur Ermogenem juxta ver-

sionis latinae testimonium ratiocinari; eodem modo, eadem versione eum redarguit Tertullianus. Praeterea Ermogenes illud interpretatus vocabulum *in principio*, probare conatur illius significationem, quasi ex materia fecisset Deus coelum et terram. Contra respondet Tertullianus ipse, et ineptum illius argumentum demonstrat, e vocabulo *principio* deductum. Tandem autem subjungit: « Possum et aliter *principium* interpretari, non abs re tamen; nam et in graeco *principii* vocabulum, quod est ἀρχη, non tantum ordinativum, sed et potestativum capit principatum, unde et ἀρχοντας dicunt principes et magistratus; ergo secundum hanc quoque significationem principium pro principatu sumitur, et potestate. » Ex his facile hauritur, ambos contendentes juxta Vulgatam latinam arguere, et inde ante eorumdem aetatem illam in Ecclesia viguisse versionem non novi foederis tantum, verum veteres Scripturas quoque inter illius linguae christianos lectas fuisse; quae aetas certo Apostolorum discipulos attingit. Huic opinioni adhaeret etiam Augustinus dum libro secundo de Doctrina christiana ait: « Primis fidei temporibus prodiisse Vulgatam latinam, » quae postera aetate a s. Gregorio Magno *vetus* appellata fuit, illius novae latinae ratione, quae a s. Hieronymo ex codicibus hebraicis collata fuit. Hanc autem Bibliorum veterum translationem ab illa Septuaginta interpretum ellenica enatam fatendum est, utpote quae a Tertulliano, ut paulo ante dixi, authentica habebatur. Hujus vero versionis interpretem antiquitate et auctoritate pollentem Scripturas Deutero-Canonicas una cum Prioribus collegisse spondet Tertullianus idem, ut infra patebit, ex quo nequidem conjici potest eumdem translatorem inter divinos libros, alios apocryphos, obscuros vel commentitios in tanti momenti negotio, conseruisse (1).

His observationibus aequo praemissis, scrutatum adeamus Ecclesiae africanae scriptores, qui doctrinae apostolicae obsequentes Scripturas Deuteras in sua scripta redegere.

§. IV. Ex afris christianis scriptoribus, quorum scripta supersint, nullus ante Tertullianum, quod sciam, adfuit, qui, labente saeculo Christi secundo, Redemptoris fidem propugnavit, usque

(1) Hoc loco de Vulgata latina disserui, utpote quae in Africa orta esse videtur, ut clarissimus Wiseman de hujus Vulgatae origine probare conatus est. Verumtamen, si aliunde Roma vel a ceteris occidentis regionibus ipsam repetere velis, firma semper habebitur Scripturae latinae versionis vetustas, ac auctoritas, nostrique stabit argumenti robur.

dum ingenii sui austeritate et severa disciplina in Montani haeresim delapsus est. Quamvis caute illius libri sint legendi, tamen nostris in investigationibus, quippe quae ejusdem errores non urgent, neque tunc temporis Scripturis Deuteris quaestiones fideles inter ac Montanum officiebant, illius doctrinam de re nostra sequi fas erit. Contra judaeos scribens, Machabaeorum libri secundi verba enarrat dicens (1): « Qui sabbatis pugnando fortiter fecerunt, et hostes allophilos expugnaverunt, legemque paternam ad pristinum vitae statum revocarunt. » De Martyrio cap. III. ex Hieremiae (2) Epistola haec sumit: « Meminerant enim et Hieremiae scribentis ad eos, quibus illa captivitas imminebat: - Et nunc videbitis deos babyloniorum aureos et argenteos et ligneos portari super humeros, ostentantes nationibus timorem; cavete ergo ne et vos similes efficiamini factis alienis, et metuatis, et metus vos capiat in ipsis. » Libro de simplicitate contra Valentinum loquitur juxta Sapientiae (3) verba: « Porro facies Dei spectat in simplicitate quaerentis, ut docet ipsa Sophiâ non quidem Valentini, sed Salomonis. » De traditione inquit: « Si et Susanna in judicio revelata argumentum velandi praestat, possum dicere, et hic velamen arbitrii fuit. » Hoc e Scripturis exemplum sumit Tertullianus, ut antea profitetur. De jejunii effectu e Danielis additionibus loquitur: « Si Deo miserabilis Daniel, (4) leonibus in lacu fuerat horribilis, ubi quidem illi sex diebus jejunanti prandium Angelus procuravit. » De monogamia cap. XVII. historiam Judith refert: « Habebunt plane Christo quod adlegent speciosum privilegium, carnis usquequaque imbecillitatem. Sed hanc judicabunt jam non Isaac monogamus pater noster, nec Joannis Christi spado, nec Judith filia Merari, nec tot alia exempla Sanctorum. » Libro primo adversus Marcionem cap. VI. agit de Dario, et Holoferne, et Alexandro. Simili modo de monogamia cap. XV. Ecclesiastici Scripturam petit dicens: « Nec ideo duritia imputabitur Christo, de arbitrii cujuscumque liberi vitio, ecce, inquit, (5) posui ante te bonum et malum, elige quod bonum est. » Alibi eadem verba ex Dominico ore celebrat: « Sic et in posteris legibus Creatoris invenias proponentis ante hominem bonum et malum, vitam et mortem. » Exempla alia, quae Bibliorum Deutero-Canonicorum divinitatem exaltant, plura ex illius scriptis colligenda erunt. Tantum monere hic volui Tertullianum, quavis dubitatione seclusa, libros Deuteros

(1) 1. Mac. c. IV. — (2) Baruch c. VI. 3 4. — (3) Sap. c.I. 1. — (4) Dan. c. XIV. — (5) Eccl. c. XV. 18.

cum Prioribus conjungere, divinos agnoscere adeo, ut neque in haereticos illos explicare vereatur, qui Scripturas sacras earumque sensum deturpabant; inquit enim: « Necessario nolebant agnoscere ea, per quae revincuntur, his nitebantur, quae ex falso composuerant, et quae de ambiguo caeperant; quid promovebis, cum si quid defendens negetur, ex adverso si quid negaveris defendatur? »

§. V. Sanctus Cyprianus carthaginensis episcopus, ineunte saeculo tertio, sedulam in Christi Ecclesia aedificanda navavit operam, usque dum in testimonium illius martyrii palmam est consecutus. Illius scripta quotquot nobis supersunt rei veritatem exhibent, in quibus sacras Scripturas divinum eloquium fatetur, quarum in numero Biblia Deutero-Canonica veteris foederis censet. In sermone primo de eleemosyna, ad hoc pium opus erigendum, e Scripturis testimonia sumit inquiens, primum e Tobiae libro: (1) « Loquitur in Scripturis Spiritus Sanctus, et dicit: - Eleemosyna et fide delicta purgantur. » Ad Quirinum libro tertio capite primo ex eadem Scriptura dicit: (2) « De hoc ipso apud Tobiam: - Et dixi Tobiae filio meo, vade, et adduc quemcumque pauperem inveneris ex fratribus nostris, qui tamen in mente habet Deum ex *toto* corde suo, hunc adduc, et manducabit pariter meum prandium hoc. Sustineo te fili donec venias. » Item illic: « Omnibus diebus vitae tuae fili Deum time, in mente habe, et noli praeterire praecepta ejus. » E Scripturis Danielis Deutero-Canonicis tres pueros in camino ignis canentes extollit de oratione dominica, sermone sexto: « Hanc orationis legem servaverunt tres pueri in camino ignis inclusi, consonantes in prece, et spiritus consensione concordes; quod declarat Scripturae divinae fides, et cum docet quomodo oraverint tales, dat exemplum, quod imitari in precibus debeamus, ut tales esse possimus. Tunc, inquit, illi tres pueri quasi ex uno ore hymnum canebant, et benedicebant Dominum. » Libro primo Epistolarum (3) de Susanna scribebat Martyr sanctus. « Nec aetas vos eorum, nec auctoritas fallat, qui ad duorum presbyterorum veterem nequitiam respondentes, sicut illi Susannam pudicam corrumpere, et veritatem evangelicam violare conantur. » Libro quarto (4) ad plebem Thibari de idolo Bel ex Daniele (5) eodem scribit: « Sic et Daniel cum compelleretur adorare idolum Bel, quem tunc et rex, et populus colebant, in asserendo Dei sui honorem, ple-

(1) Tob. c. IV. 11. — (2) Tob. c. II. 2. — (3) Epist. VII. — (4) Epist. VI. — (5) Dan. XIV.

na fidei libertate prorupit dicens: nihil colo ego, nisi Dominum Deum meum, qui condidit coelum et terram. » Ibidem sequitur de Machabaeis: « Quid in Machabaeis beatorum martyrum gravia tormenta, et multiformes septem fratrum poenae, et confortans liberos suos mater, et moriens ipsa quoque cum liberis. » De exhortatione martyrii ex veterum Scripturarum exemplis probat promptos christianos ad hoc se gerendos fore ex Daniele, ex Tobia, e Machabaeis septem fratribus, quos rex Antiochus suillae carnis contagio maculare quaerebat: «Ex his quartus ait: - Potius est ab hominibns morti datos exspectare spem a Deo, iterum suscitandos ab eo in vitam aeternam. » Adversus judaeos libro secundo ad Quirinum sententiam Baruch enarrat: « Item apud Baruch: - Hic Deus noster, et non deputabitur alius absque illo; qui invenit omnem viam prudentiae, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post haec in terra visus est et cum hominibus conversatus. » Hoc testimonium inter alia multa profert martyr e Bibliis veteribus in eadem, utpote divinam Scripturam. Eodem libro Ecclesiastici verba pronunciat: « Item ad eumdem: - Ego ex ore Altissimi prodivi ante omnem creaturam. Ego in coelis feci, ut operaretur lumen indeficiens, et nebula texi omnem terram. Ego in altis habitavi, et thronus meus in columna nobis. » Libro tertio judaeos arguit ad nuper laudatum Quirinum locutus: « Apud Salomonem in Ecclesiastico (2): - Fili, si habes, benefac tecum, et Deo dignas oblationes offer, memorare quoniam mors non tardat. » Item libro secundo de Sapientia ait: « Quod ipse sit Jesus Christus, quem judaei occisuri essent; in Sapientia Salomonis: - Circumveniamus justum, quoniam insuavis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et exprobrat nobis peccata legis. » Eamdem Scripturam compellat epistolarum libro quarto ad Antonianum: (3) « Nam cum scriptum sit: - Deus non fecit mortem, nec delectatur de perditione vivorum. » Nonnihil momenti confert ad Ecclesiastici divinitatem firmandam argumentum, licet incongruum habeatur, quod Quietus a Baruch pronunciavit inter alias episcoporum sententias de haereticis baptizandis dicens: « Qui fide vivimus, obsequi iis, qui instruendis nobis ante praedicta sunt, sedula observatione debemus. Nam scriptum est apud Salomonem: (4) - Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit mortuum, quid profi-

(1) Eccl. c. XXIV. 5. — (2) Eccl. c. XIV. 11. — (3) Epist.II. — (4) Eccl. c. XXXIV. 30.

cit lavatio ejus? » De Cypriani doctrina pro Bibliis Deutero-Canonicis haec satis sint. Plura cupienti, illius libros legat et intelligat.

§. VI. Lucifer episcopus calaritanus, circa saeculi quarti dimidium, fidei catholicae zelo aestuans, arianam haeresim profligabat. Cum Pancratio et Hilario, juxta Hieronymum, Romanae Ecclesiae clericis ad Constantium imperatorem legatus missus fuit. Illius libri, (1) qui hucusque innotescunt, Scripturis Deuteris testimonium praebent, quarum verbis usus est, ad fidei dogmata roboranda. Pro sancto Athanasio ad Constantium imperatorem libro primo scribit : « Si non legisti, cognosce quid nos facere fueris hortatus, qui in sortem delegeris esse illorum, quorum facinora describit ore Salomonis Spiritus Sanctus dicens: - Neque mercedem speraverunt justitiae, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum, quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem suae similitudinis fecit illum; invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum. Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. » E libro Sapientiae (2) haec verba sunt. Paulo post ex eodem libro inquit: « Desideras interficere Athanasium existimans quod ei, si eum mactaveris, possis aeternum dare malum, ignorans scriptum: (3) - Condemnans justus mortuus vivos impios, et juventus celerius consummata, longaevitatem injusti videbunt... et erunt post haec decidentes sine honore, et in contumelia mortis in perpetuo. » Pariter inferius: « Custoditio, inquit Propheta, (4) legis, confirmatio incorruptionis est. » De regibus apostaticis Ecclesiastici verba pronunciat docens: (5) « Sed aspice scriptum, Dominum patientem esse, ut poenitearis: - Ne dixeris, peccavi, et quid accidit mihi triste, est enim Altissimus patiens redditor. »

Libro de non parcendo delinquentibus in Deum, Tobiae Scripturae partem legit, inquiens: « Sic Tobias gloriosus praecipuus invenitur factus apud Dominum, dum non comperditi sui regis timet edictum, sed solum totum potentem Deum. Haec ita esse, ipsi crede Tobiae dicenti :(6) - Ubi venit Sennacherib rex de Judaea fugiens propter defensionem quam fecit ex illis Dominus, propter blasphemias illius, quibus blasphemavit, et occidit in ira sua multos ex filiis Israel; ego autem corpora illorum involabam et sepeliebam; et renuntiatum est regi, quoniam sepelio, et quaerebat ut occideret me etc. » In eodem libro Judith gesta narrat ad eum-

(1) Biblio. Patr. saec. IV. — (2) Sap. c.II. 24. — (3) Sap. c.IV. 16. — (4) Sap. VI. 19. — (5) Eccl. c.V. 4. — (6) Tob. c.I. juxta Septuaginta.

dem Constantem conversus: « Cum Nabuchodonosor Holofernem virtutis suae principem misisset, et Hierusalem obsideret, quid orat Judith Deum? Nempe ut destrueret inimicos Israel. Nunquid dixit? Custodi insurgentes adversus domum Israel: (1) - Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti gladium in ultione alienigenarum, qui violaverunt vulvam virginis in coinquinationem, et denudaverunt femur in consumationem, et coinquinaverunt matricem in improperium. Dixisti enim, non sic erit etc. - Quid ad haec prudens mens tua sentire dignabitur? Nunquid nam poteris dicere post hanc Deo fusam contra religionis hostes obsecrationem. » Inferius in eumdem imperatorem, sacrilegi Antiochi exemplo eum arguit: « Loquitur sacra Scriptura dicens in Machabaeorum primo libro: (2) - Et scripsit rex omni regno suo, ut esset universus populus unus, et relinquerent unusquisque legittima sua. Et receperunt omnes gentes secundum verbum regis, et multi ex Israel consenserunt simul cum illis, et polluerunt sabbatum etc. » Inde septem fratrum Machabaeorum martyrium ex libro secundo (3) enarrat: «Quintus quoque cum admotus fuisset, et vexatus, dixisse, loquitur Scriptura, Regi: - Potestatem inter homines habes, cum sis corruptibilis, facis quod vis etc. » Pro sancto Athanasio, libro primo, Susannae historiam revocat: « Accipe quae referat Daniel liber de vindictà Susannae: (4) - Exclamavit autem Susanna voce magna, et dixit, Deus aeterne, qui absconditorum es cognitor, qui scis omnia ante generationem eorum, tu scis quoniam falsum testimonium contra me dixerunt, et ecce morior, quae nihil feci eorum, quae hi maligni finxerunt contra me etc. » (5)

Ex his testimoniis cuipiam obviam erit Luciferi de Scripturis nostris opinio, quae tanti habebitur quantum illius munus, legationes, itinera, aliique illius aetatis Ecclesiae doctores nobis hac in quaestione praestant, sepositis de illius schismate sententiis, quae in re nostra minus valent.

§. VII. Anno Christi 360, Milevi episcopus in Africa catholicae doctrinae propugnator sanctus Optatus de schismate Donatistarum adversus Parmenianum libros septem reliquit, e quibus Scripturae Deutero-Canonicae divinitus inspiratae elucent. Libro

(1) Judith c. IX. 2. — (2) 1. Mac. c. I. — (3) 2. Mac. c. VII. — (4) Daniel. c. XIII. 42. — (5) Ecclesiae Africanae hunc scriptorem adposui ob ea multa, quae tunc temporis inter Afros et Sardiniam inerant negotia saecularia, et ecclesiastica.

secundo contra eumdem (1) inquit: « Quisquis talis ex vobis est, frustra se christianum, aut sacerdotem Dei profitetur, qui levitatem Dei non curat, cum scriptum sit: (2) - Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione justorum. » Libro quarto, sub finem, Optatus respondet Parmeniano, qui ei verba Sapientiae Salomonis objecerat: (3) «Filios adulterarum inconsummatos etc. » Sicuti etiam verba nonnulla Hieremiae; quas sententias interpretatus doctor sanctus redarguit inquiens: « Rationem veritatis, frater Parmeniane, ut sero addisce, quoniam nunc tempus esse invenisti discendi; et illud quod in Salomone Propheta lectum esse dixisti: - Filios inconsummatos adulterarum et spuria vitulamina altas radices dare non posse: - hoc et simpliciter dictum esse intelligi potest. Unde si figuram facias, veros adulteros excusasti etc. » Inter ambos Parmenianum nempe haereticum, et Optatum orthodoxum, stabat Salomonis Sapientiae divina auctoritas. Libro tertio, Ecclesiastici (4) verba profert dicens: « Denique sic scriptum est: - quemadmodum aqua extinguit ignem, sic eleęmosyna extinguit peccatum. » Eodem libro Scripturam eamdem repetit: «Quia illud a Salomone discere noluisti, quod ait: (5) - Absconde panem in corde pauperis, et ipse pro te rogabit. » Ibidem pariter Tobiae historiam narrat mystice docens: « Traducentes ad vos aquam antiquae piscinae; sed nescio an cum illo pisce, qui Christus intelligitur, qui in lectione Patriarchae, legitur in Tigride flumine praehensus, cujus fel et jecur tulit Tobias ad tutelam foeminae Sarrae, et ad illuminationem Tobiae non videntis; ejusdem piscis visceribus Hasmodaeus daemon a Sarra puella fugatus est, quae intelligitur Ecclesia, et coecitas a Tobia exclusa est. Hic est piscis, qui in baptismate per invocationem, fontalibus undis inseritur, ut quae aqua fuerat a pisce etiam piscina vocitetur. » Libro septimo, e Machabaeorum (6) historia ait: « Sic tyrannus Antiochus fructum malignitatis suae habere non potuit, dum praeter septem fratres, et unum seniorem carnem suillam manducare detractantes, nullum judaeum occidit, et lex perire non potuit. » Sententiae sunt istae, quas contra haereticum Optatus e Scripturis Secundis excerpsit, ceteros inter Bibliorum libros, amborum contendentium fide roboratis.

§. VIII. Nunc nobis, Ecclesiae sanctae lumen, apostolicae et Catholicae doctrinae propugnaculum, in civitate tagastensi ortus,

(1) Bibliot. Patrum sacc. IV. — (2) Sap. c. I. 13. — (3) Sap. c. IV. 3. — (4) Eccl. c. III. 33. — (5) Eccl. c. XXIX. 15. — (6) 2.Mac. c. VII.

quem divina providentia benigne ei munerata est ad nostras mentes illustrandas, animumque mulcendum opportune occurrit sanctus Augustinus. Is Manichaeorum erroribus abjectis, Ecclesiae Catholicae doctrinam per sanctum Ambrogium amplexatus est. Quanto deinde zelo veritatem edocuit, praedicavit, et quanta libertate et alacritate contra sui temporis haereses egit, testantur regiones africanae, aliaeque Europae provinciae, quae tunc temporis ab arianis valide premebantur, et a manichaeis, donatistis, pelagianis, semipelagianis Christi gregem, illiusque unitatem in varias partes misere dilaniantibus, quique omnes illius labore, studio, et sancta aemulatione superati, dispersi sunt, evanuere.

Hoc loco, dimissis aliis, ad rem nostram illius scripta evolventes quidquid docuit pro Scripturis Deutero-Canonicis in aperto constituamus. Primo Doctrinae Christianae libros investigare debemus, in quibus divinorum Bibliorum Canon ecclesiasticus exhibetur.

Doctor egregius, ubi de Scriptura divina locutus est, quae per orbem terrarum disseminata, et per varias interpretum linguas longe lateque diffusa innotuit gentibus ad salutem, quamque legentes nihil aliud appetunt, quam cogitationes, et voluntatem illorum, a quibus conscripta est, invenire, et per illos voluntatem Dei, secundum quam tales homines locutos credimus, pergit ad divinorum librorum Canonem, quem hisce verbis praevenit: (1) « Erit igitur divinarum Scripturarum solertissimus indagator, qui primo totas legerit, notasque habuerit, et si nondum intellectu, jam tamen lectione, dumtaxat eas, quae appellantur Canonicae. Nam ceteras securius leget, fide veritatis instructus, ne praeoccupent imbecillum animum, et periculosis mendaciis atque phantasmatis eludentes praejudicent aliquid contra sanam intelligentiam. In Canonicis autem Scripturis ecclesiarum catholicarum auctoritatem sequatur, inter quas sane illae sunt, quae apostolicas sedes habere, et epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas, quae ab omnibus accipiuntur ecclesiis catholicis praeponat eis, quas quaedam non accipiunt. In iis vero, quae non accipiuntur ab omnibus, praeponat eas, quas plures et graviores accipiunt, eis, quas pauciores et minoris auctoritatis ecclesiae tenent. Si autem alias invenerit a pluribus, alias a gravioribus haberi, quamquam hoc fa-

(1) Lib. 2. Doct. Christ. c. VIII. edit. Venetiis.

cile invenire non possit; aequalis tamen auctoritatis eas habendas puto. Totus autem Canon Scripturarum, in quo istam considerationem versandam dicimus, his libris continetur. Quinque Moysis, idest Genesi, Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio, et uno libro Jesu filio Nave, uno Judicum, uno libello qui appellatur Ruth, qui magis ad Regnorum principium videtur pertinere, deinde quatuor Regnorum, et duobus Paralipomenon, non consequentibus sed quasi a latere conjunctis, simulque pergentibus. Haec est historia, quae sibimet annexa, tempora continet, atque ordinem rerum. Sunt aliae tanquam ex diverso ordine, quae neque huic ordini, neque inter se connectuntur, sicut est Job, et Tobias et Esther, et Judith, et Machabaeorum libri duo, et Esdrae duo qui magis subsequi videntur ordinatam illam historiam, usque ad Regnorum et Paralipomenon terminatam; deinde Prophetae, in quibus David unus liber Psalmorum, et Salomonis tres Proverbiorum, Canticum Canticorum, et Ecclesiastes. Nam illi duo libri, unus qui Sapientia, et alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine, Salomonis esse dicuntur. Nam Jesus Sirach eos conscripsisse constantissime perhibetur, qui tamen, quoniam in auctoritate recipi meruerunt, inter alios propheticos numerandi sunt. Reliqui sunt eorum libri, qui proprie Prophetae appellantur, duodecim Prophetae libri singuli, qui connexi sibimet, quoniam nunquam sejuncti sunt, pro uno habentur, quorum Prophetarum nomina sunt haec, Osea, Joel, Amos, Abdia, Jona, Michaea, Nahum, Habacuc, Sophonia, Aggaeus, Zacharia, Malachia, deinde quatuor Prophetae sunt majorum voluminum, Isaias, Hieremias, Daniel, Ezechiel, his quadraginta quatuor libris. » Et postquam novi foederis librorum Canonem recensuit, ait: « In his omnibus libris timentes Dei, et pietati mansueti quaerunt voluntatem Dei. »

Christiane lector, haec verba sedulo tibi animadvertenda sunt, nec animi aestuantis partum, neque partium studio allectum horum auctorem esse scito. Quo accuratius divi Doctoris hanc doctrinam ponderes, eo saniorem illius mentem probes, nec unius hic probaveris sententiam, sed totius Catholicae Ecclesiae specimen, ac prudentiam consequeris. Verba, quibus divinorum librorum Canonem orditur, suum totius antiquitatis studium protendunt. Et hac ratione tironem christianum monet, ut solum Scripturae libros Canonicos legat primum, alios autem caute legat. *Ceteras Scripturas*, de quibus loquitur hic Pater, omnia scripta apocrypha erant, quae primis Ecclesiae temporibus in manus fide-

lium deveniebant, quae a nonnullis quoque legebantur, et quaedam eorum sententiae ratae habebantur; uti ex. gr. liber Enoc, Pastoris liber, Ascensio Eliae, Esdrae tertius, Machabaeorum tertius et quartus, aliique, qui merito ab ipso nuncupantur apocryphi. Ac alibi rationem reddit libro xv. de Civitate Dei: (1) « Omittamus igitur earum Scripturarum fabulas, quae apocryphae nuncupantur, eo quod earum occulta origo non claruit patribus, a quibus usque ad nos auctoritas veracum Scripturarum certissima et notissima pervenit. In his autem apocryphis, etsi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa, nulla est canonica auctoritas. » Secundo observanda sunt verba: « In Canonicis autem Scripturis ecclesiarum catholicarum auctoritatem sequatur, inter quas sane illae sunt, quae apostolicas sedes habere meruerunt, et epistolas accipere. » Quam legem hic secuti sumus. Deinde Doctor addit: « Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas, quae ab omnibus accipiuntur ecclesiis catholicis, praeponat eis, quas quaedam non accipiunt. » Et sic vicissim ut supra diximus. E quibus verbis quisquam a suspicione caveat, quasi doctor, hanc differentiam proponens inter libros sacros, doceat non unam eamdemque auctoritatem, divinitatem, revelationem supernam libros sacros, quos censuit, vindicare, dum apposita in his quadraginta libris divina inspiratione, nulla dubitatio, neque varietas, neque majus, neque minus testimonium in eisdem est excogitandum, prout supra dictum est, dum unus Spiritus Sanctus, immutabilis, ipsa Sapientia divina est auctor praecipuus, quod ipse in fine Canonis fatetur: « In his libris timentes Dei quaerunt voluntatem illius. » Si aliquando autem Augustinus quamdam censionem fecit, vel retractationem in quibusdam e nostris Deuteris Scripturis, de Sapientia nempe, et Ecclesiastico, hoc tantum illorum auctorem arguit, vel scriptoris nomen, non autem materiam, quae divina semper ab eo habebatur. Praeterea si, priusquam doctor librorum sacrorum Canonem enumeraret, animadversiones nuper dictas adposuit, hae solum christiani doctoris, apologistae, cathechistae prudentiae leges, quas observarent, respiciebant, quibus divus eos edocere volebat, ut eorumdem doctrina Scriptis divinis innixa, revera divina ab aliis, vel judaeis, vel haereticis aestimaretur, neque causam illis praeberent, christianis praeceptis irridendi, et in Christi templum inferendi scandalum, Scripturis

(1) Tom. VII. p. 408.

expositis, quae ab ipsis respuebantur, earumque divinitas non praevalebat. Ac non absque jure hoc fecit Sanctus, dum nobis omnino non latent scissiones, haereses, quae doctoris aetate in Redemptoris gregem irrepsere, ac insuper praesul sanctus hebraeorum Canonem, et ipsorum de Scripturis Secundis doctrinam noverat, quae in quibusdam orientis ecclesiis servabatur prudentiae causa ab illius regionis episcopis; de qua re in Ecclesia Hierosolymitana sermo fiet.

Canone Augustini exposito, ejusdem scripta disquiramus de modo, quo Scripturis Deuteris usus sit, et maxime in sermonibus, quos contra haereticos extulit. Contra Faustum manichaeum lib. XIX. cap. 28: « Quod autem temperando a vindicta, et diligendo etiam malos Deum imitemur, habes ibi de ipso Deo id agente copiosum locum; ibi namque scriptum est: (1) - Multum enim valere tibi soli supererat semper, et virtuti brachii tui quis contra stabit? Quoniam tanquam momentum staterae, sic ante te est orbis terrarum, et tanquam gutta roris antelucani, quae descendit in terram.... Bonus spiritus tuus in omnibus; ideoque eos, qui exerrant, partibus corripis; et de quibus peccant, admones, et alloqueris, ut relicta malitia credant in te, Domine. » Contra Maximinum arianum (2) cap. XI. ex Ecclesiastici libro ait: «Ita hoc dicis, quasi possit ab homine comprehendi quis sit ille modus, quo coelestes virtutes sunt invisibiles, aut ad hoc quaerendum, esse debeamus intenti, dicente Scriptura: (3) - Altiora te ne quaesieris: - Quod praeceptum ipse contemnens ausus es dicere Angelum videri ab Archangelo etc. » De Natura boni adversus manichaeos Sapientiae (4) verba colligit hoc modo: « Haec, quae nostra fides habet, divinarum Scripturarum testimoniis munienda sunt. » Ac nonnullis postea relatis, illud Sapientiae inserit: (5) « Et in libro Sapientiae de ipsa Sapientia scriptum est: - In se ipsa manens innovat omnia. » Contra priscillianistas clamat: (6) « Si autem hoc putat Scripturis deesse propheticis, quod Filius sit lumen de lumine, vel splendor lucis, legat quod eisdem litteris legitur de Sapientia: (7) - Candor est enim lucis aeternae. » Contra Maximinum (8) eumdem Baruch librum compellat, et sic praeit: « Prorsus etiam ipsum non esse dubitamus immensum. Nam quaero abs te, de

(1) Sap. c. XI. 22. — (2) Tom. VIII. p. 699. — (3) Eccl. c. III. — (4) Tom. VIII. p. 507. — (5) Sap. VII. 27. — (6) Tom. VIII. p. 555. — (7) Sap. c. VII. 26. — (8) Tom. VIII. p. 744. c. XIII.

quo accipias quod scriptum est: - Magnus est, et non habet finem, (1) excelsus et immensus. » De ipso quoque paulo post dicitur: « Hic Deus noster, non aestimabitur alius ad eum: Hic invenit omnem viam disciplinae, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. » Contra Petilianum donatistam (2), Augustinus illius verba enarrat: « Ait Petilianus; qui si legem diligeres, ut juvenes machabaei, pro Dei legibus necareris ; quorum unus scilicet fratrum tyranno sacrilego hac fidei voce respondet: (3) - Tu quidem, scelerate et impie, de praesenti vita nos perdis, sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in aeternae vitae resurrectione suscitabit. » Sermone de Resurrectione (4) e libro Tobiae haec sumit dum ait: « Angeli venerunt ad Abraham, et manducaverunt, et cum Tobia Angelus fuit, et manducavit; quid dicimus quia phantasma erat illa manducatio, et non erat vera? Nonne manifestum est, quod vitulum occidit Abraham? Omnia ista manifestissime facta, et manifestissime expressa sunt. Quid ergo dicit in libro Tobiae Angelus? Vidistis me manducare; sed visu vestro videbatis, etc. » Sermone de Susanna (5) et Joseph sic incipit: « Divinae lectiones et sancta oracula Dei, quae insonuerunt auribus nostris. » Paulo post de Susanna: « Excitavit Dominus Spiritum Sanctum Danielis adhuc novelli aetate, sed robusti pietate. Quia ergo erat in eo propheticus spiritus, continuo nequissimorum seniorum vidit fallaciam. » Libro XVIII. cap. 26. de Civitate Dei: « Per idem tempus, inquit, etiam gesta sunt illa scripta in libro Judith, quem sane in Canone Scripturarum judaei non recepisse dicuntur. »

Ex his Bibliorum Deuterorum testimoniis hucusque censitis, quivis divum doctorem in his digitum Dei novisse sibi suadet. Attamen alia addenda putamus, ut quae in Canone divinarum Scripturarum observanda praecipit, magis pateflant. Libro XVII. de Civitate Dei, (6) ubi de vaticiniis veteris Testamenti locutus, quae in David et Salomonis persona Christum decernebant, deinde ejusdem Salomonis Scripturis id probaturus venit: « Prophetasse etiam ipse, inquit, in suis libris, qui tres recepti sunt in auctoritatem Canonicam, Proverbium, Ecclesiastes et Canticum Canticorum. Alii vero duo, quorum unus Sapientiae, alter Ecclesiasticus dicitur, quos non esse Salomonis non dubitant doctiores,

(1) Baruch c. III. 25. et 36. — (2) Tom. IX. p. 219. — (3) 2. Mac. VII. 9. — (4) Tom V. p. 1422. — (5) Tom. V. p. 1323. — (6) Tom. VII. p. 483.

eos tamen in auctoritatem, maxime occidentalis (1), antiquitus recepit Ecclesia, quorum in uno apertissime passio Christi prophetatur. » Ac prolatis Sapientiae et Ecclesiastici quibusdam sententiis, quae Salvatoris passionem praenunciant, explicit: « Hanc, optandi et precandi specie, prophetiam per Jesum Christum videmus impletam; sed adversus contradictores non tanta firmitate proferuntur, quae scripta non sunt in Canone judaeorum. » Idem alibi asserit (2) de Sapientiae libro: « Ista de libris posuimus quos et judaei canonicos habent, (et paulo post) sed non sunt omittendi et hi, quos quidem ante Salvatoris adventum constat esse conscriptos, sed eos non receptos a judaeis; recipit tamen ejusdem Salvatoris Ecclesia. » Pariter de Machabaeorum libris testatur in l. de Civit. Dei: (3) Quos non judaei, sed Ecclesia pro Canonicis habet, propter quorumdam martyrum passiones vehementes et mirabiles, qui antequam Christus venisset in carnem, usque ad mortem pro lege Dei certaverunt.

Tandem maxima observatione dignum est quidquid sanctus episcopus litteris Hilarii respondet, qui eum monuerat massilienses, aliosque Galliarum populos, haeresi pelagiana corruptos, Sapientiae librum non recipere ut canonicum. Quaestio autem tota in illius libri dictis versabatur: « Raptus est, inquit, ne malitia mutaret intellectum ejus; placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properavit eum Dominus educere de medio iniquitatum. » Quae sententia ab illis haereticis in auctoritatem non accipiebatur; ex quo sanctus libro primo de Praedestinatione Sanctorum cap. XIV. contra eosdem irruit, ac simul catholicum episcopum docet: « Quae cum ita sint non debuit (4) repudiari sententia libri Sapientiae qui

(1) Haec a Hieronymo didicit Augustinus, nam saepe Stridonius doctor suis scriptis inserult quaedam dubia de his Scripturis eo quod hebraei e suo Canone illos rescinderunt, et nonnulli ob hoc etiam orientales asserebant, etsi non respuerent divinam illarum auctoritatem, ut infra dicetur, his Scripturis contradici. Observandum tamen est, tum de Hieronymo, ut supra dictum est, tum de Augustino, ut mox legemus, hac in quaestione Hieronymum cessisse Augustino, dum primus opinionem ineunte aetate temperat, et ecclesiasticos priores doctores veneratur, qui in divinam auctoritatem sumpserunt has Scripturas, ut ipse fatetur, et contra Ruffinum de additionibus Danieli hoc idem magis explicat. Aliter vero Augustinus egit, qui integrum Canonem nostrum probavit, ac ad mortem usque firmo tenuit. — (2) Tom. III. p. 133. — (3) Aug. lib. XVIII. — (4) Hornaeus §. II. ex Cosin in historia Canonis, asserit Scripturas Deuteras in ecclesiis non legi ab episcopis et presbyteris, sed a clericis in loco inferiori sitis; et ad hu-

meruit in Christi Ecclesia de gradu lectorum tam longa annositate recitari, et ab omnibus christianis, ab episcopis, usque ad extremos laicos fideles poenitentes, cathecumenos cum veneratione divinae auctoritatis audire. » Et paucis interjectis: « Oportet ut istum librum Sapientiae, ubi legitur: - Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus: - omnibus tractatoribus anteponant, quoniam sibi anteposuerunt etiam temporibus proximis Apostolorum egregii tractatores, qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere nisi divinum testimonium crediderunt, et certe beatissimum Cyprianum disputasse constat, ut celerioris mortis beneficium commendaret, a peccatorum periculis eripi eos, qui hanc vitam finiunt, in qua peccari potest. In eodem libro, idest de Mortalitate, ait idem Cyprianus inter caetera: - Cur non cum Christo futurus, et de Domini pollicitatione securus, quod ad Christum voceris, amplecteris, et quod diabolo carens gratuleris:- et alio loco:- pueri, inquit, periculum lubricae aetatis evadunt:- itemque alio loco: - quid non inquit, properamus et currimus, ut patriam nostram videre, et parentes salutare possimus: - His itaque hujusmodi sententiis doctor ille in catholicae fidei luce clarissima, et satis aperte testatur usque ad hujus corporis depositionem peccandi pericula et tentationes metuendas, deinceps nulla talia quemquam esse passurum. » Insuper neque doctor incusandus est eodem in libro, quod quasi animi suspensione addidit super ea verba: « Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus. » Semipelagiani enim, omnino Sapientiae auctoritate posthabita, Augustini doctrinam respuebant, ac eumdem arguebant, quod libri haud divini verba jactaret, causa suae opinionis muniendae. Divus veritatis vindex, Sapientiae libri verbis aliquantulum sepositis, cum in promptu rationes alias haberet, quibus contra haereticos fidei dogmata stabiliret, inquit: « Tanquam non canonicum: - Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus: - Quod a me quoque positum, fratres istos ita respuisse dixistis, (loquitur ad Hilarium et Prosperum) tanquam non de cano-

jus rei testimonium appellatur Augustinus in libro primo de praedestinatione Sanctorum cap. XIV. Ego vero nihil didici de hac re a divo patre in loco citato. Sed cap. XXVII. duo illa vocabula *de gradu lectorum*, ut supra retuli, inveni, quae ibidem nullum auctoritatis discrimen indicant. Consuetudo tantum, et locus mihi videntur ibi innui a doctore, ubi Sapientiae liber, sicuti ceterae Scripturae legebantur tunc temporis in publicis ecclesiis coram episcopis, presbyteris omnibusque Christifidelibus. Et hac consuetudine libri ejusdem divinam inspirationem probare conatur contra adversarios Augustinus. Vide supra pag. 9.

nico libro adhibitum; quasi et, excepta hujus libri adtestatione, res ipsa non clara sit, quam voluimus hinc doceri.... Haec est tota causa, cur dictum est a quocumque sit dictum: - raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus. » His verbis, ab hac auctoritate cessat, ac aliter ratiocinatur Sanctus, neque libro Sapientiae Divinitatem negat; quinimo postea opportune eam potius adstruit, ut supra dicebam,ex traditione ecclesiastica, proutque deinceps aperte contra eosdem haereticos loquitur: « Eam esse contentionem nimis inconsideratam, quae fit contra illud oraculum: - Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus: - Et ideo fratres nostri non debent, qui nobiscum pro catholica fide perniciem pelagiani erroris impugnant, huic pelagianae in tantum favere opinioni, qua opinantur gratiam Dei secundum merita nostra dari, ut quod audere non possunt, sententiam plane veram et antiquitus christianam: - Raptus est ne malitia etc., destruere moliantur. »

Tandem in haereticum Gaudentium aequo Augustini verba animadvertenda sunt. (1) Inter eosdem enim contentio erat de Raziae facinore, quod Machabaeorum liber secundus narrat. Quamvis doctor quodammodo Raziae mortem, vel suicidium probare nequeat, ut suo loco de his libris sermone disseremus; attamen neque ille, neque adversarius ex authenticis Scripturis Machabaeorum historiam detrahere audent; potiusque Raziae facinoris improbationi obsequitur Pater, quam Scripturas istas apocryphas appellare. Adeo vero firme hunc Canonem tenebat Augustinus, et exploratum, ut libro xv. cap. 23. de Civitate Dei, de libro Enoch haec scribat: « Scripsisse quidem nonnulla divina Enoch septimum ab Adam negare non possumus, cum hoc Apostolus Judas in Epistola Canonica dicat; sed non sunt in Canone Scripturarum.

Sed de tanto magistro ejusque doctrina loqui quis prohibere poterit? Nam de Cypriano, et ejusdem scriptis, mirabile argumentum distinctionis inter scripta Patrum et Scripturas sacras, quas disquirendas aggressi sumus, nobis praestat, dum contra Cresconium donatistam scribit, qui ei tanquam Canonicae auctoritatis firmamentum scripta Cypriani commendabat inquiens: « Primo imitare pietatem, humilitatem Cypriani, et tunc profer Concilium Cypriani. Nos enim nullam Cypriano facimus injuriam, cum ejus quaslibet litteras a Canonica divinarum Scripturarum auctoritate distinguimus. Neque enim sine causa, tam salubri vigilantia Ca-

(1) Lib II. c. XX.

non Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum et Apostolorum libri pertineant, quos omnino judicare non audeamus, et secundum quos de ceteris litteris vel infidelium libere judicemus. » Hac doctrina, hac fide vitam ac mortem signavit Augustinus.

§. IX. Possidius episcopus calamensis in sancti Augustini vita e libro Tobiae haec dicit. « Et fraternas preces poscens de iis, quae accipere cupiebat: - Sacramentum igitur regis, ut angelica auctoritate prolatum est, bonum est abscondere, opera autem Domini revelare et confiteri honorificum est. »

§. X. Obeunte saeculo quinto, Cerealis (1) natione afer castellensis episcopus interrogatus a Maximino ariano episcopo, an posset vel paucis divinae Scripturae testimoniis, absque ulla disputationis assertione fidem Catholicam assignare; respondit se in nomine Domini, suffragante sibi veritate, non paucis testimoniis, sicut Maximinus irridens petierat, sed copiosis tam veteris testamenti, quam novi approbare; quae libello edidit. Inter haec testimonia contra eumdem nobis occurrunt verba Sapientiae: (2) « Splendor est lucis aeternae, et speculum sine macula Dei majestatis, imago bonitatis illius. » Cap. v. ex eodem libro excipit Cerealis: « Quod omnipotens est Filius, sic docetur; in Salomone legitur: - Omnipotens sermo tuus Domine exiliens a regalibus sedibus, in mediam exterminii terram prosilivit. » Paulo post: « Hieremias Propheta dicit (qui pro Baruch hic habetur): - Magnus est, et non habet finem, excelsus et immensus, hic Deus noster, et non est alius: - Et ut appareat de Christo dici, sequitur: - postea in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. » Ex eodem Sapientiae (3) libro doctor arianum arguit cap. XIV. « Item in Salomone dicit: - Spiritus Sanctus unicus, multiplex, subtilis, immobilis, incoinquinatus, certus, securus, amans bonum, omnia potens, omnia praesciens: - Ecce qualis est Spiritus Sanctus. » Capite XX. sumit Ecclesiastici verba: « Quia innumerabilis est magnitudo Dei. » His testimoniis Maximinus arionita victus cessit, et respondere non valuit.

§. XI. Eodem tempore de persecutione vandalica tres libros scripsit beatus Victor uticensis, in quorum primo verba trium puerorum contulit, inquiens: « Et ut in medio Vandalorum nostri nullatenus respirarent, neque usquam orandi, aut immolandi con-

(1) Bib. Patr. saec. 5. — (2) Sap. c. VII. 26. — (3) Sap.c.VII. 22.

cederetur gementibus locus, ut manifeste tunc prophetiae vaticinium compleretur: - Non est in hoc tempore princeps aut Propheta, vel dux, neque locus ad sacrificandum nomini tuo. » Paulo post de Holoferne mentionem facit. Pariter in suo de Catholica Fide libro, Sapientiam appellat, docens: « Patris ergo substantiam Filium esse, propheticis jam olim designatum est oraculis, dicente Salomone:(1) - Substantiam enim tuam,et dulcedinem,quam in filios habes, ostendebas. » Tandem de martyribus, qui Chartagini passi sunt, locutus, Machabaeorum historiam confert.

§. XII. Eadem aetate munere episcopali, praeeuntibus sanctitate, doctrina, ac zelo, fungebatur beatus Fulgentius, cujus libri, quamvis, juxta Isidorum, plures numero, ad nos omnes non pervenere. Ex his tamen quotquot nunc reperiri potuerint, Bibliorum Deuterorum Canonica auctoritas satis probatur. Epistola secunda ad Gallam de Statu viduali cap. XIV: « Habes, inquit, et in veteri, et in novo testamento sanctarum viduarum, quibus aedificeris, exempla; in veteri testamento Judith, Anna in novo. .... De Judith enim scriptum est: « Et erat Judith in domo sua vidua annis tribus et mensibus quatuor, et fecit sibi tabernaculum super solarium domus suae, et imposuit super lumbos suos cilicium. » Procedit inde sanctus episcopus enarrans istius mulieris gesta, juxta ejusdem libri Scripturam. Homilia LXIX. in Natale sanctorum Machabaeorum: « Micat, inquit, in coelo Bootes clare refulgens connexione stellarum, sed amplius hodie cum matre resplendet Ecclesia de septem sideribus filiorum. » In libro de veritate praedestinationis: « Admonet nos sancta Scriptura (3) docens: « Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris. »

Idem Ferrando scribens de quinque quaestionibus cap. XI ait: « Sed etiam in hymno trium puerorum nihilominus legitur: - Benedicite spiritus, et animae justorum Domino. » Ad eumdem de duabus quaestionibus loquitur juxta Sapientiae (4) librum: « De Spiritu quoque sancto Scriptura divinitus inspirata sic dicit: - Quia Spiritus Domini replevit orbem terrarum; et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis. » Ibidem verba Susannae repetit: « Sancta Susanna Deum verum taliter invocante: - Deus, qui occultorum es cognitor, qui scis omnia antequam fiant. » Libro secundo ad Trasimundum regem cap. XIV. Baruch Scripturam com-

(1) Sap. c.XVII. — (2) Bibl. Patr. saec.V. — (3) Eccles. c.III. 22. — (4) Sap cap. I. 7.

mendat: « Est igitur immensus Dei Filius, et Pater, et Spiritus, quoniam de ipso dicitur: - Magnus est, et non habet finem, excelsus, et immensus; ac paulo post: - post haec in terra visus est, et cum hominibus conversatus. »

Contra arianos, libro primo, Salomonis Sapientiam invocat his verbis: (1) « Panem de coelo datum, substantiam et dulcedinem Dei esse, Scriptura testatur. » In sermone fastidiosi ariani, qui inter scripta Fulgentii occurrit, de eodem Sapientiae libro legitur: « Nec ad peccatum fecit hominem, nec ad mortem, Scriptura dicente: - Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum. » Omissis aliis plurimis e Scripturis Deuteris a divo Fulgentio excerptis testimoniis, haec tantum supra relata pro illis spondeant.

§. XIII. Ferrandus diaconus Ecclesiae carthaginensis aequalis et familiaris Fulgentii ad Reginum comitem paraeneticus alloquitur: « Si parvus exercitus contra hostium multitudines innumerabiles educendus sit, orante Judith, protinus confortaberis, consona oratione, dum gemebundus exclamaveris: (2) - Non in multitudine est fortitudo tua, neque virtus tua in potentatibus, sed humilium est Deus. » Ad eumdem, juxta Ecclesiastici Scripturam: (3) « Respondente tibi sapientissimo Salomone: - Noli esse multum justus. » In ejusdem Epistola ad Severum scholasticum scribit: Heri antequam acciperet carnem; hodie quando juxta vaticinium Hieremiae Prophetae: (4) - Hic Deus noster, et non aestimabitur alius absque illo, qui invenit omnem viam disciplinae, et dedit illam Jacob puero suo et Israel dilecto suo; post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. »

Haec fuit in mauricis regionibus doctrina, et institutio ab ejus ortu usque ad saeculi quinti exitum, cujus ubique firma unanimitas in re nostra est inspicienda. Et nunc illius Ecclesiae Deum, Apostolos, Patres, doctores omnes sanctos orantes obtestemur, ut rursus illarum gentes e tenebris erroris et seductionis, quibus longissima ab aetate involutae sunt, ad Evangelii lucem restituantur, juxta illius doctrinam incedant, et gloriae coelestis participes fiant, cujus initium jam nobis, favente coelo, eluxit.

(1) Sap. c. XVI. — (2) Judith. c. IX. 16. — (3) Eccl. 7. 17. — (4) Baruch c. III. 37.

PROPOSITIO IV.

Ecclesiae alexandrinae documenta pro Scripturis Deutero-Canonicis, a saeculo Christi primo, usque ad sextum.

§. I. Ecclesia aegyptiaca, vel alexandrina erecta fuit a divo Marco Evangelista sancti Petri discipulo, quem in sua epistola filium suum vocat. Hic, teste Hieronymo, Christi Evangelium Romae a fratribus rogatus scripserat, magistri sui doctrinam sectatus, qui ubique ei socius perstiterat. Clemens alexandrinus in suo libro *ypotyposeon*, et Papias hieropolitanus (1) tradunt Petrum evangelico opere discipuli fuisse delectatum, et hanc Scripturam auctoritate sua fecisse ratam. Tradunt insuper, ut dicebam, hunc Marcum in Ægyptum trajectum primum, ibi Evangelium praedicasse, et ecclesiarum institutorem fuisse, ad quas christiani, more apostolico, conveniebant. Absque profectu certe illas in regiones semen evangelicum non incidit: quinimo ex Apostolorum praedicatione brevi spatio aegyptiae civitates filiorum multitudinem Christo Domino protulerunt, ex gentilibus partim venientium, et ex judaeis, quorum magna copia illas terras incolebat. Qualis in ista Ecclesia christianus fervor esset, et quomodo vitae apostolicae institutio servaretur, ab illis monacis accipimus, qui a religionis Christi primordiis desertis in agris vitam degebant, ut ibi Christi serviendi libertatem acquirerent. Divinarum Scripturarum lectio, et perfectionis studium praecipuum erat negotium, cui sese devovebant isti evangelicae dispensationis athletae. Hoc idem excipitur ex Alexandriae schola, (2) ubi fideles, sacerdotes, episcopi pro praedicationis munere edocebantur, quam sanctus idem Evangelista fundaverat, et postea, ut infra videbitur, eam Pantaenus, Clemens, Origenes, aliique rexere. Quidquid autem in hac, vel hujusmodi scholis agerent, vel discerent christiani, nobis tradit Eusebius idem, dum ait: « In his, sacris Scripturis maxime opera impendebatur, nec tamen humaniorum disciplinarum studium prorsus negligebatur; sed magis ad Scripturam sacram incumbebant adeo, ut memoriter etiam sacras Scripturas tenerent. »

De christianae religionis in Ægypto origine, ejusque in ea regio-

(1) Euseb. Hist. Eccl. lib. II. — (2) Assemani Bibliot. orient.

ne progressu, his paucis praemissis, nunc accurate inquirendum quidquid Apostoli, eorum discipuli, aliique doctores, qui sibi invicem successere, docuerint de divinis Scripturis earumque Canone, quippe quae, ut ajebam, praecipuum illius scholae christianae munus constituebant.

§. II. Post divi Marci obitum, nullum ante Pantaenum constat, illam scholam rexisse. Pantaenus enim scholae alexandrinae anno Christi 170 praefuisse dicitur; ex quo aequo conjici potest eum cum Apostolorum discipulis versatum esse, et integerrimam apostolicam doctrinam ex ore ipsorum comparasse. De eo disserens Eusebius, (1) illum appellat virum omni humaniori litteratura praestantissimum, et addit: « Ipse institutioni christianorum Alexandriae praeficitur, qui sermone coram, tum scriptis divinae Religionis thesauros hominibus proposuit. » Si Pantaeni scripta, ejusque doctrina ad nos non pervenerunt, illius vero discipuli Clementis libri servati sunt, e quibus ejusdem testimonium circa nostras investigationes facile educendum est.

§. III. Clemens itaque alexandrinus fere Pantaeno aequalis fuit, post eumdem alexandrinae scholae praeficitur, cujus pro Scripturis Deutero-Canonicis auctoritas tanta habebitur, quantum illius institutio, doctrina et apostolicae aetati affinitas nobis exhibetur. Haec omnia in sui testimonium clare leguntur in suo libro primo Stromatum, ubi his verbis admonet, et nobis sedulo est ponderandus: (2) « Non est, inquit, hoc opus Scriptura comparata ad ostentationem, sed mihi ad senectutem reconduntur monimenta, oblivionis medicamentum, vere imago, et adumbratio evidentium, et animatarum illarum orationum, quas dignus habitus sum, qui audirem, et virorum beatorum, quique revera erant maximi pretii ob aestimationes; eorum unus quidem in Graecia jonicus, alius vero in magna Graecia, quorum alter ex Caelesyria, alter ex Ægypto oriundus. Alii autem ex Oriente, et ejus alter quidem assyrius, alter vero in Palaestina hebraeus ex alto ducta origine. Cum autem in ultimum incidissem, erat autem hic primus potestate, conquievi, quum ipsum in Ægypto latentem indagassem. « Σικελικὴ τῷ ὄντι ἡ μελίττα προφητικού τε, καὶ ἀποστολικοῦ λειμώνος τὰ ἄνθη δρεπόμενος, ἀκήρατόν τι γνώσεως χρῆμα ταῖς τῶν ἀκροωμένων ἐγέννησε ψυχαῖς. Ἀλλ' οἱ μεν τὴν ἀληθῆ τῆς μακαρίας σώζοντες διδασκαλίας παράδωσιν, εὐθὺς ἀπὸ Πέτρου, τε καὶ Ἰακώβου,

(1) Hist. Eccl. lib. V. c. X. — (2) Ed. Lutetiae p. 274.

Ἰωάννου τέ, καὶ Παύλου, τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, παῖς παρὰ πατρὸς ἐκδεχόμενος· ὀλίγοι δὲ οἱ πατράσι ὅμοιοι· ἦκον δή, σὺν Θεῷ, καὶ εἰς ἡμᾶς τὰ προγενικὰ ἐκείνα, καὶ ἀποστολικὰ καταθησόμενοι σπέρματα ; i. e. Sicula vero apis (sic vocat Pantaenum) prophetici et apostolici prati flores decerpens, sinceram quamdam, et incorruptam cognitionem ingeneravit eorum, qui audiebant animis. Sed hi (attendas quaeso) veram quidem beatae doctrinae servabant traditionem, statim a Petro, et Jacobo, et Joanne, et Paulo sanctis Apostolis, tanquam filius a patre excipiens; pauci enim patribus similes; ad nos quoque, volente Deo, pervenerunt illa a majoribus data et apostolica deposituri semina. » Commentaria insuper Pantaeni in sacras Scripturas prae manibus habuit Clemens, ut ait Eusebius (1).

His verbis allectus lubenter ejusdem scripta percurro; et in re nostra illius auctoritatem sumo, dum Scripturas Deutero-Canonicas utpote divinas legit Clemens, inter ceteras Priores Scripturas conferens. In libro enim, quem supra retulimus, de Moysis vita, et gestis locutus, procedit sic: « Operae pretium est autem, cum in hunc locum devenerimus, aliorum quoque Prophetarum, (2) qui post Moysen fuerunt apud hebraeos, tempora exquirere. » Et plurimis ex his juxta Scripturam censitis ad captivitatem devenit inquiens: « In hac captivitate fuit Esther et Mardochaeus cujus habetur liber, sicut etiam Machabaeorum.... Tunc per draconem Daniel ejectus est in lacum leonum, ab Abacuc divina Providentia nutritur, septimo die servatur. Hic etiam factus est signum Jonae, et Tobias per Raphaelem Angelum Sarram ducit uxorem, cum daemon septem primos ejus procos sustulisset, et post nuptias Tobiae, pater ejus Tobet visum recipit. » Libro secundo Paedagogi cap. v. de Risu, inquit: « Est autem risus insolens et protervus ac procis conveniens: (3) Μωρὸς δὲ ἐν γελῶτι ἀνυψοῖ φωνὴν αὐτοῦ, φήσιν ἡ γραφή, ἀνὴρ δὲ πανοῦργος, μόγις ἡσυχῇ μειδιάσει, i. e. Stultus autem in risu extollit vocem suam, dicit Scriptura, vir autem astutus, vel prudens vix sensim subridebit. » Ex ipso Ecclesiastici libro haec profert: (4) « Οὐ γὰρ γινώσκει, φήσιν ἡ γραφή, ὅτι ὀφθαλμοὶ Κυρίου ὑψίστου μυριοπλασίως ἡλίου φωτεινότεροι εἰσὶν· οἱ ἐπιβλέπουσι πάσας ὁδοὺς ἀνθρώπων, καὶ κατανόουσιν εἰς ἀπόκρυφα μέρη, i. e. Non enim cognoscit, ait Scriptura, quoniam oculi Domini

(1) Hist. Eccl. lib. VI. c. II. — (2) Pag. 313. — (3) Eccl. c. XXI. 23. — (4) Eccl. 15. 20.

altissimi quanto sint sole splendidiores, qui respiciunt omnes vias hominum, et considerant occultas partes. »

Libro VI. Stromatum, Tobiae (1) loquentem Angelum adducit de beneficiis, quae aliis praestanda sunt: « Ἐπακούσας τῆς λεγούσης γραφῆς: - Ἀγαθὸν νηστεία μετὰ προσευχῆς; i. e. Audiens Scripturam, quae dicit: - Bonum jejunium cum oratione. » Libro primo Paedagogi cap. X. inter alias Scripturae veteris sententias verba Baruch sub Hieremiae nomine extollit: « Φρόνησις γὰρ καὶ ἡ γνῶσις, διὰ τοῦ αὐτοῦ προφήτου μηνύεται, λέγοντος, Ἄκουε Ἰσραὴλ ἐντολὰς ζωῆς· ἐνωτίσασθε γνῶναι φρόνησιν; i. e. Prudentia enim et cognitio significatur per eumdem Prophetam Hieremiam scilicet dicentem: (2) - Audi Israel mandata vitae, auscultate ut sciatis prudentiam. » Libro ejusdem Paedagogi secundo cap. III. ipsius Baruch (3) verba repetit praelocutus: « Παγκαλῶς γοῦν ἡ θεία ποῦ λέγει γραφὴ πρὸς τοὺς φίλαυτους, καὶ ἀλαζόνας ἀποτεινομένη, ποῦ εἰσιν οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνων, καὶ....,i.e. Pulcherrime igitur alicubi dicit divina Scriptura, ad eos, qui sunt sui amantes et arrogantes, contendens: - Ubi sunt qui gentibus imperabant, etc. » Stromatum libro VI. e Sapientiae (4) libro plura enarrat, inter quae illud legit a capite octavo sumptum, inquiens: « Ὁ γνωστικὸς γὰρ οἶδεν κατὰ τὴν γραφὴν, τὰ ἀρχαῖα, καὶ τὰ μέλλοντα εἰκάζει· ἐπίσταται στροφὰς λόγων, καὶ λύσεις αἰνιγμάτων σημεῖα, καὶ τέρατα προσγινώσκει καὶ ἐκβάσεις καίρων, χρόνων, ὡς προειρήκαμεν, i. e. Namque cognitione praeditus est, juxta Scripturam, novit antiqua, et quae futura sunt. Scit strophas orationum, et aenigmatum solutiones; praescit signa, et portenta, et eventus temporum et aetatum, ut praediximus. » Praeterea ibidem ex eodem libro (5) ait: « Περὶ δὲ τῆς γνώσεως ὁ Σολομων διαλεγόμενος, τάδε φησί, λαμπρὰ καὶ ἀμαραντός ἐστιν ἡ σοφία, i. e. De cognitione autem disserens Salomon, haec dicit: - Clara est, et quae non marcescit Sapientia, etc. » In Epitomis de hymno trium puerorum inquit: (6) « Οἱ ἀμφὶ τὸν Σέδραχ, Μίσαχ, Ἀβδεναγὼ, ἐν τῇ καμίνῳ τοῦ πυρὸς ὑμνοῦντες τὸν Θεὸν, λέγουσιν· εὐλογείτε οἱ οὐρανοὶ τὸν Κύριον, ὑμνεῖτε, καὶ ὑπερυψοῦτε αὐτὸν εἰς τοὺς αἰῶνας, i. e. Circa Sedrac, Misach, Abdenago in camino ignis laudantes Deum, dicunt: - Benedicite coeli Domino, laudate et superexaltate eum in saecula. » De Machabaeorum libris mentionem facit Clemens libro

(1) Tobiae c. XII. p. 665. — (2) Baruc. c. III. 9. — (3) Baruc. c. III. 16. (4) Pag. 660. et Sap. c.III. 8. — (5) Pag. 673. et Sap. c.VI. 13. — (6) Pag. 501. Dan. c. III.

quinto Stromatum dum scribit: « Ἀριστοβούλῳ δὲ τῷ κατὰ Πτολεμαίον γεγενότι τὸν Φιλάδελφον, οὗ μέμνηται ὁ συνταξάμενος τὴν τῶν Μακκαβαϊκῶν ἐπιτομήν, i. e. Ab Aristobulo autem, qui fuit tempore Ptolomaei Philadelphi, cujus meminit is, qui composuit epitomen Machabaeorum, etc. »

Tandem libro quarto Stromatum, ubi agit sacer philosophus de martyrio et de perfectione, luculentius nobis tradit argumentum pro Scripturis Deuteris. Dicit enim: (1) « Hujus perfectionis potest et vir et mulier aeque esse particeps. Jam vero non solus Moyses, qui audivit a Deo: - Locutus sum ad te semel, et bis, etc.... Ἀλλὰ καὶ Ἰουδὶθ, ἡ ἐν γυναιξὶ τελειωθεῖσα, ἐν συγκλεισμῷ τῆς πόλεως γενομένης, δεηθεῖσα τῶν πρεσβυτέρων, εἰς μὲν τὴν παρεμβολὴν τῶν ἀλλοφύλων εὐέρχεται, τοῦ παντὸς καταφρονήσασα κινδύνου ὑπὲρ τῆς πατρίδος, ἑαυτὴν ἐκδοῦσα τοῖς πολεμίοις ἐν πίστει Θεοῦ· λαμβάνει δὲ εὐθὺς τ' ἀπίχειρα της πίστεος, κυρία τῆς Ὀλοφέρνου γενομένη κεφαλῆς· πάλιν τε αὖ ἡ τελεία κατὰ πίστιν Ἐσθὴρ, ῥυόμενη τὸν Ἰσραήλ.... Ἀνεστείλεν δὲ τὸν Ἀμὰν, καὶ τὸν Ἰσραὴλ τῇ τηλεία πρὸς τὸν Θεὸν δεήσει ἀπαθῆ διεφύλαξεν· σιωπῶ γὰρ Σουσάνναν, καὶ τῆς Μοσέως ἀδελφὴν, ὡς ἡ μὲν, ... ἡ δὲ σεμνότητος ὑπερβολῇ, καὶ μέχρι θανάτου χωροῦσα, πρὸς τῶν ἀκολάστων ἐραστῶν κατακρινομένη, μάρτυς ἁγνείας ἔμεινεν ἀῤῥεπής, i. e. Sed etiam Judith quae in mulieribus consummata, cum esset urbs circumsessa, precata seniores, in castra quidem alienigenarum ingreditur, omne periculum contemnens pro patria, semetipsam tradens inimicis, in fide Dei. Praemia autem fidei mox accipit, cum ipsa potita sit capite Holophernis. Et rursus perfecta illa in fide Esther, liberans Israel.... et sustulit Aman et Israelem perfecta ad Deum oratione illaesum conservavit. Sileo enim Susannam et Moysis sororem, quod haec quidem etc.... Altera autem per summam honestatem, ut usque ad mortem procedens cum intemperantibus condemnaretur amatoribus, perstitit firma, et constans testis pudicitiae. » Verba Clementis de Esthere nuper dicta: « Et Israelem perfecta ad Deum oratione illaesum conservavit. » Cum ad capita hebraice scripta referri non possint, partibus Deutero-Canonicis jungantur, in quibus regina Esther confugiens ad Deum longa oratione eum deprecata est. Quae autem hucusque protulit in suis libris Clemens e Scripturis Deutero-Canonicis, plurimis aliis testimoniis, quae ab eodem ex illis censita sunt, seclusis, divinitus inspirata esse firme contendit in capite ejusdem libri, in-

(1) Pag. 592. idem Clem.

quiens: « Quibus fuerit consequens, ut postquam Theologiam cursim percurrerimus, ea, quae prophetiis tradita sunt, tractemus; ut cum etiam Scripturas, quibus credidimus, validas ac ratas esse omnipotenti auctoritate ostenderimus, serie possimus per ipsas progredi, et hinc omnibus haeresibus unum Deum ostendere, et Dominum omnipotentem, qui per legem et Prophetas, et beatum etiam Evangelium fuit sincere, ac germane praedicatus. »

§. IV. Siqui hucusque antiquitate, doctrina et divinarum litterarum peritia, studium nostrum consecuti sunt, merito quidem ille, qui hoc in loco nobis occurrit, cujus scripta ad investiganda aggredimur nostris disquisitionibus, pro rei veritate maximum ponderis conferre videtur. Origenes is est, qui nomine Adamantii donatus est, juxta illius mentis, ut ait Photius adamantinum robur, quae nullis in illustranda Scriptura, et in scribendo laboribus defatigata, omnia haereticorum tela sua fide retunderet. Genere aegyptius, Alexandriae natus Clementis alexandrini discipulus fuit Origenes, obeunte saeculo secundo. Ecclesiasticae doctrinae puritatem consequendi causa, christianisque studiis proficiendi, primum Romam petit, inde Alexandriam reversus linguam hebraicam didicit. Postea Palaestinam peragravit, Antiochiam, Cappadociam venit, Athenas visitavit, rursus Caesaream Palaestinae concedit, Hierosolymam visit, eisdemque in regionibus, optimum, ut par est, thesaurum notionum sibi undecumque acquirens. Praeterea Scriptores ecclesiasticos, interpretes, Clementem scilicet, Ignatium, Josephum, Philonem et alios evolverat Adamantius adeo ut, teste Eusebio, (1) ad Origenem Caesareae consueta disciplinae munera exequentem, non solum multi ab indigenis, sed etiam ab exteris regionibus pene infiniti discipuli, patria sua relicta, adventarint. Adde quoque, quod episcopi, ac ceteri doctores ad eum conveniebant, ut per ipsum quaestiones solverentur, cujus rei testis inter alios exsurgit Porphyrius idem, qui, dum contra doctrinam Moysis, et Christi agebat, ait: (2) « Origenes, quo adolescens aliqua utebar familiaritate, qui illo tempore maximo honore fuit, et adhuc est propter libros, quos post se reliquit, cujus gloria apud istius doctrinae professores et magistros, est cum magno splendore pervagata, etc. » His omnibus lectori objectis, in divino sacrorum Bibliorum Canone inquirendo (illius de ceteris, quae ad rem nostram non attinent, opinionibus seclusis)

(1) Hist. Eccl. de Origen. lib. VI. — (2) Euseb. Eccl. hist. lib. VI.

ipsius sententias amplecti non pigebit, quinimo si de hoc, ab ejus fama, honore et aestimatione, quam ab omnibus illius aevi viris adeptus est, decernere velimus, tantum illius de Scripturis Deutero-Canonicis testimonium et fides sufficerent. Et ut omnia ita se habere dicantur, absque mora illius scripta devolvamus.

Contra Celsum libro III. cap. 72. (1) de divina Sapientia ex ipsius libro legit: « Φήσομεν οὖν καὶ πρὸς τοῦτο, ὅτι εἴπερ ἡ σοφία ἐπιστήμη θείων ἐστι, καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων, καὶ τῶν τούτων αἰτίων· ἢ ὡς ὁ θεῖος λόγος ὁρίζεται, ἀτμὶς τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως, καὶ ἀπόῤῥοια τῆς τοῦ παντοκράτορος δόξης εἰλικρινής, καὶ ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίου, καὶ ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον τῆς τοῦ Θεοῦ ἐνεργείας, καὶ εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ, i. e. Respondemus ergo et ad hoc, quoniam siquidem Sapientia cognitio divinarum est, et humanarum rerum, et harum causarum; aut quomodo sermo divinus definit: (2) - Vapor divinae potestatis, et affluentia limpida omnipotentis gloriae, splendor lucis aeternae, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius. » In eumdem libro v. cap. 29 (3) ex eodem libro sumit: « Ἀσεβὲς γὰρ τὸ τοιοῦτον, παραδοσίαν περιέχον τῶν ἀποῤῥήτων τῆς τοῦ Θεοῦ σοφίας λογίων· περὶ ἧς καλῶς γέγραπται· (4) εἰς κακότεχνον ψυχὴν οὐκ εἰσελεύσεται σοφία, οὐδὲ κατοικήσει ἐν σώματι κατάχρεῳ ἁμαρτίας, i. e. Impium enim tale est prodere arcana verba divinae Sapientiae, de qua pulchre scriptum est: - In malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. » Pariter in Epistolam ad hebraeos Origenes (5) ejusdem Scripturae verba retulit: « Cum autem discutitur hoc, quod dictum est de Filio Dei, quod sit splendor gloriae, necessario videtur simul disserendum et illud, quod dictum est, non solum quod splendor lucis aeternae est, sed et quod huic simile in Sapientia Salomonis refertur, in qua seipsam Sapientia describit dicens: - Vapor est virtutis Dei et aporrhaea gloriae omnipotentis purissima. » Et post nonnulla sequitur: « Oportet autem scire nos, quia per ineffabilia quaedam, et secreta, ac recondita, quemdam modum sibi faciens Scriptura sancta conatur hominibus indicare, et intellectum suggerere subtilem. Vaporis enim nomen inducens, hoc ideo de rebus corporalibus assumpsit, ut vel ex parte aliqua intelligere possimus, quomodo Christus, qui est Sapientia, secundum similitudinem ejus vaporis, qui de substantia aliqua corpo-

(1) Edit. Parisiis T.I.p.494.— (2) Sap.c.VII. 25.— (3) Tom.I.p.598. — (3) Sap. c. I. 4. — (5) Tom. IV. p. 697. et Sap. c.VII. 25.

rea procedit, sic etiam ipse, ut quidam vapor exoritur de virtute ipsius Dei, sic et Sapientia ex eo procedens ex ipsa Dei substantia generatur. Sic nihilominus, et secundum similitudinem corporalis aporrhaeae esse dicitur aporrhaea gloriae Omnipotentis pura quaedam, et sincera. »

Libro secundo de Principiis (1) ait: « Denique proprie laudabiliter animam poni Scripturis sanctis, require si facile invenias; culpabilitater autem frequenter occurrit, ut ibi e libro Ecclesiastici: (2) - Anima mala perdit eum, qui possidet eum; et anima quae peccat ipsa morietur. » Homilia XVI. in Hieremiam (3) ipsum librum compellat dicens: « Ἡμεῖς δὲ οὐκ ὀνειδίζομεν καὶ τοὺς μετανοοῦντας, καὶ ἐπιστρέφοντας, λεγούσης τῆς γραφῆς μὴ ὀνειδίζει ἄνθρωπον ἀποστρέφοντα ἀπὸ ἁμαρτίας, i. e. Nos autem non exprobramus, et illis qui poenitentiam agunt, et convertuntur, dicente Scriptura: (4) - Ne improperes viro convertenti a peccatis. » In Hieremiae verba cap. V: « Domine oculi tui ad fidem. » Homil. VI. Ecclesiastici dicta (5) interpretatur inquiens: « Ἴδωμεν εἰ δυνάμεθα διηγήσασθαι, τί ἐστι τὸ πονεῖν ἀπὸ μαστίγων Θεοῦ· μακαρίοι δὲ οἱ πονοῦντες ἀπὸ μαστίγων Θεοῦ· φησὶ γὰρ ἡ σοφία, τίς δώσει ἐπὶ τοῦ διανοήματός μου μάστυγας, καὶ ἐπὶ τῶν χειλέων μου σφραγίδα πανοῦργων, ἵνα ἐπὶ τοῖς ἀγνοήμασι μοῦ μὴ φείσωνται, καὶ αἱ ἁμαρτίαι μου μὴ ἀπολέσωσί με; πρόσχες τῷ· τίς δώσει ἐπὶ τοῦ διανοηματός μοῦ μάστιγας; οὐκοῦν εἰσι μάστιγες τὸ διανόημα μαστιγοῦσαι, i. e. Videamus si exponere valeamus, quid sit dolere a flagellis Dei, dicit enim Sapientia: - Quis dabit super cogitatione mea flagella, et super labia mea signacula astutorum, ut ignorationibus meis non parcant, et peccata mea non perdant me? Attende illud, quis dabit super cogitatu meo flagella? Ergo sunt flagella, quae cogitationem flagellant. » Homilia XIX. in Hieremiam, ea verba « praevaricationem, et miseriam invocabo » interpretatus Origenes arguit: « Θέλω παράδειγμα δοῦναι ἀπὸ τῆς γραφῆς δικαίου τοῦ συνθήκας ἀθετοῦντος, ἵνα παραστήσω πῶς ἐκεῖνος τῷ ἔργῳ ἀθεσίαν ἐπικαλέσατο. Ἰουδὴθ συνθήκας ἔθετο πρὸς τὸν Ὀλοφέρνην, ὥστε τοσῶνδε ἡμέρων ἐξερχομένη εὔχεσθαι τῷ Θεῷ, καὶ μετὰ τοσάσδε ἡμέρας ἑαυτὴν παρέξειν τῇ κοίτῃ τοῦ Ὀλοφέρνου· ταύτας τὰς συνθήκας ὁ Ὀλοφέρνης ὑπεδέξατο· ἀπέλυσε τὴν Ἰουδὴθ ἐπὶ τὰς εὐχὰς ἔξω τῆς παρεμβολῆς· τί ἔχρην ποιήσαι τὴν Ἰουδήθ; τηρῆσαι τὰς συνθήκας, καὶ ἀθετῆσαι αὐτὰς, ὡμολογηται, ὅτι ἀθετήσαι· τὰς γὰρ πρὸς Ὀλοφέρνην ἀθετήσαι, μακάριον ἦν ἐπὶ τοῦ Θεοῦ, i. e. Volo exem-

(1) Tom. I. p. 95. — (2) Eccl. c. VI. 4. — (3) Tom. III. p. 282. — (4) Eccl. c. VIII. 6. — (5) Eccl. c. XXIII. 2.

plum dare de Scriptura justi pactum frangentis, ut ostendam quomodo ille reapse praevaricationem invocavit. Judith foedera sanciverat cum Holopherne,(1) ut tot diebus exiens deprecaretur Deum, et post has dies semetipsam traderet cubili Holopherni. Haec pacta Holophernes admisit; dimisit Judith ad precandum extra castra. Quid faciendum erat Judith? Pacta servare ne, vel praevaricari? In confesso est quia praevaricari? Pacta enim cum Holopherne violare, beatum erat apud Deum. » In Hieremiam pariter ex eodem libro sumit: « ἣν δεῖ τέμνεσθαι κατὰ τὸ , συντριβήσονται πέτραι ἐνώπιον κυρίου, i. e. Quae (2) conterenda est, juxta illud: - Conterentur petrae a facie Domini. » In Joannis Evangelium super ea verba: « Quod factum est, in ipso vita erat.... ἔτι δὲ καὶ ἡλίου Θεός, καὶ ὡς φησιν Ἰουδὶθ , τοῦ πατρὸς αὐτῆς Συμεών, καὶ Θεὸς τῶν Ἑβραίων i. e. Adhuc et solis Deus, et sicut dicit Judith, patris sui Symeon, et hebraeorum Deus. » Ex eodem Evangelio interpretatus dictum: « Sine ipso factum est nihil, et omnia per ipsum facta sunt » subjungit: « Et adnotamus num e Scripturis possint haec accuratissime ostendi. » Deinde Pauli Apostoli ad romanos testimonium compellat; postea: (3) « Ἀλλὰ καὶ ὁ Μαρδοχαῖος, ἐν τῇ κατὰ Ἑβδομήκοντα Ἐσθήρ, μὴ ὄντας τοὺς ἐχθροὺς τοῦ Ἰσραὴλ καλεῖ λέγων: " μὴ παραδῷς τὸ σκῆπτρόν σου Κύριε τοῖς μὴ οὖσιν , i. e. Sed Mardochaeus etiam in libro Esther juxta Septuaginta, non existentes, inimicos Israel vocat dicens: « Ne tradas sceptrum tuum, Domine, his qui non sunt. »

In Epistola ad romanos libro IV. inquit Origenes « Vis autem et ex veteri Scriptura perdoceri, quod filius quis dicitur, non tantum ejus, de cujus carnali semine descendit, sed et ejus, cujus actus imitatur et opera? Audi Daniel, (4) quid dicat ad unum ex illis senioribus, quos arguit adulterii: - Semen, inquit, Chanaan et non Juda, species seduxit te; et concupiscentia evertit cor tuum. » Commentaria in Joannem tomo XXVIII. ex ipsius historia exhibent: « καὶ τὰ περὶ τῆς Σουσάννα τοῦ τὸν εἰρημένα τὸν τρόπον· ἡ δὲ κλαίουσα ἀνέβλεψεν εἰς τὸν οὐρανὸν ὅτι ἦν ἡ καρδία αὐτῆς πεποιθυῖα ἐπὶ κυρίῳ, i. e. Et quae de Susanna, hoc modo dicta sunt, ipsa autem flens respexit in coelum, quoniam erat cor ejus fisum in Domino. » Rursus ex Daniele ad significandum differentiam, quae inter animam et corpus cedit, ad Scripturas venit, et prae-

(1) Iudith. c. VIII. 5. 6. — (2) Jud. c XVI. 16. 18. — (3) Esler c. XIV. 11. — (4) Susanna Daniel. c. XXXVI. 13.

ter alias hanc Prophetae auctoritatem legit: « ἐν τῷ κατὰ τοὺς Ἑβδομήκοντα Δανιὴλ φερόμενον: εὐλογεῖτε πνεύματα, καὶ δικαίων ψυχαί: περίστησι τὴν διαφορὰν πνεύματος, καὶ ψυχῆς, i. e. In eo, quod juxta Septuaginta Daniel affert: (1) - Benedicite spiritus, et justorum animae: constituit differentiam spiritus et animae. » E libro Baruch haec subjungit: « Et quoniam facta adoratione in terra alicujus alieni, etc. Deus ordinavit, ut ejicerentur aliqui e terra sua et abirent in terram: περὶ ἧς γέγραπται· ἄκουε Ἰσραὴλ, τί ὅτι ἐν γῇ τῶν ἐχθρῶν εἶ; συνελογίσθης μετὰ τῶν καταβαινόντων εἰς ᾅδου, ἐγκατέλιπες παγὴν ζωῆς τὸν Κύριον, i. e. De qua scriptum est: audi Israel; cur quod in terra inimicorum es? Computatus es cum descendentibus in infernum, dereliquisti fontem vitae Dominum. » Baruch insuper libri auctoritatem (2) ex viris vetustioribus redigit Origenes, dum libro secundo de Principiis, relatis eorum opinionibus, qui Mundum proprie appellari globum ἀπλανῆ volunt, dicit: « Denique etiam Baruch Prophetae librum in assertionis hujus testimonium vocant. »

De oratione sacer Interpres (3) cap. x. haec e libro Tobia sumit, in suorum verborum auctoritatem, inquiens: « Quae inde patent, quod Raphael obtulerit Deo rationabile obsequium Tobiae et Sarrae, μετὰ γὰρ τὴν εὐχὴν ἀμφοτέρων εἰσηκούσθη, φησὶν ἡ γραφὴ, προσευχὴ ἀμφοτέρων ἐνώπιον τῆς δόξης τοῦ μεγάλου Ῥαφαὴλ, καὶ ἀπεστάλη ἰάσασθαι τοὺς δύο, καὶ αὐτὸς δὲ Ῥαφαὴλ φανερῶν ἑαυτοῦ ὡς ἀγγέλου τὴν κατὰ πρόσταγμα τοῦ Θεοῦ πρὸς ἀμφοτέρους οἰκονομίαν, φησὶ· καὶ νυν ὅτι προσηύξω σύ, καὶ ἡ νύμφη σοῦ Σάῤῥα, ἐγὼ προσήγαγον το μνημόσινον τῆς προσευχῆς ὑμῶν ἐνώπιον τοῦ ἁγίου. Καὶ μετὰ ὀλίγα. Ἐγὼ εἰμι Ῥαφαὴλ εἷς τῶν ἑπτὰ ἀγγέλων οἳ προσαναφέρουσι, καὶ εἰσπορεύοντε ἐνώπιον τῆς δόξης τοῦ ἁγίου. Κατὰ τὸν λόγον γοῦν τοῦ Ῥαφαὴλ, ἀγαθὸν προσευχὴ μετὰ νηστείας, καὶ ἐλεημοσύνης, καὶ δικαιοσύνης, i. e. Nam post orationem utriusque exaudita est, dicit Scriptura, (4) oratio utrorumque coram gloria magni Raphael, et missus est sanare ambos, quin et ipse Raphael cum explicat quid ipse quasi Angelus, juxta mandatum Dei, erga utrosque praestiterit, dicit; et nunc quoniam orasti tu et nurus tua Sarra, ego obtuli memoriale orationis vestrae coram Sancto; et post pauca: - ego sum Raphael unus ex septem Angelis, qui offerunt orationes scilicet Sanctorum, et ingrediuntur in conspectu gloriae Sancti: - Juxta sermonem ergo Raphael, bonum oratio cum jejunio, et eleemosyna, et justitia. »

(1) Dan. c. III. — (2) Tom. I. p. 51. — (3) Tom. I. p. 313. — (4) Tob. c.III. 16. juxta. 70

In exhortatione ad Martyrium, (1) e libro secundo Machabaeorum haec retulit: « Sed fratrum Antiochus spectavit etiam cruciatus, qui acerrimum et intensissimum in Religione animum exhibuerit, ἀφ' ὧν εἷς γενόμενος, ὡς ἡ γραφὴ ὠνόμασε πρῶτος, εἶπε πρὸς τὸν τύραννον· τί μέλλεις ἐρωτᾶν, καὶ μανθάνειν; ἕτοιμοι γὰρ ἀποθνήσκειν ἐσμὲν ἢ παραβαίνειν τοὺς πατρίους νόμους, i. e. E quibus unus, sicut Scriptura nominavit, primus ait ad tyrannum: (2) quid vis quaerere et discere? Parati enim sumus mori magis, quam patrias leges transgredi. » Ad eumdem librum praeclare redit sic praefatus: (3) « Ut autem etiam ex Scripturarum auctoritate haec ita se habere credamus, audi, quomodo in Machabaeorum libris, ubi mater septem martyrum unum ex his cohortatur ad tolleranda tormenta, de hoc dogmate confirmatur: - Rogo te fili respice coelum et terram, et ad omnia quae in eis sunt, et videns scito, quia Deus haec omnia fecit, cum non essent. » Ex eodem, Origenes alia verba sumit in Matthaeum tomo xv. commentatus ea verba Evangelii: « Misit operarios in vineam suam. » Probare volens assumptorum animas, postquam migrarunt e corpore, haud esse otiosas, regum libros, et secundum Machabaeorum in testimonium appellat scribens: « Certe opus faciebat, postquam corpore expeditus est Samuel vaticinans; necnon et Hieremias pro populo orans. » Quae verba legit ex ejusdem libri Machab. cap. xv. ubi de Hieremia haec dicta sunt: « Hic est qui multum orat pro populo Hieremias Propheta Dei. » In Epistola ad romanos (4) libro octavo, de zelo secundum scientiam pariter Machabaeorum primum censet: « Et sicut Mathatias, de quo in primo libro Machabaeorum scriptum est: (5) - Quia zelatus est in lege Dei. »

Maxima Deuterarum Scripturarum copia, si omnes hic recensere vellemus, quae ex Origenis libris seligendae essent, lectoris aures opprimeret. Hucusque relatae satisfiant, ut cuivis pateat, verba, quae Origines ex his libris protulit, e Scriptura tanquam divina excerpsisse, illa Scriptura, inquam, ubi, ut scripsit in praefatione de principiis: « Unus Spiritus Sanctus unumquemque Sanctorum, vel Prophetarum, vel Apostolorum inspiraverit; et non alius spiritus in veteribus, alius vero in his, qui in adventu Christi inspirati sunt, fuerit, manifestissime in ecclesiis praedicatur. » Praeterea notanda sunt etiam, quae de libris Deu-

(1) Tom. I. p. 288. — (2) 2. Mac. c. VII. — (3) Tom. I. p. 79. — (4) Tom. IV. p. 620. — (5) 1. Mac. c. II.

tero-Canonicis alibi disseruit. In Numeros Homilia XXVII. ostendens quomodo Scripturae libri nonnulli faciles, obscurique alteri et quomodo primis assuescant illi, qui initia habent in divinis studiis, sumpta comparatione e cibo, quasi sermo Dei naturae rationabilis cibus sit, ait: « His ergo cum recitetur talis aliqua divinorum voluminum lectio, in qua non videatur aliquid obscurum, libenter accipiunt, verbi causa, ut est libellus Esther aut Judit, aut Tobiae, aut mandata Sapientiae, etc.

Sed prae omnibus maximo nostrae quaestioni est adjumento ejusdem Origenis ad Africanum epistola, ubi ipse Origenem consulit de Susannae historia, quae quasi spuria ab eo fiebat, rebus propositis, quae ad hunc titulum conferebant. In ejusdem fine epistolae ait: «Pulsavi; tu resona et rescribendo erudi.» Huic respondens Origenes ait: « Africano dilecto fratri in Deo Patre per Jesum Christum sanctum filium ejus, salutem. Epistola tua, qua, tuam mihi sententiam aperuisti de Susannae historia, quam suis Danielis exemplaribus ecclesiae circumferunt, brevis quidem esse videtur, et paucis verbis multas habet quaestiones.... Dicebas primum me in eo, quod cum amico nostro Basso habui, colloquio usum esse Danielis adhuc juvenis prophetia, ac si me lateret hanc libri partem esse spuriam; ajebas insuper eam quidem laudare te ut lepidam, sed improbare ut recens conflctam. Scias igitur ad haec, quid nobis agendum sit, non solum de Susannae historia, quae in graeco graecorum exemplari per totam Christi Ecclesiam circumfertur, licet apud hebraeos non extet; nec solum te aliis, ut ajebas, partibus, quae in fine libri descriptae sunt, nempe de Belo et dracone, quae pariter in hebraico Danielis textu desiderantur, sed et de innumeris aliis, quae pro modulo nostro, dum exemplaribus hebraeis comparemus nostra, plurimis in locis invenimus. Tempus est igitur (animadverte lector) si haec nos non latent, abrogare quae in ecclesiis feruntur exemplaria, et fratribus lege praecipere, ut abjectis, quos penes se habent, sacris libris, adulando judaeis persuadeant, ut nos puris, et qui nihil habent figmenti, impertiant? An etiam providentiae, quae in sacris Scripturis dedit omnibus Christi Ecclesiis aedificationem, curae non fuerunt (empti pretio, pro quibus mortuus est, cui licet filio non pepercit Deus, ipsa caritas....) Πρὸς ταῦτα δὲ σκόπει, εἰ μὴ καλὸν μεμνῆσθαι τοῦ οὐ μεταθήσις ὅρια αἰώνια, ἃ ἐστησάμενοι πρότεροί σου, καὶ ταῦτα δὲ φημὶ; οὐχὶ ὄχνῳ τοῦ ἐρευνᾶν καὶ τὰς κατὰ Ἰουδαίους γραφὰς, καὶ πάσας τὰς ἡμετέρας τῶν ἐκείνων συγκρίνειν, καὶ

ὁρᾶν τὰς ἐν αὐτῶν διαφορὰς· εἰ μὴ φορτικὸν γοῦν εἰπειν, ἐπὶ πολὺ τοῦτο, ὅση δυνάμεις, πεποιήκαμεν· γυμνάζοντες αὐτῶν τὸν νοῦν ἐν πάσαις ταῖς ἐκδόσεσι, καὶ ταῖς διαφοραῖς αὐτῶν μετὰ τοῦ ποσῶς μαλλὸν ἀσκεῖν τὴν ἑρμενίαν τοῦ Ο. μὴ τί παραχαράττειν δοκοιήμεν ταῖς ὑπὸ τὸν οὐρανὸν ἐκκλησίας· καὶ περιφάσεις διδῶμεν τοῖς ζητοῦσιν ἀφορμὰς ἐθέλουσι τοὺς ἐν μέσῳ συκοφαντεῖν, καὶ τῶν διαφενομένων ἓν τῷ κοινῷ κατηγόρειν. Ἀσκοῦμεν δὲ μὴ ἀγνόειν καὶ τὰς παῤ ἐκείνοις, ἵνα πρὸς Ἰουδαίους διαλεγόμενοι, μὴ προφέρωμεν αὐτοῖς τὰ μὴ κείμενα ἐν τοῖς ἀντιγράφεις αὐτῶν, καὶ ἵνα συγχρησώμεθα τοῖς φερομένοις παῤ ἐκείνοις· εἰ καὶ ἐν τοῖς ἡμετέροις οὐ κεῖται βιβλίοις· τοιαύτας γὰρ οὔσης ἡμῶν τῆς πρὸς αὐτοὺς ἐν ταῖς ζητήσεσι παρασκευῆς, οὐ καταφρονήσουσιν, οὐδ' ὡς ἔθος αὐτοῖς, γελάζοντε τοὺς ἀπὸ τῶν ἔθνων πιστεύοντας, ὥστ' ἀληθῆ καὶ παρὰ αὐτοῖς, ἀνανεγραμμένα ἀγνοοῦντας· ταῦτα μὲν οὖν εἰρήσθω πρὸς τὸ μὴ φερέσθαι πρὸς ἑβραίους τὰ περὶ Σωσάννης, i. e. Ad haec considera; an non bonum sit meminisse illius dicti: - non traspones terminos aeternos, quos posuerunt antecessores tui: - Et haec quidem dico, non quod prae desidia recusem scrutari Scripturas, quae apud judaeos sunt, illasque cum omnibus nostris comparare, ac videre, quid inter eas sit discriminis. Hoc enim graviter, nisi arrogans dictu est, pro virili fecimus, collatis magna cum cura inter se editionibus, et observatis differentiis earum, ita tamen, ut aliquando plus laboris impenderimus Septuaginta interpretationi, nequid adulterinum videremur inducere in ecclesias, quae sub coelo sunt, et praetextum daremus illis, qui occasionem captant, et volunt tum eos, qui in medio sunt calumniari, cum eos, qui in communi praelucent, criminari. Conamur autem et non ignorare, quas habent Scripturas, ut cum judaeis disserentes non proferamus ea, quae in eorum exemplaribus desunt, sed simul utamur iis, quae penes se habent, licet in nostris libris desiderentur. Si enim hujusmodi fuerit noster ad ea, de quibus nos inter et ipsos controversia est, apparatus, non contemnent, neque prout solent, irridebunt eis, qui credunt ex gentibus, quod vera, atque apud illos scripta extant, ignorent, atque haec sint dicta ad illud, quod objecisti apud hebraeos non extare Susannae historiam. » Deinde explicaturus adit voces *Schiro* et *Prino*, de quibus alibi dicendum erit. Insuper Africanum monet, quam facile esset judaeis hanc Scripturam e libris eorum sacris suffurari, et maxime propter suae gentis libidinosos seniores, qui Susannae insidiati sunt, quaeque, providente Spiritu, scripta erant. His adde, quae proponit paulo post circa divitias judaeorum in captivitate, quod ei

objicit Africanus: « Undenam vero habes, quod dixisti hos lusu talorum veniisse, et in plateas projectos esse insepultos, nisi quantum ego novi ex Tobia? Περὶ οὗ ἡμᾶς ἐχρῆν ἐγνωκέναι, ὅτι Ἑβραίοις τῷ Τοβίᾳ οὐ χρῶνται, οὐδὲ τῇ Ἰουδήθ· οὐδὲ γὰρ ἔχουσιν αὐτὰ καὶ ἐν ἀπόκρυφοις ἑβραϊστὶ ὡς ἀπ' αὐτῶν μαθόντες ἐγνώκαμεν. Ἀλλὰ ἐπεὶ χρῶνται τῷ Τοβίᾳ ἐκκλησίαι, ἱστέον ὅτι καὶ ἐν τῇ αἰχμαλωσίᾳ τινὲς τῶν αἰχμαλώτων ἐπλούτουν, καὶ εὖ ἔπραττον, i. e. De quo nos oportet scire hebraeos Tobia non uti, neque Judith, nec enim hos libros etiam in apocryphis hebraice non habent Judaei, ut ab ipsis discentes cognovimus, sed quod ecclesiae Tobia utuntur, sciendum est etiam in captivitate nonnullos captivos divites fuisse, et bene res suas gessisse. » Hic insuper animadverte; dum Africanus de historiae Susannae veritate Origenem consulit, objicit pariter eidem Origeni Tobiae libri auctoritatem, et illius utitur verbis cap. 11. quod valde nostro favet argumento, legi nempe eo tempore Hierosolymis Tobiae librum. Hac eadem ratione ibi agit Origenes de Estheris additionibus, et divinas, sicuti alia Deutero-Canonica Scripta, tuetur.

Qua animi autem constantia Origenes Susannae historiam aliasque Deuteras Scripturas vindicaret, Homilia prima in Leviticum testatur: « Sed tempus est nos adversus improbos presbyteros, ubi sanctae Susannae vocibus, quas illi quidem repudiantes historiam Susannae de catalogo librorum divinorum resecarunt, nos autem et suscepimus, et contra ipsos opportune proferimus. » De Origenis autem doctrina, quam suis scriptis nobis mandavit, non unius doctrina inquam hoc in dogmate est consideranda, sed ad hoc, peregrinationibus illius revocatis, per Europam scilicet, Africam, et maxime Asiam, ut universalis Ecclesiae testimonium, ista merito nobis est suscipienda. Haec omnia vero aperta habebuntur, ubi de antiquitate Canonis Ecclesiastici pro Scripturis nostris agendum erit.

Nunc nobis supersunt disquirenda, quae Origenes in primi Psalmi commentario de hebraeorum censuit Canone, e quo Origenem nobis alii obstantes quasi sibi obsequutum agnoscunt. In medio illius verba proferamus: « Quoniam in numerorum loco singuli numeri vim, et potestatem in rebus aliquam habent, qua usus est opifex omnium, interdum ad constitutionem universi, interdum ad speciem singulorum constituendam, animadvertenda sunt e Scripturis, et pervestiganda ea, quae ad ipsos numeros singillatim pertinent. Non igitur ignorandum est veteris testamenti li-

bros, ut hebraei tradunt, viginti duos, quibus aequalis est numerus elementorum hebraeorum, non abs re esse; ut enim duae et viginti litterae introductio ad Sapientiam, et divinam Doctrinam his characteribus impressam hominibus, esse videntur, sic ad Sapientiam Dei, et rerum notitiam, fundamentum sunt, atque introductio libri Scripturae duo et viginti. Sunt autem viginti duo juxta hebraeos hi. Primus, qui a nobis Genesis habetur.... usque ad Esther, quos hic vanum recensere existimo. Deinde addit: « Extra horum censum sunt libri Machabaeorum, qui inscribuntur *Sarbet Sarbaneel.* » Hisce verbis Origenes, et potissimum istis: « Juxta hebraeos, ut hebraei tradunt, » eorumque mentem explicans, quid Canoni Ecclesiastico officit divinorum Bibliorum, quem ille hucusque firme agnovit, retinuit, vindicavit? Hic agit ut historicus Origenes, non autem ut dogmaticus; Judaeorum opiniones narrat, eorumque doctrinam mysticam in litteris, ac earum numero deponit, sicuti illius dicta scrutatus quisquam percipit. Hac ratione usus Hilarius ipsius sectator, pariter scripsit, ut supra dictum est. Nos quoque de Canone hebraeorum dicere solemus, ut ipsorum Canon a nostro Ecclesiastico secerni possit.

§. V. Ineunte saeculo tertio, scribebat Dionysius Alexandriae episcopus contra Pauli samosateni quaestiones; (1) in quibus haec e Sapientiae libro legit: « Scriptum est enim: - Spiritus Sanctus Sapientiae fugiet dolum, et recedit a cogitationibus, quae sunt sine intellectu, et corripietur a superveniente iniquitate. » Et paulo post repetit ex eodem capite: « Hoc est igitur quod scriptum est, quod blasphemum, et maledicum non liberabit a labiis suis, quia renum ejus est testis Deus. » Eusebius in historia ecclesiastica libro VII. cap. 11. litteras ejusdem Dionysii profert, quibus Germano cuidam episcopo respondet, qui ipsum calumniari conabatur. His in litteris Tobiae Scripturae auctoritate utitur dicens: « Equidem vereor ne in dementiam ac stuporem lapsus esse videar, dum referre cogor admirabilem erga nos Dei providentiam, ac dispensationem: ἀλλ' ἐπειδὴ μυστήριον, φησὶ, βασιλέως κρύψαι καλὸν, τὰ δὲ ἔργα τοῦ Θεοῦ ἀναλαλύπτειν ἔνδοξον, i.e.Sed siquidem secretum, dicit (Scriptura), regis abscondere bonum, opera autem Dei revelare gloriosum, adversum Germanum decertabo. » Ex paucis illius, quae nunc supersunt scripta, pauca pro nobis sumenda sunt.

(1) Biblioth. Patr. Sap. c. I. 5.

§. VI. Antonius abbas aegyptius anno Christi 400 varias epistolas gravitate et suavitate confertas edidit (1), e quibus Scripturarum Deuterarum divina inspiratio apparet. In epistola secunda ad fratres suos sic Sapientiae librum appellat: « Nam qui cognoverit semetipsum, universos cognovit. Ideo et scriptum est: (2) - Qui vocavit ex nihilo ut essent omnia. » In epistola quarta ex eodem libro repetit: « Spiritus autem Dei minime inhabitat in anima et corpore pollutis peccato, quippe sanctus est, et ab omni dolo alienus. » Pariter epistola XIV. Ecclesiastici sententiam (3) censet inquiens: « Benedictio patrum descendit in filios; ut scriptum est. » Epistola XVII. Susannae historiam narrat; et illa verba colligit: « O provecti in diebus malis. »

§. VII. Orosiesis quoque monachus, sancti Pachomii aequalis, eadem aetate librum divino sale conditum contulit (4) de Instructione vitae monasticae, cujus initio legitur ex Baruch: « Audi Israel mandata vitae, auribus percipe, et intellige prudentiam. Quid est Israel, quoniam in terra inimicorum es?.... Haec loquebatur Baruch propter eos, qui in terram Babylonis, et inimicorum suorum etc. »

§. VIII. Macarius pariter senior, monachus aegyptius suis in Homiliis Biblia Deutero-Canonica agnoscit, et divinas compellat. Homilia X. (5) de humilitate et alacritate dicit: « Spiritali desiderio feruntur erga sponsum coelestem, ut ait Scriptura: qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient: - Juxta Ecclesiasticum. (6) » Idem Homil. XI. e Machabaeorum (7) libro secundo haec redigit: « Quemadmodum enim ignis, qui Hierosolymis subserviebat altari, tempore captivitatis defossus erat in foveam, et idem inita pace reversisque captivis, quasi renovabatur, et pro more serviebat; ita corpus hoc, etc.

§. IX. Serapion Thmueos episcopus in suo libro contra manichaeos: « Cum vero desidia, et mollicies animum illicit, et tanquam dissolutio, et mollitia mentis existit, tunc perturbatio corporis adscribitur, et nihil aliud inter utrumque intermedium cernitur; estque verum quod scriptum est: (8) - Ecce posui coram te mortem, et vitam, elige quod vis: - ut quod justum est, etc. »

§. X. Athanasius, Constantino magno imperante, alexandrinae

(1) Editae ab Echellensi. — (2) Sap. c. I. 14. — (3) Eccl. c. III. 11. — (4) Bibliot. Pat. saec. IV. — (5) Bibl. Patr. — (6) Eccl. c. XXIV. — (7) 2. Mac. c. II. — (8) Eccl. c. XV. 18.

ecclesiae praefuit, ubi et ipse, ut alii tradunt, ortum habuit, et Christi evangelio imbutus fuit, erga quem quanta religione flagravit, et qua constantia rem catholicam propugnavit, illius timores, labores, exilia, fames, aerumnaeque aliae, quas ob hoc perpessus est, arianorum insidiis actus, aperto testantur. Iste priorum Patrum doctrinae obsecutus, Scripturas Deuteras, ut divinitus inspiratas, saepius in suis scriptis contra arianos, et in varii generis sermonibus protulit.

Oratione prima contra Arii doctrinam, aeternitatem Filii e Scripturis probare volens, inter alia testimonia e Susannae historia, et de Baruch libro haec legit: « Ἡ δὲ Σουσάννα ἔλεγεν, ὁ Θεὸς ὁ αἰώνιος· ὁ δὲ Βαρούχ ἔγραφε· κεκραξόμαι πρὸς τὸν ἀιώνιον ἐν ταῖς ὑμέραις μου· καὶ μετ' ὀλίγα, ἐγὼ ἤλπισα ἐπὶ τῷ αἰώνιῳ τὴν σωτηρίαν ὑμῶν, καὶ ἦλθέ μοι χαρὰ παρὰ τοῦ ἁγίου, i. e. Susanna quoque dicebat, Deus sempiternus, Baruch (1) autem scripsit: - Clamabo ad Sempiternum in diebus meis, et post pauca, ego speravi in sempiterno salutem vestram, et venit mihi gaudium a Sancto. » Oratione II. num. 59. ab eodem Baruch haec sumit: « Hinc ipsum inter res creatas non collocant Scripturae, immo David his verbis arguit... et Baruch: οὗτος ὁ Θεὸς ἡμῶν, οὐ λογισθήσεται ἕτερος πρὸς αὐτόν, i. e. Hic Deus noster, non reputabitur alius ad eum. » Eadem oratione, num. 71. ex hymno trium puerorum arianos increpat: « Clarum utique est Filium non esse opus, sed Dei manum et Sapientiam. Quod cum non ignorarent Babylonis martyres Ananias, Azarias et Misael, arianam et ipsi impietatem redarguunt: « Εἶπον-τες γὰρ, εὐλογείτε πάντα τὰ ἔργα Κυρίου τὸν Κύριον· τὰ μὲν ἐν οὐρανῷ, καὶ τὰ ἐπὶ γῆς, καὶ πάσαν τὴν κτίσιν, ὡς ἔργα κατέλεξαν, τὸν δὲ υἱὸν οὐκ ὠνόμασεν, i. e. Postquam dixerunt enim: - Benedicite omnia opera Domini Domino, ea quidem, quae in coelis, et quae super terram sunt, et omnem creaturam, tanquam opera censuerunt; Filium autem non nominarunt. » Oratione III. in eosdem num. 30. de Verbo Dei: « Siquidem mos est Scripturae sacrae hominem carnem appellare, hinc apud Joelem prophetam: - Effundam de spiritu meo in omnem carnem, Καὶ ὡς (2) Δανιὴλ εἶπεν τῷ Ἀστιάγη· οὐ σέβομαι εἴδωλα χειροποίητα, ἀλλὰ τὸν ζῶντα Θεὸν τὸν κτίσαντα τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, καὶ ἔχοντα πάσης σαρκὸς κυρίαν, i. e. Ut sicut Daniel dixit Astiagi, non colo idola manufacta, sed viventem Deum, qui creavit coelum et terram, et habet potestatem omnis carnis. »

(1) Dan. c. XIII. 42. et Baruch c. IV. 20. et 22. — (3) Dan. c. XIV. 4.

E libro Sapientiae, oratione secunda in Arii sectatores num. 45. de vocabulo *creavit* disserens Athanasius, quod non necessario naturam vel ortum significat, sed aliquid aliud circa rem, de qua loquitur fieri innuit, quod quidem discrimen non ignotum est divinae Scripturae, quae de creatis rebus ait; ac inter alia, testimonium ex hoc libro colligit (1): « Ἐν δὲ τῇ σοφίᾳ γέγραπται καὶ τῇ σοφίᾳ σοῦ κατεσκεύασας τὸν ἄνθρωπον, ἵνα δεσπόσῃ τῶν ὑπό σου γενομένων κτισμάτων, i. e. In Sapientia autem scriptum est: - Et Sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturis, quae a te factae sunt. » Alibi ad eumdem librum (2) redit inquiens: « Sed cum incommunicabile, ut loquitur Scriptura, Dei nomen et honorem iis, qui non dii, ascribere studerent. » Paulo ante dixerat: « Quod et Sapientia Dei his verbis declarat: (3) - Initium fornicationis est exquisitio idolorum. » Librum Tobiae quoque in suis verbis confirmandis compellat Athanasius in sua apologia ad Constantium imperatorem, num. 17. dum illius sententiam confert: (4) Τούτους γὰρ ἐρώτησον Βασιλεῦ, ἐπεὶ δὲ γέγραπται περὶ μὲν ἐκείνων· ὅτι ὁ μωρὸς μωρὰ λαλήσει· περὶ δὲ τούτων, παρὰ παντὸς φρονίμου συμβουλίαν λάμβανε, i. e. Istos enim interroga rex, siquidem scriptum est de illis; quoniam stultus stulta loquetur, de istis autem: - ab omni sapiente consilium accipe. » In apologia contra arianos numero 11. pariter verba Tobiae dicit: « Nec pudet eos coram cathecumenis, et quod peius est coram ethnicis mysteria haec traducere: - Δεῖον, ὡς γέγραπται, μυστήριον Βασιλέως καλὸν κρύπτειν: i. e. Cum oporteat, ut scriptum est, mysterium regis bonum abscondere. »

Ad episcopos Ægypti et Lybiae scribens num. 3. Sirach sententiam laudat, inquiens: « Qua mente id faciat, non ignari, quae a Spiritu in illum dicta sunt, dicere possumus: Καὶ οὐκ ὡραῖος αἶνος ἐν τῷ στόματι τοῦ ἁμαρτώλου: i. e. Non est speciosa laus in ore peccatoris. » In Psalmi CXVIII. expositione vers. 60. paratus sum et non sum turbatus: (5) « Εἰδὼς τὸ εἰρημένον, τέκνον εἰ προσέρχῃ δουλεύειν κυρίῳ θεῷ, ἑτοίμασον τὴν ψυχήν σου εἰς πειρασμόν, i. e. Sciens quod dictum est: - Fili si accesseris servire Domino Deo, praepara animam tuam ad tentationem. » In epistola Alexandri episcopi ad Athanasium, (6) inter istius scripta censita, sic Ecclesiastici (7)

(1) Sap. c. II. — (2) Tom. I. p. 17. et Sap. c. XIV. — (3) Sap. XIV. 12. — (4) Tob. c. IV. 19. — (5) Eccl. c. II. 1. — (6) Tom. I. p. 783. — (7) Eccl. c. XXX. 4.

protulit auctoritatem: « Congratulor optimo Sempioni, qui tanto studio contendit sese sacris ornare moribus, quique e patris memoria laudem conciliat in dies: Ἐτελεύτησε γὰρ, ὡς που ἡ ἱερὰ φησὶ γραφὴ, ὁ πατὴρ αὐτοῦ, καὶ ὡς οὐκ ἀπέθανε· κατέλιπε γὰρ τῷ βίῳ μνημόσυνον: i. e. Mortuus est enim, sicut quodam loco sacra dicit Scriptura, pater ejus, et quasi non est mortuus, reliquit enim vitae monimentum. » Alibi historiam Judith (1) adit hisce verbis: ὁ Θεὸς δὲ οὐκ ὡς ἄνθρωπός ἐστι· γὰρ εἶπεν ἡ γραφὴ, i. e. Deus autem non sicut homo est, hoc enim dicit Scriptura. » Machabaeorum autem res narrat in Psalmo 78. Deus venerunt gentes in haereditatem tuam: (2) «Multas enim adducens gentes Antiochus, ingressus est Hierosolymam, et divinum templum incendit. » Paulo post in illis verbis: « Carnes sanctorum tuorum bestiis terrae: - Quomodo enim sancti non fuerint, quorum sanguis effusus est pro legis observantia, ex quorum erant numero Machabaei ? »

Haec Athanasii doctrina pro Bibliis Deutero-Canonicis, omnibus quae disquirenda aggredimur, quaeque omnia divina novit, ut e suis scriptis genuinis excerptum est. Nunc autem disquirenda supersunt quae in Synopsi sacrae Scripturae librorum, et in Epistola Festali inter doctoris scripta occurrunt. Primum in Epistola Festali juxta hebraeorum Canonem veteris testamenti libros colligit. In fine ejusdem addit: « Sed majoris accurationis causa, illud quoque addere necesse duxi, esse nimirum alios libros, praeter istos, non in Canonem quidem redactos, sed quos a Patribus decretum est legendos ab iis esse, qui nuper ediscendi pietatis verbi gratia accesserint, Sapientia Salomonis, Sirach, Esther, Judith, Tobias, Doctrina Apostolorum, et pastor, etc. » Pariter in Synopsi idem Canon hebraeorum recensetur eodem numero et ordine. Postea, de libro Esther, ait nonnullos e veteribus hebraeis ut Canonicum agnoscebant. Sunt itaque Canonici libri veteris testamenti 22. litteris hebraicis numero pares; totidem enim apud illos sunt elementa. Praeter istos autem sunt adhuc alii ejusdem veteris testamenti libri non Canonici, qui cathecumenis tantum leguntur, idest Sapientia Salomonis, Sapientia Jesu filii Sirach, Esther, Judith, Tobit. » In fine Synopsis iterum addit: « Sunt autem alii quidam libri varii praeter praedictos utriusque tum veteris, tum novi testamenti, quorum aliis contradicitur, alii apocryphi vocantur.

(1) Judith c. VIII. 15. — (2) Tom. I. p. 1144. ed. Maur.

De libris veteris testamenti, quibus contradicitur, jam antea diximus, ut sunt Sapientia etc. et libri Machabaeorum, Susannae historia etc. Apocryphi autem sunt Enoc patriarchae liber, oratio Joseph, testamentum Moysis. » Si hucusque dicta conferenda essent illis, quae nuper ex Athanasii scriptis genuinis extulimus, profecto doctor in antithesim incideret. Ipse enim antea, ut vidimus, Scripturas Deutero-Canonicas, utpote divinitus inspiratas, contra arianos pronunciat ad eorum errores profligandos, ac fidei dogmata extollenda; hic vero dicuntur Scripturae Deuterae legendae ab iis esse solum, qui cathecumeni vocabantur, et causa ediscendi verbi pietatis accesserint. Insuper in Epistola Festali haec quoque leguntur: « Nemo his libris addat, aut aliquid ab illis detrahat. » E quibus omnibus facile patet Festalis Epistolae auctorem, alterius quam Athanasii nomen postulare, sicuti etiam Synopseos, quod editores maurini una cum aliis criticis affirmant. Praecipue autem maurini cum unum et eumdem auctorem esse dicant hujus Synopseos, quae sub nomine vulgo Athanasii confertur, at genuinum Athanasii foetum respuentes, addunt: « Quae de variis Scripturis versionibus postremo loco Synopseos dicuntur, ex Epiphanio de mensuris expressa sunt, ut nemo non videat, sicut et nos animadvertimus, facta inter Epiphanii scripta, et hunc librum collatione, adeo ut dici possit hujus epitomes auctorem serius Epiphanio vixisse. » De quo alibi nobis agendum erit. Hoc tantum dixi gratia sincerae ecclesiae aegyptiae, de Bibliorum Deutero-Canonicorum auctoritate, doctrinae servandae, quam Clemens, Origenes, aliique firmo tenuerunt.

§. XI. Didymus alexandrinus a prima aetate coecus multos libros dictavit, teste divo Hieronymo, saeculo quarto desinente. Alexandrinae ecclesiae cathechista fuit Didymus, et praefectus illius celebris scholae a sancto Marco fundatae, sicuti antea dictum fuit. Ex illius autem, quae supersunt, libris facile illius fides et veneratio, quam erga Scripturas Deutero-Canonicas praestitit, eruitur. Libro primo (1) de Trinitate cap. x. inquit: « Nam, ut saepius diximus, Ἡ τὲ πρεσβυτέρα διαθήκη τὴν ἰσοτιμίαν φιλάξασα διελάλησεν, i. e. Vetus testamentum hasce hypostases aequali honore prosecutum, dixit.... ac inde omnes Scripturarum Priorum auctoritates pro hoc dogmate legit, inter quas e Sapientiae libro: (2) « Καὶ τὸ ἄφθαρτον δέ σου, φησὶν, πνεῦμα ἐστὶν ἐν πᾶ-

(1) Edit. Bononiae. — (2) Sap. c. XII. 1. et c. I. 7.

σιν, καὶ πνεῦμα κυρίου πεπλήρωκεν τὴν οἰκουμένην, i. e. Et incorruptibilis tuus, dicit, Spiritus est in omnibus; et Spiritus Domini replevit orbem terrarum. » Postea subjungit: « Nemo enim adeo stupidus invenietur, atque hebes, ut e sinceris hisce, ac genuinis testimoniis immensitatem Unigeniti, et sanctissimi Spiritus non colligat. » Libro II. cap. 6. « Creatura non dicitur in Scripturis amatrix hominum, seu benigna in humanum genus; id enim convenit consubstantiali Trinitati; Καὶ ὡς Σαλομὼν λέγει, (1) φείδῃ δὲ πάντων, ὅτι πάντα σὰ ἐστὶν δεσπότα φιλόψυχε, i. e. Et sicut Salomon dicit: - Parcis autem omnibus, quoniam omnia tua sunt, Domine animarum amator. » Libro I. cap. 27. ad Baruch librum vadit, inquiens: « Ut autem deitatem ipsius ostendat quantitate, et magnitudine carere, ait:- pacis ejus non est terminus; Καὶ Ἱερεμίας δὲ, ἤτοι Βαρούχ· βίβλος γὰρ μία ἀμφοτέρων ἐστὶν, σεμνηγορεῖ περὶ αὐτοῦ, οὗτος ὁ Θεὸς ἡμῶν, οὐ λογισθήσεται ἕτερος πρὸς αὐτὸν ἐξεῦρε πᾶσαν ὁδὸν ἐπιστήμης, καὶ ἔδωκεν αὐτὴν Ἰακὼβ τῷ παιδὶ αὐτοῦ, καὶ Ἰσραὴλ τῷ ἠγαπημένῳ ὑπ' αὐτοῦ· μετὰ τοῦτο ἐπὶ τῆς γῆς ὤφθη, καὶ ἐν τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη, i. e. Hieremias vero, vel Baruch; (nam unus est amborum liber) in hunc modum de illo loquitur: - iste Deus noster, non reputabitur alius ad eum, invenit omnem viam disciplinae, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo; post hoc super terra apparuit, et inter homines conversatus est: porro nisi apposita Scriptura vel ἡ προκειμένη γραφὴ, etc.

Libro secundo de Trinitate, cap. 11. Susannae historiam retulit: « Καὶ ἐπὶ τοῦ, Δανιὴλ δὲ φησὶν ἐν τῇ περὶ Σωσάννης κρίσει· ἐξήγειρεν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸν Δανιὴλ, κἀνταῦθα Θεὸν δηλώσας εἶναι τὸ ἅγιον πνεῦμα, ἐπιφέρει γὰρ, καὶ ἔκρινεν τοὺς πρεσβυτέρους πνεύματι ἁγίου ἐμφορούμενος, i. e. Et de hoc, Daniel quoque dicit in Susannae judicio: - Excitavit Deus Spiritus Sanctus Danielem; et ibi Deum demonstrans esse Spiritum Sanctum, subjungit enim: - et judicavit seniores Spiritu Sancto delatus. » Ex antiqua Septuaginta versione haec verba Danielis sumpta videntur. In epistolam primam divi Joannis ejusdem Susannae ex Daniele repetit sententiam: « Et illud: - Occultorum agnitor Deus, cognoscens omnia antequam fiant. » Libro I. de Trinitate c. 32. « Sic etiam tres pueri creaturam perhibent glorificare eum, qui cum ipsis apparuit: Περὶ οὗ γέγραπται, εὐλογεῖτε πάντα τὰ ἔργα Κυρίου τὸν Κύριον, ὑμνεῖτε, καὶ ὑπερυψοῦτε αὐτὸν εἰς τοὺς αἰῶνας, i. e. De

(1) Sap. XI. 27.

quo scriptum est: - Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate et superexaltate eum in saecula. » Libro III. eadem de re, cap. 3. Ecclesiastici sententiam disserit inquiens: (1) « περὶ ταύτης δὲ τῆς σοφίας, φημί τῆς ἐν τῇ κτίσει ὅτε σοφώτατος υἱὸς Σιράχ λέγει: πρότερον πάντων ἔκτισται σοφία καὶ σύνεσις φρονήσεος ἐξ αἰῶνος, i. e. De ista autem Sapientia, illa inquam, quae est in creatura, quod et sapientissimus filius Sirach dicit: -Prior omnibus creata est Sapientia, et intellectus prudentiae a saeculo.» In Libro (2) de Spiritu Sancto apud divum Hieronymum ad eumdem librum revertitur: « Sapientia autem et intellectus, quae in Spiritu Sancto sunt, a Deo dantur: - Dominus, inquit, dabit Sapientiam, et a facie ejus Sapientia, et intellectus procedit. » Libro II. cap. 27. e Tobiae (3) Scriptura sumit: « Νηστεία γὰρ, φησὶν, καὶ προσευχὴ ἐκ θανάτου ῥύεται, i. e. Jejunium enim, inquit, et oratio a morte liberat.» Lib. III. cap. 15. illius viri verba censet: (4) « Καὶ ὃ σὺ μισεῖς, ἄλλῳ μὴ ποιήσῃς, i. e. Quod tu odio habes, alteri ne facias. » In enarrationibus Didymi Alexandrini in epistolas apostolicas, apud Bibliothecam Patrum (5) saeculo quarto, et in libro de Spiritu Sancto inter Hieronymi scripta sito, eadem hauritur pro nostris Scripturis opinio.

§. XII. Theophilus Alexandriae episcopus, obeunte saeculo quarto, claruit. Pauca nobis ex illius scriptis supersunt, e quibus tamen in re nostra investiganda est doctrina. In epistola (6) Paschali ad totius Ægypti episcopos, Sapientiae verba censet de Divina Scientia: « In ejus haeremus amplexibus, et si Dominus concesserit, viventes cum ea, et in illius perseverantes amore cantamus: - Amator factus sum pulchritudinis illius. » Ex eodem libro legit haec: (7) « Quod dicens, ostendit Sancto Spiritu omnia contineri, et illius majestate circumdari, si omnia in omnibus, utique et irrationabilia, et inanima sunt. Et alibi legimus: - Spiritus Domini replevit orbem terrarum: - Quod nunquam Scriptura memoraret, nisi irrationabilia quaeque, etc. » In epistola tertia ad eosdem, de Machabaeis eorumque martyribus scribit: « Quid memorem insignes Machabaeorum (8) victorias, qui ne illicitis carnibus vescerentur, et communes tangerent cibos, corpora obtulere cruciatibus, totiusque orbis in ecclesiis Christi laudibus

(1) Eccl. c. I. 4. — (2) Tom. II. ed. Veronae. — (3) Tob. c. XII. 18. — (4) Tob. c. IV. 19. — (5) Bibl. Pat. de la Bigne saec. IV. — (6) Bibl. Pat., et Sap. c. VIII. — (7) Sap. c. I. 7. — (8) 2. Mac. c. VII.

praedicantur? Victa sunt in eis omnia crudelitatis ingenia, et quidquid ira persecutoris invenerat, patientium fortitudo superavit. »

§. XIII. Aetate Theodosii Junioris Isidorus monachus pelusiaci montis in Aegypto abbas vixit. Hic (1) multa, ac varia scripsit, quae decem millia epistolarum comprehendunt, in quibus omnes divinas utriusque testamenti Scripturas (non exceptis illis, quas nunc exquirimus) singulis quibusque mittebantur, exposuit. Libro primo epistolarum num. 87. ad monachas alexandrinas scribit: « Potest enim fortiter, ac strenue adversus mollitiem impetum facere, cupiditatumque machinas atque tormenta firmiter propulsare: Καὶ διδάσκαλοι τούτου· Σωσάννα ἡ εὐκλεής, καὶ ἡ Θυγάτηρ Ἰέφθε, καὶ ἡ θαυμαστὴ Ἰουδήθ· ἡ μὲν γερόντων ἀκολασίαν νικήσασα ἐν νεότητι· ἡ δὲ .... ἡ δὲ μισθὸν τῆς σωφροσύνης, δύναμιν παρὰ Θεοῦ εἰληφυῖα τυραννοκτόνος γενέσθαι, i. e. Et hoc docent; Susanna illa gloriosa et filia Jephthe, et admiranda Judith. Ista quidem seniorum intemperantiam in juventute superans; ista autem.... Tertia vero praemium castitatis, virtutem a Deo accipiens, ut tyranno necem afferret. » Libro III. num. 295. quod anima sit immortalis, ad Canticum trium puerorum appellat locutus: « Quod autem in veteri Ὅτι δὲ καὶ ἐν τῇ παλαιᾷ Διαθήκῃ οἱ εὐδόκιμοι καὶ λαμπροὶ ἤδεσαν ἀθανασίαν, ἀκούσατε τῶν τριῶν παιδῶν ἐν τῇ καμίνῳ λεγόντων, εὐλογεῖτε πνεύματα, καὶ ψυχαὶ δικαίων τὸν Κύριον, i. e. Testamento quoque probi, et clari viri senserint immortalitatem, audite tres pueros in fornace dicentes: - Benedicite spiritus, et animae justorum Domino. » Libro IV. num. 9. Eudaemonio diacono respondet, quare tres pueri in fornace pariter homines hortabantur Deo benedicere.

Libro III. ad Eutonium diaconum in ea verba, et cecidit in terram a stellis, et a virtute, Machabaeorum gesta enarrat: « Non quod stellae ceciderunt, ut quidam opinati sunt, absit, sed quod Antiochus Epiphanes (nam de eo Angelus sermonem habebat) a Machabaeis insigniter superatus est, et judaico imperio exturbatus. Illud etiam potest dici de septem fratribus, ac matre et sacerdote Eleazaro, qui praeclaram ac fulgidam vitam ostenderunt. Machabaeus enim persica lingua Dominum sonat. Ea igitur tempestate, qua adversus clarissimos illos viros audacia praeceps actus Antiochus hujusmodi tragoediam excitavit, Machabaei coactis copiis

(1) Ed. Paris.

e regione eum propulerunt. » Libro II. num. 270 Ecclesiastici verba dicit: (1) « Καὶ ἑτέρωθι δὲ γέγραπται· ἔλεγξον φίλον, μήποτε οὐκ ἐποίησεν, i. e. Et alio item loco scriptum est :- Corripe amicum ne quando fecerit. » Libro v. num. 182. eamdem Scripturam adigit: (2) « εἰ γὰρ δῶμα ἐκτυφλοῖ ὀφθαλμοὺς σοφῶν, i. e. Si enim dona excaecant oculos sapientum; insipientium quid non facient?» Libro I. num. 76 in illis verbis: « Cur lapides non fecit panes Dominus? » Divus libri Sapientiae verba objicit: (3) « Sed quia petitio vana erat, et petitore digna, Θεὸς γὰρ πάντα σταθμῇ καὶ μέτρῳ καὶ χρείᾳ χαρίζεται, i. e. Deus enim omnia in pondere et mensura, et necessitate largitur. » Ex eodem libro haec, quae sequuntur, (4) legimus: « Οἱ γὰρ ἀσεβεῖς σπινθῆρα νομίσαντες εἶναι τὴν ψυχὴν, οὐ ἀποσεσθέντος, ὡς ἔφασαν, τέφρα ἀποβήσεται τὸ σῶμα, μόνον τεθνᾶναι νομίζοντες, μὴ κρίνεσται δὲ (ταῦτα γὰρ ἐν τῇ ἐπιγεγραμμένῃ Σοφίᾳ Σολομόντος εἰρήκασιν ὡς οἶσθα· εἰ δὲ ἀγνοεῖς, λαβὼν μετὰ χεῖρας τὸ Βιβλίον εἴσῃ) οὐδὲν ἄπρακτον εἴασαν· ὡς γὰρ μηκέτι ὄντει μετὰ θάνατον, πάντα δρᾶν τὰ αἰσχύνης, καὶ θανάτων, καὶ κολάσεως ἄξια ἐπεχείρουν, λέγοντες, αὕτη ἡ μερὶς ἡμῶν, καὶ ὁ κλῆρος οὗτος, i. e. Impii autem scintillam existimantes esse animam, qua extincta, ut dixerunt, cinis evadet corpus, solum mori cogitantes, non autem judicari, (haec enim in libro, qui Sapientia Salomonis inscribitur, dixerunt, ut nosti, quod si nescis, in manus sumpto libro noveris) nihil infectum reliquerunt. Sicuti enim nihil insuper post mortem cogitantes esse, omnia facere aggrediebantur, quae ignominia, morte, ac poena digna erant, dicentes: Haec pars nostra, et haereditas ista. » Haec de multis Bibliorum Deuterorum testimoniis a divo Isidoro collectis satisfiant, ut probetur qua mente et fide eadem excogitaverit, ac scripserit, quaeque omnia sapientibus verbis praecesserit, ad Cyrum de Canonicis libris locutus: (5) « Scriptura omnis, quae pietatem velut ob oculos propositam habet, pulcherrima est, laudibusque, atque commendatione digna. Sacrosancta autem volumina, quae divinarum Scripturarum testimonium habent, scalae quaedam sunt, quibus ad Deum ascenditur. Quamobrem ea omnia, quae in Ecclesia proponuntur, tamquam probum aurum excipe, ut quae divino veritatis Spiritu, velut igne, purgata sunt. Quae autem extra hoc volumen circumferuntur, etiamsi quidquam habeant, quod ad gra-

(1) Eccl. c. XIX. 13. — (2) Eccl. c. XX. 31. — (3) Sap. c.XI. 21. — (4) Sapcap. II. 1. — (5) Tom.I.p.369.

vitatem, vitaeque honestatem allicere queat, iis, qui a tuis agonibus remoti sunt, investiganda et conservanda relinque, nimirum iis, qui verborum pompae potius studuerunt, aut etiam fabulas quasdam haeresum effinxerunt. » Ex his, auctoritatis argumentum eruitur, qua Scripturas ab Isidoro relatas ille ipse donavit. Earumdem vero Canon, nisi ab ipso discretum legimus, a Chrysostomo suo praeceptore nuper nobis erit dignoscendus.

§. XIV. Cyrillus Alexandriae episcopus fere sancto Isidoro aequalis contra haereses illius aetatis mirabili doctrina Incarnationis mysterium vindicavit. (1) Iste commentaria protulit in Prophetas et in alios Scripturae libros, e quibus quoque de Scripturis Deutero-Canonicis mentio habetur. In Joelem cap. 1. Machabaeorum gesta enarrat inquiens: « Εἶτα γέγονε κατὰ καιροὺς Ἀντίοχος ὁ ἐπίκλην Ἐπιφανής, οὗτος ἀφικόμενος εἰς τὴν Ἰουδαίαν, καὶ τὸν θεῖον ἐνέπρησε νεών, εἵλέ τε τὰ σκεύη τὰ ἐν αὐτῷ καὶ τῶν πατρώων ἐθῶν καταραθυμεῖν ἐβιάζετο τοὺς ἀνὰ πᾶσαν τὴν Ἰουδαίαν, ὅτε καὶ τὰ τῶ Μακκαβαιῶν συνέβη λαμπρὰ καὶ ἀξιοθαύμαστα κατορθώματα, i. e. Deinde eo tempore prodiit Antiochus Epiphanes vel illustris appellatus, iste cum pervenisset in Judaeam, et incendit Templum divinum, ac tulit vasa, quae erant in eo, et patrias leges vel instituta negligere compulit omnes, qui erant in Judaea, unde etiam evenerunt Machabaeorum illa praeclara, et mirabilia facinora. » De recta fide ad imperatorem Theodosium: « Καὶ τοῦτο γνωσκων εὖ μάλα, καὶ ὡς ἄριστα φιλοσοφῶν ὁ προφήτης Ἱερεμίας ἀνεφώνει πρὸς τὸν θεὸν· (2) ὅτι συ καθήμενος εἰς τὸν αἰώνα, καὶ ἡμεῖς ἀπολλύμενοι τὸν αἰώνα, i. e. Et hoc (juxta Baruch) cognoscens bene Hieremias, et optime philosophatus Propheta Deum compellat : - Quoniam tu sedens in aeternum, et nos pereuntes in aevo. » De Incarnatione (3) Unigeniti, ejusdem libri verba repetit: « Ἐπὶ γῆς ὤφθη, κατὰ τὸ γεγραμμένον, καὶ ἐν τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη, i. e. Super terram apparuit, juxta quod scriptum est, et inter homines conversatus est. »

In Esaiae commentario cap. 57. ad Sophiae (4) Scripturam accedit: « Καὶ τοῦτο δίδασκει λέγων ὁ παροιμιαστής· σκολιοὶ γὰρ λογισμοὶ χορίζουσιν ἀπὸ Θεοῦ, καὶ ρεμβασμὸς ἐπιθυμίας μεταλλεύει νοῦν ἄκακον, i. e. Et hoc docet dicens Paraemiasta: - Pravae enim cogitationes separant a Deo, et inconstantia cupiditatis transversim rapit men-

(1) Edit. Lutetiae. — (2) Baruch c. III. — (3) Tom. V. Part. I. p. 803. — (4) Sap. c. I. 3.

tem innocentem. » Adversus Nestorium libro III. eumdem librum in testimonium adigit de Spiritu Sancto: (1) « Γέγραπται δὲ καὶ περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος ὅτι πνεῦμα Κυρίου πεπλέρωκε τὴν οἰκουμένην, i. e. Scriptum est etiam de Spiritu Sancto, quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum. » In Isaiae lib. I., Orat. 1. Sirach librum adit, sic praefatus: « Qui vero semel sanctificati sunt, eos animas suas, quoad fieri potest, puras et illibatas servare oportet: Καὶ διαμεμνῆσθαι μὲν τοῦ λέγοντος· πᾶσῃ φυλακῇ τήρει σὴν καρδίαν, καὶ πάλιν ἐὰν πνεῦμα τοῦ ἐξουσιάσαντος ἀναβῇ ἐπὶ σέ, τόπον σοῦ μὴ ἀφῇς, ὅτι ἴαμα καταπάυσει ἁμαρτίας μεγάλας, i. e. Et recordari illius, qui dicit: - Omni custodia serva cor tuum; et rursus: - Si spiritus dominantis ascenderit super te, locum tuum ne relinquas, quia sanatio reprimit peccata multa. » In Abdiam ipsam Scripturam advocat: « Calamitates aliorum voluptatis suae materiam, argumentumque facere, Καὶ τῆς θείας λεγούσης γραφῆς, μὴ δεῖν ὅλως ἐπιμειδιᾶν τοῖς καμνούσιν, ἐν δὲ τῷ μὴ ἐπιχαρῆς, i. e. Tamen Scriptura (2) divina dicente: - Non oportere omnino irridere calamitosis; in hoc autem ne laeteris, etc. » Alibi ad Susannae (3) historiam refertur: « Τοιγάρτοι καὶ ὠνειδίζοντο τίνες, τοῖς ἑαυτῶν τολμήμασι πρεπόντως ἀκούοντες, σπέρμα Χαναὰν καὶ οὐκ Ἰούδα, i. e. Proinde et quidam increpantur facinorosae audaciae suae convenienter audientes: - Semen Chanaan et non Juda. » Haec pro Scripturis Deuteris testimonia protulit Cyrillus in suis scriptis, quae hucusque in lucem prodierunt.

§. XV. In sermone sancti Eulogii Alexandriae episcopi in Ramos Palmarum verba Baruch colligit inquiens: « Ἱερεμίας ᾄδει ὡς δακτύλῳ τινὶ τοῖς ἔθνεσι δεικνύων τὸν ἐρχόμενον, καὶ λέγων: οὗτος ὁ Θεὸς ἡμῶν, οὐ λογισθήσεται ἕτερος πρὸς αὐτόν· ἐξεῦρε πᾶσαν ὁδὸν ἐπιστήμης, i. e. Hieremias canit, quasi digito gentibus ostendens venientem, et dicens: - Hic Deus noster, non reputabitur alius ad eum, invenit omnem viam scientiae, etc. »

Ecclesiae aegyptiacae hac in re monumenta sunt, quae posteritati commisit, e quibus, quanta erga Scriptorum Deuterorum divinitatem fuerit fides et constantia, patet. Nunc autem ex africis oris ad Asiae regiones praetergressi, illarum ecclesiarum doctrinam nostro pro negotio investigare necesse erit.

(1) Sap. c. I. 7. — (2) Eccl. c. VII. 12. — (3) Tom. III. p. 174.

PROPOSITIO V.

Quanta auctoritate donata fuere Biblia Deutero-Canonica veteris foederis in Syrorum orientali, et occidentali Ecclesia primis quinque Christi Jesu saeculis; ac primum de Bibliorum versione simplici, ejusque antiquitate, ac auctoritate disquiritur.

§. I. Priusquam lux de coelo Paulum circumfulgens, ipsum a persecutione Ecclesiae Christi distraxisset, jam in Syriae regionibus Evangelium illuxerat, et nomine christiano antiocheni donati fuerant. A Judaea enim egressis Apostolis, statim quidam ex illis Syriae et Mesopotamiae provincias evangelicae dispensationis causa peragrarunt, et brevi temporis spatio suorum fructum consecuti sunt laborum. Quivis autem christianos illarum scriptores legerit, doctrinam profecto invenerit, quam iidem Apostoli, eorumque discipuli ibidem seminarunt, excoluerunt, et excolendam tradiderunt. Nos nunc de Scripturis tantum Deutero-Canonicis veteris foederis, illius Ecclesiae investigantes dogmata, prae omnibus operae praetium erit, quanam lingua vulgo uterentur ambarum regionum Syri, Apostolorum, vel prima Ecclesiae aetate, disquirere; atque inde quanam in versione, graeca ne, an syriaca legerentur veteres hebraeorum Scripturae. Postea Patrum illius Ecclesiae sententias explicaturi, quae ad rem nostram faciunt, accedemus.

Inter Bibliorum veterum versiones, quae syrorum linguae aptatae fuere, una adest, quae nomine ܦܫܝܛܐ *Phscito* sive simplex nuncupatur, quod simplicem et purum hebraicae veritatis textum exhibeat, et antiquitate aliis praestet versionibus syrorum. Quanta autem fuerit hujus versionis vetustas, si syros nonnullos vel chaldaeos rogaverimus, nobis respondebunt eam, regnante Salomone, precibus Hiram Tyri regis collatam fuisse; satius inquam librorum Scripturae partem; alios autem, addunt ipsi, Thadaei Apostoli aetate, et Aedessae regis Abgar translatos. Ast sicuti hujus opinionis patroni nullum testimonium ostendunt, haud hic necesse est sententiam parum probabilem redarguere, cui ne Ga-

briel (1) quidem Sionita doctus maronita, fidem praestitisse videtur. Difficultate tamen pressi sumus, qua ad hujus versionis aetatem certam pervenire possimus, tantum nobis sancto Ephraemo de illius existentia suffragante, qui in eamdem scholia compegit, et Clementis XI. auspiciis e Bibliotheca Vaticana publici juris facta sunt. Ex hac re modo recedentibus, magis confert illius auctorem decernere, quod bene demonstrationi nostrae congruit. Nullibi sacrarum Scripturarum juxta versionem syrorum simplicem occurrit, ex quo auctor illius satius decerni possit, nisi Ephraemi, ejusdem scholiis investigandis, quibus simplex versio exsurgit integra, et prout in sancti Patris manus devenit. Aliter autem si ex codicibus vel editionibus, quae ex hac postero tempore congestae sunt, arguimus, in errorem facile incidimus, eo quod exemplaria ista ab originali decesserint, et ex Septuaginta versione et aliis graecis, vel etiam latinis editionibus simplex ista fuerit emendata. Nunc autem certum est, facta inter foederis veteris hebraicos, syriacos et Aquilae codices collatione, tam arctam affinitatem inspici, ut dici possit syrorum versionis auctorem transtulisse, adeo ut aliquando hebraeorum vocabula, ac phrasim vocibus syriacis descripserit, omnino modis, vel phrasi linguae aramaicae peculiaribus, omissis. Quivis syrorum lingua peritus hoc discrimen primo intuitu percipit.

Exempla aliqua e sancti Ephraemi commentariis in Genesim sumantur. Capite primo Geneseos hebraeorum textus haec exhibet: « In principio creavit Deus את השמים ואת הארץ *het hasamaim, vehet haharetz.* Textus syriacus haec habet: « In principio creavit Deus: ܝܬ ܫܡܝܐ ܘܝܬ ܐܪܥܐ *jot smajo ujot harho.* Aquila autem vertit σὺν τὸν οὐρανὸν, καὶ σὺν τὴν γῆν. Haec translatio nonne cuivis menti explicat interpretis severitatem vel judaicam superstitionem, qui veritus ne a textu originali particulam את *het* subriperet hanc in alteram linguam transferendo, versionem syriacam et graecanicam earumque phrasim deturpare maluit, quam omittere, uti erat faciendum. Praeterea in illis sequentibus verbis; « Et tenebrae erant super faciem abyssi. » Aquila dictionem *erant* rejicit juxta hebraeos, quem Aramaeus interpres sequitur, posthabito verbo ܗܘܐ *huo* fuit, quod commune valde, et praesertim pleonasticum, in syrorum lingua habetur. Pa-

(1) Critica Sacra Richardi Simon.

riter hoc verbum silet paulo post: « Dixitque Deus, congregentur aquae ex sub coelo in locum unum.» Ut legit hebraeus; idem syrus et Aquila respondent. Capite sexto ejusdem libri inquit Scriptura: « Videntes בני האלהים *Bene Heloim* filii Dei, quae Septuaginta interpretati sunt υἱοὶ τοῦ Θεοῦ filii Dei; Syrus autem et Aquila dixerunt filii deorum. Ex his exemplis, seclusis plurimis aliis, versionis simplicis auctor hebraeus, linguis aramaicis peritus, extitisse videtur. Divus Ambrosius in suo Hexameron lib. I. cap. 8. versionem syriacam his verbis confert: « Denique syrus, qui vicinus hebraeo est, et sermone consonat, et in plerisque congruit, sic habet: - Et spiritus Dei fovebat aquas.» Animadvertenda quoque sunt quae Walton suis in Prolegomenis excerpta ab historia dynastiarum Abulpharagii de Phscito syrorum versione retulit: « Versio illa Septuaginta, quam amplectebantur docti nostri, est eadem, quae in manibus romanorum est, ceterorumque christianorum sectariis, exceptis Syris, ac praesertim orientalibus (de quo nuper dicemus) siquidem exemplar ipsorum quod simplex appellatur, quia qui istud elaborarunt, de ornamento verborum solliciti non fuerunt, convenit cum exemplari judaeorum. At syri occidentales, duas habent versiones, simplicem illam, quae ex hebraica in syriacam linguam translata est post adventum Christi Domini, alteram figuratam juxta Septuaginta seniorum interpretationem, e lingua graeca in syriacam traductam longo post tempore Salvatoris Incarnationem. » Richardus Simon in sua critica veteris testamenti, ac Ludovicus Baver, consonantia inter versionem simplicem, ac codicem hebraeum inspecta, illius auctorem hebraeum existimarunt. Vossius tandem opus judaeorum esse versionem syriacam libere fatetur.

His ponderatis, nunc disquirendum est, utrum hebraeus Phscito interpres fuerit origine judaeus, a judaica vero religione deficiens et Christum induens, an israelita durae cervicis mosaicis in legibus persistens. Argumenta non pauca judaeum in duritie cordis sui adhuc perseverantem, syriacam veteris testamenti translationem comparasse exhibent. Primum, si Phscito auctor christianus fuisset, sicuti Evangeliorum interpres syrus, illam phrasim, illos modos hac in translatione minime neglexisset, qui syrorum linguam exornant, quin rerum sensus immutaretur, quae res in novi foederis translatione excipitur, quae aramaicae linguae proprietates omnes jungit, quin divinarum sententiarum ordo, vel perspicuitas turbetur. Hujusmodi discrepantia, quae inter sy-

rum veteris ac novi testamenti interpretem elucet, differentiam quoque eorum fidei, et doctrinae haud parum ostendunt.

Praeterea, aliquem Syrum christianum excogitare e codice hebraico Scripturas veteres in assyriorum christianorum usum vertisse, Ecclesiae scilicet eorum orientalis et occidentalis, primis Christi saeculis, excogitatio sane incongrua esset, et a fidelium tunc temporis opinione communi aliena, quae de versionis alexandrinae auctoritate in Ecclesia Christi versabatur. Quemnam latet, quis inficiari poterit, quanta primis Ecclesiae aetatibus fuerit veneratio erga Septuaginta versionem? Christi Redemptoris aetate inter Israelitas ipsam viguisse in aperto habetur, quinimmo ab eodem Salvatore ad suimet sententias confirmandas in testem vocata fuit, ab Apostolis eorumque discipulis commendata. Per ipsos vero in manus christianorum devenit graeca Bibliorum translatio tali auctoritate, ac veneratione, ut a plerisque ipsorum, aegyptios Septuaginta Seniores, qui hujus versionis auctores habentur, divinitus inspiratos fuisse existimatum sit, tanta hanc in interpretationem erat observatio, cujus historia, rei utpote singularis ab iisdem patribus suis in scriptis refertur. Sed de hoc alibi agemus. Certum autem est hanc de Septuaginta versionis auctoritate doctrinam, quae ad tria saecula in Christi Ecclesia perduravit, ac a viris piis ea aetate sacrarum litterarum peritissimis propugnata, nulli christianorum cedere potuisse, ut novam versionem Bibliorum ex hebraeo conflatam in medium proponeret, eo magis, quod in hebraeorum lingua Scripturae apud Christifideles parum, vel nullius auctoritatis essent, quemadmodum etiam paulo Christum ante prae aegyptiaca versione judaeorum codices minoris haberi viderentur. His verbis utique arridet Vossius cum « Versionem syriacam, dixerit, esse ex opere judaeorum, quae formata fuit ad hebraeos codices, illamque a solis receptam judaeis, nunquam vero ab ullis christianorum, qui semper nefas credidere deficere ab ea versione, quae Apostolica auctoritate confirmata fuit. »

Quo autem istae demonstrationes vertuntur, facile, qui opiniones eorum a nostris alienas legerit, qui syros orientales versionem Simplicem tantum in Ecclesia communi usu habuisse firmo tenent, percipit. Ut vero magis hujus opinionis parvitas fiat, haec addantur. Percrebrescente Evangelio, jam quasi totum orbem graecorum lingua invaserat, et sermonem graecum ut vulgatum habebant gentes, praesertim totius Syriae populi, quem in eas regiones Alexandri Magni praelia ac trophaea ma-

xime intulerant. De hac re testem habemus Ciceronem, oratione pro Archia poeta, c. 10.: « Graeca leguntur in omnibus fere gentibus: » Vel potius Senecam ad Helviam testatum: « Quid sibi volunt in mediis barbarorum regionibus graecae urbes? Quid inter indos persasque macedonicus sermo? » Scriptores quoque ecclesiasticos syros priorum aetatum scrutati, teste Eusebio, ellenica lingua scripsisse noverimus. Tatianus assyrius saeculo secundo divi Justini discipulus, et Christi socius, quanto tempore suo cum Magistro versatus est, deinde ab eo alienus, ut ait Epiphanius, primum in Mesopotamia novam sectam condere aggressus est, et juxta Hieronymum encratitarum Patriarcha fuit, graece scripsit. Item Bardesanes in Mesopotamia omni doctrinae genere excellens, et in lingua syriaca disertissimus plurima scripta patrio sermone evulgavit, quae discipuli ejus in graecum sermonem converterunt. Hieronymus in praefatione libri secundi Epistolae ad galatas de lingua graeca, ait, orientem omnem sermone graeco loqui. Ephraemus quoque Nisibenus plura idiomate graecanico edidit, etiamsi scholia ac multa alia in varios Scripturae libros syriace reliquit, ut infra animadvertemus. Sileo autem de Syriae occidentalis scriptoribus, quibus graeca lingua omnino familiaris erat. Hujus rei testes Lucas antiochenus, Ignatius Antiochiae episcopus, Theophilus, qui pariter sextus, vel septimus huic ecclesiae praefuit, aliique, de quibus modo dicendum erit. Ex hisce omnibus dignoscitur, qualis inter syros erat vulgatus sermo.

His animadversis, christifidelibus minime erat necesse ad Bibliorum versionem Simplicem confugere, et Scripturas Deuteras in hac desideratas sua in oratoria, vel ecclesias orandi causa quotidie convenientibus, negligere, cum in promptu illis essent Biblia graeca, eorum lectioni assuetis ab infantia quibus libri Deuteri inserti erant. Huic rei fidem facit potissimam Joannes Chrysostomus qui (1) de obscuritate Prophetiarum disserens, Septuaginta versionis universitatem comprobat: « Nam a principio vetus testamentum hebraico conscriptum est idiomate, nos autem graeca lingua expressum accepimus.... Ubi vero Christus eventurus, et universum orbem terrarum ad se vocaturus non per Apostolos tantum, sed et per Prophetas quoque (nam et illi nos ad fidem cognitionis Christi deducunt) tunc temporis tamquam aditus, et

(1) Tom. VI. p. 163. Edit. Paris.

vias quasdam antea linguae obscuritate clausas, et obstructas omni ex parte curavit interpretatione reserari, ut omnes ex gentibus undique confluentes, et multa cum facilitate per has vias incedentes, possent ad regem ipsum Prophetarum venire, atque Unigenitum Dei Filium adorare; et sic ut Scripturae converterentur gratia Divina providit, easque non modo conversis ex gentibus, sed etiam judaeis utiles reddidit, qui ubique terrarum dispersi fuerant, nec amplius hebraicam linguam tenebant. » Eloquentissimus doctor syrorum linguam bene noverat, etiam in Syria orientali, quanam lingua vulgo legerentur Scripturae, nosse poterat. Theodorus quidam vetus scriptor antiochenus in commentariis, quae in catenis graecis continentur idem tradidit: « Et ab Apostolis accipientes hanc 70 Virorum translationem habemus omnes, qui ex gentibus credidimus, et in ecclesiis legimus, et domi evolvimus. » Ephraemus idem pluris aegyptiacam versionem, quam simplicem fecit, atque in eisdem Phscito (1) scholiis syriaca vocabula, ac sententias ex alexandrinis interpretibus explicavit; immo Bar-hebraeus de Septuaginta interpretatione elocutus hanc veritatem extollit inquiens: « Sed et syrorum sol Ephraem noster sermonem composuit in illud: - Extolletur impius, ut non videat gloriam Domini: - dixit gloriosus Isaias; et nulla affatim memoria in versione Simplici est de hac re, sed pro eo: - Domine in elevationem manuum tuarum non videant. » Theodoretus quoque Cyri episcopus, quod est oppidum Syriae in provincia Eufratesia graece scripsit, et commentaria in Bibliis compegit textum alexandrinum secutus, quamvis ob oculos codices hebraicos et syriacos haberet, quos semper sibi cohaerentes percipit; non seclusis aliis graecanicis versionibus, quas ad interpretationis utilitatem contulit. Hieronymus idem chaldaeorum lingua non ignarus Septuaginta interpretum varietatem arguens (in Paralipomenon praefatione) quae in ecclesiis orientalibus exorta erat, de syrorum versione Simplici, ejusque usu ne verbum quidem: « Alexandria, inquit, et Aegyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat auctorem. Constantinopolis usque Antiochiam Luciani martyris exemplaria probat. Mediae inter has provinciae palaestinos codices legunt, quos ab origine elaboratos Eusebius et Pamphilus vulgaverunt; totusque orbis hac inter se trifaria varietate

(1) Bibliot. Orient. tom. II. Asseman.

compugnat. » Clarius praefatione in Danielem hoc adstruit doctor, ubi ait syros hanc sub obelis, et asteriscis legere editionem.

Attamen, his dictis omnibus, nec linguae syriacae usum illis in provinciis, ac simul versionis Phscito lectionem, neque Abulpharagii, et virorum clarorum sententias improbare nolui, dum ex relatis constat apud viros doctos hanc versionem extitisse, et inter alias hebraeorum et haereticorum translationes contulisse hujus ecclesiae Patres; sed ex eo, quod syriaca lingua non vulgaris, sed doctis propria erat, et studio acquirenda (et ob hanc rationem Nisibi hujus linguae schola erecta est, cui etiam Ephraemus praefuit) fatendum erat in Syria orientali sermonem graecum vulgatum et generalem fuisse, ac ideo aegyptiacam Bibliorum versionem apud illas gentes generalitate et auctoritate Scripturis praestitisse, quae aramaea dialecto descriptae erant. (1)

§. II. Ab hoc studio decedentes ad nostrum negotium revertamur; et syriacos ecclesiae scriptores scrutati, de Scripturis Deutero-Canonicis fidem eorum in medio ponamus. Ignatius martyr, secundus habetur in ecclesia antiochena, qui post Petrum episcopatu defunctus est. Juxta Eusebium et Hieronymum septem tantum illius Epistolae numerantur genuinae. In his quidem epistolis vere Scripturae Deuterae non apparent. Sed hoc numero earum, vel brevitati est tribuendum; nam si ibidem Scripturarum Priorum testimonium explicitum animadvertere velimus, tantum veteris Testamenti binas sententias legimus, ni fallor, quas divus martyr his epistolis inseruit, et ambae ex Proverbiorum libro. Ex his igitur sanctum episcopum libros nostros aut neglexisse, vel negasse, conjicere non licet.

Praeter has epistolas, aliae quoque illius feruntur, quae a viris doctis interpolatae existimantur. Sed ob temporis antiquitatem, quo istae interpolationes factae sunt, nempe ante saeculum sex-

(1) Notandum vero hic est, ecclesias Syrorum revera numero paucissimas fuisse illas, quae prima Christi aetate res liturgicas sermone syriaco perficerent, cum universim pervaderet lingua graecanica, uti ex monumentis satis probatum est. Attamen irrumpentibus deinde in illas regiones haeresibus Nestorii, Eutichis, et aliorum, qui varias in partes Christi gregem dilacerabant, et rebus publicis immutatis, Graecorum quoque lingua, qua fere universa ecclesia utebatur sive odio, sive contemptu neglecta fuit. Ita factum est, ut in ecclesias syrorum, ubi antea Graecorum lingua ad Deo laudes concinendas ex Apostolorum aevo invaluerat, subintroiret syriaca, et Sacrae Scripturae in illam linguam pariter transferrentur.

tum, sive cum arianis vel aliis haereticis, seu cum catholicis steterit iste audax sutor, consideratione quadam mihi digna visa sunt inter alia, quae a Scripturis atque e Patribus testimonia contexuit, etiam illa, quae ex Deutero-Canonicis collegit. Ad Heronem diaconum Antiochiae Ecclesiastici verba refert: (1) « Et: - Qui cito credidit levis est corde. » Ad philadelphios scribens ait: « Sint autem viduae non vagae, non gulosae, non circumcursantes, sed ut Judith illa honestissima, ut Anna etc. » Ad Magnesianos de reverentia in episcopum, Danielem juniorem appellat dicens: « Nec enim annosi sapientes continuo sunt, nec senes intelligentiam possident, sed spiritus, qui in hominibus est. Daniel ille sapiens, cum duodecim esset annorum, Spiritu Dei afflatus erat; et senes frustra canos ferentes, calumniatores, et alienae formae appetentes esse coarguit. » E Scripturis autem Tobiae et Ecclesiastici sunt haec, quibus monet Heronem diaconum: « Pauperes noli negligere, sicuti copia tibi adsit. Eleemosyna enim et fide expiantur peccata. »

In Liturgia ejusdem sancti Ignatii a Renaudotio (2) relata Baruch verba leguntur: « Et cum hominibus conversatus est. »

§. III. Imperante Marco Aurelio, Theophilus Antiochiae praeerat, e cujus scriptis nunc solum supersunt libri tres ad Autolicum, et juxta Bellarminum commentaria in quatuor Evangelia, de quibus Hieronymns ob stili varietatem dubitare videtur. In his sermonibus, nullius ex libris Deutero-Canonicis auctor apparet, illorum vero sententiae facile excipiuntur. Ex. gr. libro II. illa verba: (3) « Praeterea Prophetae sedulo cavere praeceperunt ne quis faciat alteri, quae sibi minime fieri velit: - Quis e Tobiae libro sumpta esse inficiari potest? Qui ad filium loquitur: - quod tu oderis, ne alteri feceris. » In Evangelium Matthaei de muliere profluvio sanguinis laborante scribit: « Per mulierem haemorousam Ecclesia significatur ex gentibus, in cujus imagine jugulati sunt Machabaei ceterique prophetae. »

§. IV. Hoc autem loco haec congrua notatu videntur. Primum auctoritati, vel divinitati Scriptorum, de quibus agitur, non officit argumentum, quo patres scilicet his libris neque usi sunt in auctoritatem, neque de iis mentionem fecerunt; nam scripta illorum omnia non extant, neque ipsorum de his Bibliis fides nobis claruit, vel etiam res ab ipsis illustrationi traditae ab hoc libro

(1) Eccl. c. XIX. 4. — (2) Tom. II. de liturgiis. — (3) Bibl. Patr., Tob. c. IV.

potius, quam ab altero testimonia divina repetebant. Animadvertamus quoque necesse est, veteres Ecclesiae doctores ad judaeos profligandos, infideles haereticosque antiquarum Scripturarum Prophetiis, quibus Messiae adventus, illiusque Evangelium praenunciabatur, magis intentos fuisse, quam aliis libris historicis, et illis, qui ad mores spectabant. Quando autem res postulabat, ut ex Historia sacra, ad morum doctrinam sua dicta roborarent sacri doctores, evangelica Scripta et apostolicas epistolas consulentes, lectoribus vel auditoribus ea exponebant, quippe quae suae aetati proxima, et veterum Scripturarum complementa erant, et Christi Redemptoris conversationis veritatem, neque figuram, exprimebant. Patres legenti haec aderunt, sicuti, quae nos dicimus, non latebunt.

§. V. Ab Antiochiae civitate egressi ad regiones Syriae orientales peragrantes in Ephraemum incidimus. Is saeculi quarti initio natus christiana doctrina imbutus fuit, et adolescens sacrarum Scripturarum amore captus, earum lectioni, et meditationi jugi sese applicuit adeo, ut, teste Gregorio nysseno, vitae et doctrinae splendor universo terrarum orbi illuxerit. Illius porro studia, labores in Christi militia exantlatos testantur sermones multi, conciones, et Bibliorum commentaria, quae syriace, et graece scripta posteritati concessit, e quibus multa, clarissimis ac praestantissimis viris juvantibus, nobis prodiere. Quamvis ante divum Ephraemum in provinciis syrorum orientalibus de nostro negotio, testimonia pauca supersint, attamen divi doctoris expositis sententiis, quae ad hoc conducunt, ex eodem priorum aetatum doctrinam conjicere non pigebit.

Prophetae Danielis visionem interpretatus, illiusque complementum designans Machabaeorum gesta narrat in verbis cap. 8: « Et dejecit de fortitudine et de stellis, inquiens: « (1) ܗܕܐ ܥܠ ܒܢܝ̈
ܫܡܘܢܝ ܘܚܒܪ̈ܝܗܘܢ ܕܐܬܩܛܠܘ ܪܡܙ. ܘܥܕܡܐ ܠܪ̈ܫܝ ܚܝܠܐ ܡܛܐ. ܗ̄ ܥܕܡܐ
ܠܚܘܢܝܐ ܘܚܒܪ̈ܘܗܝ ܪ̈ܒܝ ܟܗܢ̈ܐ ܘܗܕܐ ܒܟܬܒܐ ܕܡܩܒܝ̈ܐ ܟܬܝܒܐ :
i. e. Hoc de filiis Semonae et sociis ejus, qui interfecti sunt, innuit. et usque ad principes exercitus pervenit, hoc est usque ad Oniam, et socios ejus principes sacerdotes; et hoc in libro Machabaeorum scriptum est. » Paulo post in ejusdem Prophetae cap. XII. aperte

(1) Tom. II. p. 218. Edit. Rom., et 2. Mac. c. III. 1.

legit eorumdem verba: (1) «Et conteret illum, et veniet tempus tribulationis, quale non fuit a diebus saeculi: ܗܘ ܗܘ ܕܒܟܠܗ ܬܫܠܡܐ ܚܐܪܐ. ܘܒܗܕܐ ܟܕ ܣܠܩܘ ܚܬܢܐ ܠܐܒܠܐ. ܘܝܬܒܬ ܓܢܘܢܐ ܐܘܠܝܬܐ ܘܐܙܕܥܙܥܬ ܐܪܥܐ ܥܠ ܥܡܘܪܝܗ hoc est, vel hoc factum fuit, quando ascenderunt sponsi in luctu, et quae sedebat in thalamo innovavit lamentationes, et commota est terra super habitantes ejus.» Hoc in libro, Ephraemus, ut recte Danielis visiones explicentur, totam Machabaeorum historiam profert, quae lectori commendatur. Pariter in ejusdem Sancti testamento haec ab eisdem libris hausit: (2) ܘܐܢ ܓܒܪ̈ܐ ܕܒܝܬ ܡܬܬܝܐ ܕܒܐܪ̈ܙܐ ܐܚܝܕܝܢ ܗܘܘ ܛܟܣ̈ܐ ܐܝܟ ܡܐ ܕܩܪܝܬܘܢ ܚܛ̈ܗܝܗܘܢ ܡܚܣܝܢ ܠܡܝ̈ܬܐ ܕܢܦܠܘ ܒܩܪܒܐ ܕܣܝܒܘ ܗܘܘ ܒܥܒ̈ܕܝܗܘܢ i. e. Si omnino mortui non resurgunt, cur pro iis baptizantur, et si viri Mathathiae domus, qui in Mysteriis tenebant ordinationes, quemadmodum legistis, mundarunt delicta eorum, qui ceciderant in bello, qui polluti fuere in operibus suis, quanto magis, etc.» Ex his testimoniis expendere fas est primum, vocabulis ܟܬܒܐ *ctobo* vel ܟܬܝܒܐ *ctibo*, *Scripturam*, *scriptum est*, libros scilicet divinitus inspiratos significari, quemadmodum his formulis, aramaeos etiam Scripturas Proto-Canonicas utriusque foederis compellantes vidimus. Praeterea nomen ܐܪ̈ܙܐ *roze* mysteria, quo hic utitur Ephraemus circa Mathathiae viros eorumque actus, auctoritatem machabaicae historiae et divinitatem explicant. Verba tandem hic ab eo addita - quemadmodum legistis -, Syrorum fidelium, quibus loquebatur sanctus jam moriturus, consuetudinem eorum in ecclesiis Machabaeorum Scripturas legendi manifesto indicant.

Ut autem ex operibus illis graece scriptis de Machabaeis testimonium sumam, haec de Eleazaro dicit: (3) » Quid igitur ego; Εἰ γὰρ εὐσεβὴς γέρων Ἐλεαζάρος καυστείραις βασάναις καταντλούμενος, οὐ μετατράπη τὸν λογισμὸν; ὅθεν καὶ οἱ νέοι τὴν ἡλικίαν εἰς τούτου ὑπομονὴν ἐφορῶντες κατεφρόνησαν τῶν βασάνων τῶν ὁρωμένων, καὶ ἐνίκησαν τὸν τύραννον οἱ ἑπτὰ ὅσιοι παῖδες, i. e. Si enim Eleazarus bonus senex, dum incendii tormentis torqueretur, non est mutatus mente? Unde et juvenes aetate patientias illius speculantes, contempse-

(1) 1. Mac. c. I. 28. 39. — (2) 2. Mac. c. 12. 43. — (3) Tom. II. p. 118.

runt tormenta quae videbantur et vicerunt tyrannum septem sancti pueri. » In sermone: (1) « Placuit Henoch Deo, et non apparuit. « Pater haec verba explicat e libro Ecclesiastici dicens: ܐܳܕܳܡ ܚܙܳܐ ܠܚܰܢܽܘܟ ܕܥܰܠ ܗ̱ܘܳܐ ܠܦܰܪܕܰܝܣܳܐ ܒܚܰܫ̈ܰܝ ܬܝܳܒܽܘܬܳܐ ܢܰܦܫܳܐ, i. e. Adam vidit Henoch qui ingressus est in paradisum in doloribus poenitentiae animae. » Haec verba sumpta sunt e dicta Scriptura, ubi scriptum est: « Henoch placuit Deo, et translatus est in paradisum, et datus fuit in poenitentiam gentibus. » Inter illius scripta, quae graece habentur, in sermone ad imitationem Proverbiorum ad Sirach librum appellat: (2) « Beatus qui bonam auspicatus fuerit vitam, atque ita perfecerit, ut Domino placeat: Γέγραπται, ὁ τιμῶν πατέρα εὐφρανθήσεται ἐπὶ τέκνοις, καὶ ἐν ἡμέρᾳ προσευχῆς αὐτοῦ εἰσακουθήσεται, i. e. Scriptum est, qui honorat patrem, jucundabitur in filiis, et in die orationis illius exaudietur. » De secundo adventu eumdem librum legit, cap. 6. (3) « Si forte legere nescias, adhibe eum, a quo audire queas, atque proficere, γέγραπται γὰρ, ἐὰν ἴδῃς ἄνδρα συνετὸν, ὄρθριζε πρὸς αὐτὸν, καὶ βαθμοὺς θυρῶν αὐτοῦ ἐκτριβέτω ὁ πούς σου, i. e. Scriptum est enim, si videris virum sensatum, evigila ad eum, et gradus ostiorum illius exterat pes tuus. » Ad Sapientiae librum idem vertitur in illud. (4) « Attende tibi ipsi. Sustine igitur Dominum electe Dei, ut qui modo (5) affligunt, obstupescant in admirabili salute tua, (6) Καθὼς γέγραπται, δίκαιος ἐὰν φθάσῃ τελευτῆσαι, ἐν ἀναπαύσει ἔσται, γῆρας γὰρ τίμιον, οὐ τὸ πολυχρόνιον, οὐδὲ ἀριθμῷ ἐτῶν μεμετρήται, i. e. Sicut scriptum est; justus si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit, senectus enim honorabilis, non diuturna, neque numero annorum computata. » Et sic pergit doctor verbotenus cap. IV. et V. illius Scripturae sententias exponens. De Humilitate eumdem librum confert: « Quem interrumpentes sanctimoniae cultores, bene, inquit, dixisti, quod neminem videmus; Γέγραπται γὰρ, ἀπετύφλωσεν αὐτοὺς ἡ κακία, καὶ οὐκ' ἔγνωσαν μυστήρια Θεοῦ, i.e. Scriptum est (7) enim:- Excoecavit, eos malitia eorum, et nescierunt sacramenta Dei. »

De Oratione: (8) « Tres pueri in camino manebant, animamque posuerunt propter Domini confessionem, nihilo tamen minus post talia, ac tanta opera bona, ajunt juxta Septuaginta: (9) 'Ουκ

(1) Tom. II. p. 325. et Eccl. c. XXIV. — (2) Tom. I. p. 83. Eccl. c. III. — (3) Tom III p. 100. — (4) Tom. I. p. 240. — (5) Sap. c. IV. 7. — (6) Tom. I. p. 94. — (7) Sap. c. II. 21. — (8) Tom. 3. p. 458. — (9) Dan. c. III. 33.

ἔστιν ἡμῖν ἀνοῖξαι τὸ στόμα, αἰσχύνη καὶ ὄνειδος ἐγεννήθημεν τοῖς δού- λοις σοῦ, i. e. Non est nobis aperire os; opprobrium, et confusio facti sumus servis tuis. » Adversus impudicitiam (1) ex Susannae historia haec dicit: « Caveamus locum tribuere voluptariis, mortiferisque cogitationibus, ne in nos quoque dicatur *τὸ γεγραμμένον· διεστρέψαν τῶν ἑαυτῶν νοῦν, καὶ ἐξέκλιναν τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν, τοῦ μὴ βλέπειν εἰς τὸν οὐρανὸν, μηδὲ μνημονεύειν κριμάνων δικαίων*, i. e. Quod scriptum est:-Everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos eorum, ne respicerent in coelum, neque recordarentur judiciorum justorum. » De Patientia, juxta Danielem in lacu leonum, ibi adstante Habacuc, dicit: « At nos miserationibus tuis confisi, (2) insistimus orationi, deprecantes, ut ab inestinguibili liberemur igne, metuque futuro. Olim siquidem Angelus tuus Domine comam Prophetae Habacuc apprehendens, in momento temporis eum statuit, in Babylone super lacum leonum, ubi inclusus detinebatur Daniel. »

In sermone adversus judaeos Baruch Scripturam colligit inquiens: (3) « ܝܘܡܢܐ ܡܙܡܪܐ ܟܢܘܫܬܐ ܬܫܒܘܚܬܐ ܗܕܐ ܒܝܬ ܥܡܡܐ. ܐܝܬܝ ܥܠܝ ܐܒܠܐ ܪܒܐ. ܫܒܩܢܝ ܡܪܝܐ ܚܪܒܬܐ ܘܡܪܝܐ ܐܛܥܝܢܝ ܡܢ ܝܪܬܘܬܗ i. e. Hodie Synagoga cantabit canticum hoc inter populos: - Adduxit super me fletum magnum, dereliquit me Dominus desertam, et Dominus errare fecit me ab haereditate sua. » Paulo post Prophetas componens omnes, qui de Christo vaticinati sunt, et imagines illius descripserunt e Baruch incipit: « ܩܕܡ ܐܡܪ ܕܗܢܘ ܕܐܡܪܬ ܕܒܚܪܬܐ ܐܬܐ ܠܐܪܥܐ i. e. Primus dicit, quia hic est, quem dixi, qui in fine venturus est in terram. » Deinde alios Prophetas enarrat, qui de Deo Filio cecinere. Sermone xvi. de Diversis, sic de Esther scribit: (5) « Hinc est quod Esther oratione et jejunio regi magis placuit, quam aromatibus et odoribus pretiosis; humilitate placuit plusquam unguentis; splenduit color ejus ante Assuerum; regem ipsum ad se traxit, non ipsam rex. » Haec ex additionibus Deutero-Canonicis cap. xiv. et xv. ejusdem libri delecta sunt.

In Ezechielis Prophetae cap. xxxii. illa verba interpretatus: « Ibi Aelam, et exercitus illius universus circa tumulum ejus » ad

(1) Tom. III. p. 60. — (2) Tom. III. p. 92., et Daniel c. XIV. — (3) Tom. III. p. 213., et Baruch c. IV. (4) Baruch 3. 38. — (5) Tom. III. p. 668.

Judithae historiam defertur: (1) « ... i. e. Quoniam isti aelamitae, et domus Gog sunt illi, qui armati sunt contra Hierosolymam cum Holopherne duce exercitus eorum, et perierunt in regione Judeae, et fuit eis in sepulchrum, per victoriam illam mirabilem quam fecit Judith. » Paulo post cap. XXXVIII. ejusdem Prophetae, divus interpres ait: « Gog et Magog, juxta multorum sententias, Holophernem e Ninive cum exercitu proficiscentem in Judaeam indicare, dicit enim: « Gog et Magog eos fuisse proditum est, qui judaeos paulo ante Babylone reversus acerbe vexarunt ... i. e. Et multi dicunt Holophernem esse, ducem exercitus Nabuchodonosor regis Ninive. Cum eo enim ascenderunt populi multi de terra Aquilonis, et in terra Israel destructi sunt. Ajunt ergo collectam ex caesorum armis materiem alimenta sacro igni suffecisse ad septennium, idque a judaeis factum ad consacrandum hujusmodi monumento reportatae victoriae memoriam. » Praeter Ephraemi sententiam de hoc libro, aliorum quoque, qui eum praecesserunt mentem colligimus, quod ad rem nostram admodum confert. In Basilii encomium clamat Ephraemus: (2) « Κλύνατέ μοι τὰς ἀκοὰς ἀδελφοὶ ἀγαπητοὶ, διήγησομαι ὑμὶν καλλιστην διήγησιν, κρύπτειν γὰρ μυστήριον βασιλέως καλόν, τὰ δὲ ἔργα τοῦ Θεοῦ ἀναχαλύπτειν ἐνδόξως, i. e. Praebete mihi aures, fratres charissimi, enunciabo vobis pulcherrimam narrationem, abscondere enim mysterium regis bonum est, opera autem Dei revelare honorificum. » Tobiae (3) verba colligit sermone de Compunctione: « Tunc et nos valde ingemiscentes, amaro fletu clamemus dicentes: - Justus es Domine, et judicia tua recta. » Sermone de Poenitentia a Vossio latine donato, inter exempla sanctorum patrum illud Tobiae enarrat: « Non est lapsus Tobia cum ninevitis; neque ex juvenum consuetudine factus est ulla ex par-

(1) Tom. II. p. 193. — (2) Tom. II. p. 288. et Tob. c. XII. 7. — (3) Ibidem p. 144. et Tob. c. III. 2.

te remissior. » Alibi plurima leguntur Ephraemi testimonia e libris Deuteris petita, additis formulis - ut Scriptura dicit, juxta Prophetam, ut scriptum est, Dominus ait -, quae ejus scripta volventi patebunt, e quibus omnibus divi, tum versionis Septuaginta viralis legendae, cum Scripturas omnes huic insertas utpote divinas advocandi consuetudo probatur, ad quarum divinitatem, et Canonem tuendum negotium suscepimus.

§. VI. Anno Christi 350. Antiochiae natus est Joannes Chrysostomus. Hic tenellus primum a matre vidua tum christianis, cum liberalibus disciplinis educatus fuit. Adolescens deinde a foro ab episcopo Meletio ad Christi militiam revocatus, per eum Scripturarum lectionem, et christianae vitae munera amplexus est. Deinde in montes Antiochiae proximos monachus secessit, ubi praeter alia, librorum sacrorum lectioni fuit assiduus, quod monachorum praecipuum erat negotium; usque dum, volente Deo, inter mundanos fluctus remeavit, ac sacerdotio, et episcopatu insignitus, sanctitate, doctrina, sermone clarus, bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit. Meletii autem institutio, qua fuit imbutus sanctus doctor, et cum monacis consessus, et per eos in divinos libros progressio, utraque sunt nostra ponderatione digna. Nam monachorum vetusta institutione inspecta, et in Scripturis praecipua eorum assiduitate, et haud studio, et auctoritate Meletii posthabitis in patrum traditione servanda, Chrysostomi testimonium nostra in re adaugent. Profecto, de quo nuper dixi, sanctus Ephraemus, et is, de quo nunc dicturus accedo, studiis, peregrinationibus, doctrina, sanctitate, et divinis muneribus, quibus in Syrorum ecclesia claruere, et veneratione, qua in eadem a christifidelibus decorati sunt, praemissis, non parum exhibent auctoritatis rebus, quas scripsere, quasque nos potissimum vindicandas aggredimur.

Homilia XI. in Genesim (1) Sapientiae librum compellat dicens: « Διὸ καὶ ἡ γραφὴ ἐκπλησσομένη τὴν ὑπερβάλλουσαν τοῦ Θεοῦ σοφίαν ἔλεγεν· ὁ δοὺς ἐν θαλάσσῃ ὁδόν, καὶ ἐν ὕδατι ἰσχυρῷ τρίβον, i. e. Propter hoc Scriptura obstupescens de eminente Dei Sapientia, dixit: qui dedit in mari viam, et in aqua vehementi semitam: » de perfecta charitate (2) ejusdem libri verba censet: « Si quis non credit gehennae Sodomam cogitet, Gomorrham secum reputet, supplicium videlicet jam sumptum, et hactenus manens, Ὅπερ καὶ ἡ θεία

(1) Tom. IV. p. 83. Edit. Maur., et Sap. c. XIV. 3. — (2) Tom. VI. p. 297.

γραφὴ (1) διηγουμένη περὶ τῆς σοφίας, φησίν· αὕτη δίκαιον, ἐξαπολλυμένων ἀσεβῶν, ἐῤῥύσατο φυγόντα, καταβάσιον πῦρ πενταπόλεος· αὕτη καὶ νὺν εἰς ἔτι μαρτύριον etc. i. e. Quod et divina Scriptura enarrans de Sapientia dicit: - Ipsa justum, pereuntibus impiis, liberavit fugientem, descendentem ignem in Pentapolim. Haec etiam nunc in testimonium etc.» E Scripturis Danielis Deuteris divus Joannes haec legit: « Vidisti Dei clementiam ineffabilem, vidisti bonitatem infinitam, (2) διὰ δὴ τοῦτο καὶ οἱ παῖδες οἱ τρεῖς ἔλεγον· ἡμάρτομεν, ἠνομήσαμεν, ἠδικήσαμεν, i. e. Et ob hoc, etiam tres pueri dicebant: - Peccavimus, inique egimus, nos injuste gessimus: » In Genesim Susannae historiam (3) ut Scripturam censet, ait enim: « Nam quod filius per se malus, et omnes, qui ab eo nati fuerint, abhominabiles, Ἄκουε τῆς γραφῆς λεγούσης ἐν τάξει κατάρας· σπέρμα Χαναάν, καὶ οὐχ Ἰούδα, i. e. Audi Scripturam dicentem in modum maledictionis: - Semen Chanaan, et non Juda. »

Homilia LXI. in Joannem de persona (4) Judith haec narrat, inter veteris foederis mulieres eam adscribendo, quaeque ad virtutem, et ad nequitiam induci possunt: « Mulier Absalonem, mulier Ammonem perdidit, mulier Jobum perdere conata est; uxor Nabalem a caede eripuit, mulier totam gentem servavit, Καὶ γὰρ Δεββώρα καὶ Ἰουδὶθ ἀνδρῶν στρατηγῶν κατορθώματα ἐπιδείξαντο· καὶ ἄλλαι δὲ μυρίαι γυναῖκες, i. e. Nam et Debbora, et Judith, et multae aliae mulieres imperatorum probe functae sunt officio. » Homilia III. ad populum Antiochenum Esther verba censet (5), quibus Dominum precata est: « Splendidiorem vestitum exuta mulier, et sacco amicta, et cinere substrato, Παρεκάλει τὸν φιλάνθρωπον Θεὸν συνεισελθεῖν αὐτῇ πρὸς τὸν Βασιλέα, καὶ τοιαῦτα προσευχομένη πρὸς αὐτὸν ῥήματα ἔλεγε· χαρίτωσον, Κύριε, τὰ ῥήματά μου, δὸς λόγον εὔρυθμον εἰς τὸ στόμά μου, i. e. Deum clementem supplicabat, ut secum congrederetur ad regem, et haec deprecata ad ipsum verba dicebat: - Domine verba mea grata facito, da sermonem ornatum in os meum. » Homilia III. in sanctos Machabaeos (6) alloquitur dicens: « Cur et martyribus debitam operum commendationem, et redactam multitudinum in angustias me piget? Quo circa si ita videtur, doctrinam in praesentia disseramus, imitari vero martyrum fortitudinem studeamus. Primus ergo nobis Eleazarus senior in medium prodeat, initium certaminum, martyrii

(1) Sap. c. X. 9.— (2) Tom. V. p. 451. et Dan. III. 25. — (3) Tom. IV. p. 291. — (4) Tom. VIII. p. 368. — (5) Tom. II. p. 88. et Est. c. XIV. — (6) Tom. II. p. 631.

fundamentum, stadiorum janua, testamenti veteris protomartyr, Apostolorum principis Petri imago. » Bis sanctus praeconio prosequitur hunc, et septem alios Machabaeorum fratres. In epistolam ad Hebraeos (1) Homilia XIII. Tobiae verba retulit inquiens: « Quod Graecus superat propter inanem gloriam, tu ne hoc quidem servas propter Dei timorem? Δίδου, φησὶ, πένησιν, ἐκ τῶν ὄντων· τοῦτο φορτικόν; i. e. Da, inquit, pauperibus ex tuis substantiis: - hoc ne grave est? » Ejusdem libri auctoritatem jactat post Pauli verba: « Ἄκουε (2) δὲ καὶ ἄλλου τινὸς λέγοντος· ἐλεημοσύνη ἐκ θανάτου ῥύεται, i. e. Audi et alium dicentem: - eleemosyna a morte liberat. » Ad viduam juniorem (3) ex Ecclesiastico loquitur: « Quocirca quamvis prope adesset tempus, tamen ut in proverbio est: « Multa sunt inter calicem et summum labrum, Καὶ ἡ γραφὴ δέ φησιν, ἀπὸ πρωΐθεν ἕως ἑσπέρας μεταβάλλει καιρός, i. e. Et sane ipsa Scriptura dicit: - A mane usque ad vesperam immutatur tempus. » De humilitate (4) ejusdem libri sententiam confert: « Οὕτω δυνησόμεθα παρὰ τῷ Θεῷ, καὶ χάριν εὑρεῖν· ὅσῳ γὰρ μέγας εἶ φησὶ, τοσούτῳ ταπείνου σεαυτὸν, καὶ ἐναντίον κυρίου εὑρήσις χάριν, i. e. Sic poterimus apud Deum, et gratiam invenire: - Quanto enim magnus es, inquit, tanto magis te ipsum humilia, et coram Deo invenies gratiam. » In sanctum Phocam (5) martyrem, juxta Baruch contra Anomaeos scribit: « Tu dixisti *Deus*, majus, *Dominus* autem minus esse nomen, demonstrare volo *minus* Patri non convenisse, si major erat, et *majus* Filio non convenisse, si Filius minor erat, Ἄκουσον τοῦ προφήτου λέγοντος· οὗτος ὁ Θεὸς ἡμῶν, οὐ λογισθήσεται ἕτερος πρὸς αὐτόν· ἐξεύρε πᾶσαν ὁδὸν ἐπιστήμης, καὶ ἔδωκεν αὐτὴν Ἰακὼβ τῷ παιδὶ αὐτοῦ, καὶ Ἰσραὴλ τῷ ἠγαπημένῳ ὑπ' αὐτοῦ, i. e. Audi Prophetam dicentem: - Iste Deus noster non reputabitur alius ad eum; invenit omnem viam scientiae, et dedit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo: - Quid dicis (Anomaee) ad hoc? Contradicis ne his verbis? sed non potes. »

Haec de Chrysostomi scriptis, e plurimis testimoniis pauca relata sunt, e quibus doctoris mens de Scripturarum Deuterarum divinitate apparet. Nunc ergo illius Synopsim adeamus, quae speciatim de Sacrae Scripturae libris agit. Nonnulla tamen huic praemittenda sunt. Primum hanc Synopsim Maurini contra quosdam, qui Chrysostomo hoc opus abjudicabant, foetum genuinum illius

(1) Tom. XII. p. 138. et Tob. c. IV. — (2) Tom. XII. p. 727. — (3) Tom. I. p. 348. et Eccl. c. XIX. — (4) Tom. III. p. 140. et Eccl. c. III. 20. — (5) Tom. II. p. 710.

tuentur. Quamvis duo codices, qui nomen Joannis jactant, neutri hoc opus integrum servant, attamen inter se consertis utrisque, facile veterum Scripturarum Canon excipitur. Non tantum autem veteris, et novi testamenti Synopsis generalis Chrysostomo conceditur, prout editores dicti jure vindicant, verum etiam singulorum librorum Synopsis eumdem auctorem effert, ex. g. in Genesi de lingua hebraica disserens scribit sanctus: « Nam cum ille Heber vocaretur, haec Hebraica appellata est, quod signum est maximum, hebraicam esse omnium linguarum antiquissimam. » Antea autem in conspectu operis fere eadem verba repetit: « dicitur autem in illa confusione linguarum Heberum judaeorum progenitorem noluisse tentati operis esse participem .....Ex nepotibus ejus fuit Abraham. Ideoque judaeorum lingua hebraica vocatur ad Hebero. » Aliae autem sententiae hinc inde collatae unum, eumdemque auctorem totius Synopseos exhibent. Ex hoc libro modo de libris Canonicis haec excerpere licet. Primum divus colligit: « Libros Moysis quinque, Jesus Nave librum, judicum alterum, et Ruth libellum, quos Octateuchum nuncupat. Post hunc Regnorum libros quatuor, quibus succedunt Esdrae libri. Centum deinde annis elapsis, rursus illos bellum nempe macedonicum invasit; ac postea Antiochi Epiphanis gesta sequuntur, quando tribus annis et dimidio obsessi, maleque affecti, a calamitatibus rursus erepti sunt. Post haec modico elapso tempore, Christus advenit, et vetus testamentum desinit: » Nonnullis interjectis sequitur: « Veteris igitur testamenti, aliud quidem historicum est; hoc nempe quod jam recensuimus. Quae ad consilia moralia pertinent, sunt Proverbia, Sapientia Sirach, Ecclesiastes, Cantica canticorum. Propheticum vero, sunt sexdecim Prophetae, Puth et David (sed fortasse Ruth hic mendose irrepserit.) Hoc specimen est, quod e protheoria primum exsurgit. » In Synopsi autem speciali numerantur Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesus filius Navae, Judices, Ruth, Regnorum quatuor libri, Paralipomenon libri duo, Esdrae duo, Esther unus, Tobit unus, Judith, Job, Sapientia Salomonis, ejusdem Proverbia, Sirach, Esaia, Hieremia, Ezechiel, Daniel, Osea, Joel, Amos, Abdia, Jonas, Michaeas, Nahum; et hic explicit codex, cui subscriptum legitur: « Ἕως ὧδε εἶχε τὸ ἀντίγραφον, i. e. Hactenus habet exemplar. » In Synopsi generali, ut ex dictis patet, desiderantur Paralipomenon libri, historia Esther, Tobiae, Judith, Sapientia Salomonis. In speciali vero hae omnes Scripturae leguntur juxta

Septuaginta; sed absunt quinque Prophetae minores, et Machabaeorum libri duo, aliique, qui Synopsi prima excipiuntur, et Baruch una cum Hieremia unus Propheta ab eo habetur. Ex hoc, amborum codicum deficientia inspecta, et ad invicem sumpta compensatione integer sacrorum Bibliorum veteris foederis Canon prodierit, quem nos ab ejusdem scriptis protulimus. Profecto, hujus scripti desideranda erat integritas, e quo fortasse utilia, et disquisitioni nostrae congrua excipere possemus. Quomodocunque tandem de hujus Synopseos auctore, vel tempore sit res, parum vel nihil nobis officit, dum antea sancti patris sententiam pro Scripturis Deuteris singillatim explicavimus.

§. VII. Eustathius Antiochenus, qui ante Chrysostomum vixerat, in sua dissertatione de Engastrimyto (1) contra Originem e Sapientiae libro hoc praeclarum testimonium adstruit: « Εἰ δὲ τὶς ἰουδαϊκὴν ἀῤῥωστῶν ἀβλεψίαν, τὰς εὐαγγελικὰς οὐ προσίεται φωνὰς, ἐπακτέον αὐτῷ τὰ τοῦ Σολομῶντος ἀποφθέγματα, καὶ ῥητέον ὧδέ πως· ἡσύχου γὰρ σιγῆς περιεχούσης τὰ πάντα, καὶ νυκτὸς ἐν ἰδίῳ τάχει μεσαζούσης, ὁ παντοδύναμός σου λόγος ἀπ' οὐρανοῦ ἐκ θρόνων βασιλικῶν ξίφος ὀξὺ etc., i. e. Si quis autem judaica laborans caecitate, evangelicas non recipit voces, adducenda sunt ei Salomonis oracula, et sic quodammodo dicendum est: - Cum quietum enim silentium contineret omnia, et nox in suo ordine medium iter haberet, omnipotens tuus sermo a caelis e thronis regalibus, gladius acutus, etc. »

§. VIII. Theodoretus antea monachus, deinde in Syria Cyri episcopus non solum ecclesiae suae consuluit, sed aliis quoque ab haeresibus visendo liberavit. Antiochiam aliasque aramaeas regiones pervadens, quae erroribus vexabantur variis, visus fuit Nestorio favere, et Cyrilli anathemathismos quasi reprehendere. Hac quaestione nunc seposita, qua auctoritate Scripturas Deutero-Canonicas donaverit sedulo ex illius libris disquiremus. In Danielem (2) cap. I. Ecclesiatici verba legit hujusmodi: « Hinc itaque docemur, eorum, qui in ipsum crediderunt neminem unquam aliquo pacto a Deo neglectum, et derelictum fuisse: Διὸ (3) καὶ ἕτερος προφήτης βοᾷ, ἐρωτήσατε γενεὰς τὰς γενομένας προτέρας ὑμῶν, τίς ἐνεπίστευσε κυρίῳ καὶ κατησχύνθη ; i. e. Quare alius quoque Propheta exclamat: - Interrogate generationes, quae fuerunt ante vos,

(1) Lugduni p. 387. et Sap. c. XVIII. 14. — (2) Parisiis Tom. II. p. 552. — (3) Eccl. c. II. 11.

quis speravit in Domino et confusus est? » Sermone (1) de martyribus, eumdem librum compellat inquiens: « Quod quidem affine prorsus eis Τοῖς ὑπὸ θείας (2) εἰρημένοις γραφῆς· μὴ μακαρίσῃς ἄνδρα πρὸ τελευτῆς αὐτοῦ, i. e. Quae dicta sunt a divina Scriptura: - ne beatum dicas virum ante mortem illius. » In dialogo primo (3) inter Orthodoxum, et Eranisten, Baruch ut propheta constituitur, et verba illius: « Hic Deus non reputabitur alius praeter ipsum; invenit omnem viam scientiae, et dedit eam Jacob puero suo et Israel dilecto suo; post haec in terra visus est, et cum hominibus conversatus. » Ab Orthodoxo Eranistae explicantur hoc modo. Eranistes inquit: « Quid ergo, falsum ne dicit propheta illis verbis? Orthodoxus respondet: Μὴ γένοιτο, τοῦ θείου γὰρ πνεύματος, καὶ ταῦτα, κἀκεῖνα τὰ ῥήματα. Ζητήσωμεν τοίνυν πῶς ὁ ἀόρατος ὤφθη, i. e. absit. Divini enim Spiritus, et haec, et illa sunt verba. Quaeramus ergo quo pacto invisibilis apparuit etc. » Quaestio erat de verbis Baruch - in terra visus est -, et Pauli ad Timotheum in illis vocabulis: - *Immortali invisibili soli Deo:* - quae pariter ab utrisque divina verba habentur.

Libro quinto (4) haereticarum fabularum, probans Theodoretus a Deo universorum factos esse angelos, post Psalmos, Canticum trium puerorum colligit: « Εἶτ' εὐθὺς ἐπισυναπτουσιν· εὐλογεῖτε ἄγγελοι κυρίου τὸν κύριον, i. e. Deinde statim subjungunt (pueri): - Benedicite Angeli Domini Domino: - Docentes divinorum operum partem quoque ipsos esse. » In Danielem (5) postquam disseruit interpres juxta Scripturam Priorem, deinde sequitur: « Οὕτω πληρώσας τὴν ἀποκάλυψιν ἐπήγαγεν ὁ προφήτης· καὶ Βασιλεὺς Ἀστυάγης προσετέθη πρὸς τοὺς πατέρας αὐτοῦ, καὶ παρέλαβε Κῦρος ὁ Πέρσης τὴν βασιλείαν αὐτοῦ, καὶ ἦν Δανιὴλ συμβιωτὴς τοῦ Βασιλέως, καὶ ἔνδοξος ὑπὲρ πάντας τοὺς φίλους αὐτοῦ, i. e. Sic absoluta revelatione subjungit propheta: (6) - « Et rex Astyages appositus est ad patres suos, et accepit Cyrus persa regnum ejus; et erat Daniel conviva Regis, et gloriosus super omnes amicos ejus. » Idem in Danielis cap. XI: sic oraculum: - Et dabunt in ipsum abhominationem desolatam: - Hoc est polluant Deo omnipotenti dedicatum templum, ara, in qua colantur idola in ipso erecta; hoc enim vocat *abhominationem desolatam;* Διδάσκει δὲ ἡμᾶς τοῦτο καὶ ἡ δευτέρα (7) τῶν Μακκαβαίων· φησὶ γὰρ οὕτως· περὶ δὲ τὸν καιρὸν τοῦ τὸν τὴν δευτέραν ἔφοδον

(1) Tom. IV. p. 602. — (2) Eccl. c. XI. 30. — (3) Tom. IV. p. XII. — (4) Tom. IV. p. 268. — (5) Tom. II. p. 697. — (6) Dan. c. XIII. 65. — (7) 2. Mac. c. V. 1.

ὁ Ἀντίοχος εἰς τὴν Αἴγυπτον ἐστείλατο· εἶτα ἐν μέσῳ ὁ συγγραφεύς τινα περὶ τῆς τῶν νόθων Ἀρχιερέων φιλονεικίας εἰρηκὼς ἐπήγαγε· προσπεσόντων δὲ τῷ Βασιλεῖ περὶ τῶν γεγονότων, ὑπέλαβεν ἀποστατεῖν τὴν Ἰουδαίαν, i. e. Docet autem nos hoc secundus Machabaeorum; dicit enim sic: - Circa hoc tempus secunda expeditione Antiochus in Aegyptum profectus est: - Deinde in medio scriptor, cum aliqua dixisset de contentione principum sacerdotum, qui haud legitimi erant, subjunxit: « Cum haec accidissent regi pro rebus gestis, suspicatus est deficere Judaeam. Unde reversus ex Aegypto efferatus animo, armis urbem coepit, jussitque militibus, ut obvios quoscumque nulli parcentes caederent etc. » Hac ratione, Danielis prophetiam explanaturus pergit Theodoretus, cujus omnino, in historia Machabaeorum exsurgere eventum, Scripturas has ad invicem conferens, probat; sicuti antea in verbis ejusdem Prophetae cap. VIII.: « Et magnificatum est usque ad virtutem caeli: » Antiochum Epiphanem inspiciens inquit: « Ταῦτα σαφέστερον ἡμᾶς ἡ τῶν Μακκαβαίων βίβλος, ἥ τε πρώτη, καὶ ἡ δευτέρα διδάσκει, i. e. Haec apertius nos Machabaeorum liber primus, et secundus docet. » Adversus macedonianos (1) Sapientiae auctoritatem sumit dicens: « Καὶ πῶς ἀκούεις τοῦ λέγοντος· ὅτι πνεῦμα κυρίου πεπλήρωκε τὴν οἰκουμένην, καὶ τὸ συνέχον τὰ πάντα γνῶσιν ἔχει φωνῆς, i. e. Et quomodo audis illum, qui dicit: - Quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et quod continet omnia scientiam habet vocis. » In praefatione Cantici Canticorum ejusdem libri verba legit: « Contempto Spiritu Sancto proprias opiniones consectemur; Μὴ πιθομένοις τῷ καλῶς εἰρηκότι· λογισμοὶ ἀνθρώπων (2) δειλοί, i. e. Non audientes eum, qui praeclare dixit: « Cogitationes hominum viles: » Alibi epistola 114. eumdem librum redigit: « eos quidem, (3) quibus majores dispensationes commisit, majores exigit ultiones. Inquit enim Scriptura divina: - Potentes potenter tormenta patientur. » Haec autem, quae nunc contuli testimonia, Theodoretus quasi e Scriptura divina petita ostendit, ab illa scilicet Scriptura, quae in Psalterium: « Γραφὴ παλαιά τε καὶ καινὴ Θεόπνευστος, i. e. Scriptura antiqua et nova divinitus inspirata » ab eo dicitur. (4)

§. IX. Eadem aetate Patriarcha Dadjesu Nestorianus juxta Assemani in Bibliotheca Orientali commentarium composuit (5) in ali-

(1) Tom. V. 365. Sap. c I. — (2) Sap. c. IX. 13. — (3) Tom. V. et Sap. c. VI. 7. — (4) In Praefat. Tom. V. — (5) Tom. III p. 214.

quos Scripturae libros, inter quos habetur Sirach. Ebedjesu in catalogo librorum Syrorum haec de eo scribit: « ... i.e. Dadjesu fecit in Danielem commentarium admirabilem, et librum Regum et Siracidae tribus tomis explicavit. »

§. X. Anastasius Sinaita Antiochiae patriarcha, ineunte saeculo sexto, multa et varia scripsit, inter quae occurrunt quaestiones, et responsiones de diversis argumentis, quae contextae sunt e Scripturis divinis, et Ecclesiae Patribus, qui eum praecesserunt. In his apparent Scripturae Deutero-Canonicae, quae quemadmodum Priores Canonicae divinitatem jactant. E libro Sapientiae (1) haec sumit dicens Quaest. 8. de Fornicationibus variis: « Punietur is, qui praeter naturam id agit, quod sodomitis attulit interitum, quod ne rationis quidem expertia faciunt animalia; quo quidem divina quoque Scriptura dicit narrans de Sapientia: - Haec justum, pereuntibus impiis, liberavit fugientem a descendente igne in Pentapolim, cujus in testimonium nequitiae fumigabunda constat deserta terra, et imperfectis germinibus fructificantes arbores. » Alibi de incircumscripto, ejusdem libri verba dicit: « Quomodo igitur verum erit, quod ait Scriptura: - Spiritus Domini replevit orbem terrarum: - Cum enim Deus sit substantia, omnia quae sunt, divina substantia implevit, » Oratione III. de Divina aeconomia, quod Deus scilicet est Christus, et quod homo, et quod Deus simul et homo est, testimonio Legis et Prophetarum demonstrans, primum verba Baruch patefecit: « Dixit ergo Hieremias indicans hunc: - Hic est Deus noster, et non aestimabitur alius adversus eum; hic adinvenit omnem viam disciplinae, et dedit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo; post haec in terra visus est, et cum hominibus conversatus: - Quod autem hoc vaticinium de Christo dictum sit, plane demostrat conversatio cum hominibus. » In quaestione prima respondet ex aliis Prophetarum testimoniis et juxta Sirach (2) scribens: « Respicite in antiquas nationes, et videte, quis confidit in Domino et confusus est? » Libro VIII. de Duobus lignis ipsius Scripturae verba (3) censet: « Et propterea, ut opinor, Deus legem ferens Israeli, dicit de qui-

(1) Bibl. Patr. Tom. IX., et Sap. cap. X. 7. — (2) Eccl. c. II. 11. — (3) Eccl. c. XV. 18.

busdam duobus lignis: - Ecce pono in medio tui vitam et mortem. » Quaestione IX. de variis afflictionibus vel tentationibus Judith librum compellat in hujus rei probationem: « Gratias agamus Domino (1) Deo nostro, qui tentat nos, sicut et patres nostros. Recordamini quomodo tentavit Abraham, Isaac et Jacob, et examinavit in examen cordis eorum; quoniam flagellat Dominus in admonitionem omnes appropinquantes sibi. » Quaestione LX. de Judith ipsa dicit: « Jam vero ad sumendam quoque justam de inimicis ultionem, saepe doli sunt probati; cujusmodi fuit de Aod, qui interfecit Eglon, et Jael, quae occidit Sisaram; et Judith, quae interemit Holophernem ad salutem populi Israelis. » Haec ex Anastasii scriptis, quae nunc supersunt hausimus, quaeque priorum doctorum institutionem Christi, et Apostolorum vestigia sectantium perhibent.

§. XI. Denique de syrorum doctrina circa Deuteras Scripturas veteris foederis aliud testimonium praebet Nairon maronita in sua Evoplia fidei Catholicae. Is Ecclesiae syrorum cum Ecclesia Romana unitatem ostendens, inter alias res Canonem Scripturarum divinarum deponit, cui Scripturas Deutero-Canonicas adaequat. Inquit (2) enim: « Sacrorum itaque librorum Canon, et catalogus idem est apud Syros atque apud Romanos nullo rejecto. In codice enim syriaco, qui extat in Bibliotheca Vaticana, et in alio Sergii Risii archiepiscopi damasceni inter Canonicos libros sunt libri Tobiae, Judith, Sapientiae, Ecclesiastici et Machabaeorum, necnon prophetae Danielis, et continet ea omnia quae desiderantur in hebraicis voluminibus, nempe a versu 24. inclusive cap. III. usque ad v. 90. Item continet historias Susannae, idoli Bel et draconis. Tantum observandum est, quod in his textibus syriacis adsunt epistolae Baruch duae, quarum prima desideratur in Vulgata, et altera penitus respondet. Ceterum tum ex catalogo sacrorum librorum, qui videri potest in voluminibus Conciliorum syriacorum praefixus nicaeno Concilio, quae extant in Bibliotheca Vaticana, tum in collegio maronitarum de urbe, tum in libro Constitutionum syriacarum, qui relatis bibliothecis inest, in quibus non tantum prophetia haec, verum etiam inveniuntur omnes illi libri Canonici, qui sunt in Biblia vulgatae editionis. » Haec autem altera parte fusius pertractantur.

(1) Judith c. VIII. 22. — (2) Nairon. pag. 387.

PROPOSITIO VI.

Ecclesiarum hierosolymitanae, et graecae expenditur de Scripturis Deutero-Canonicis veteris foederis doctrina, non seclusis rationibus, quibus dictae Ecclesiae ab aliis quodammodo secedunt, ac de vocabuli ἀπόκρυφα apocrypha *variis significationibus. Demum totum argumentum nostrum hic persolvitur.*

§. I. Ceteris merito praeponenda erat hierosolymitana Ecclesia, utpote quae Redemptorem suum vidit, illius verba auscultavit, et ab ea in alias orbis regiones Apostoli exeuntes, Evangelium praedicaverunt. Attamen, sicuti institutum meum, hoc in opere, omnino ex Apostolorum doctrina repetendum erat, quam ipsi ex ore Christi magistri excipientes fidelibus litteris, vel sermone mandarunt, quamque nos ob oculos habentes, vel audientes meditamur, prout in varias orbis plagas venientes docuerunt, et ut apertius res nostra ageretur, postremo loco Hierosolymorum Ecclesiam remisi; cui insuper mihi graecorum Patrum documenta addere visum fuit; cujus rei causa infra patebit.

§. II. Ante omnes primus Apostolorum aetati proximus nobis adstat ille vir martyr, Justinus philosophus Neapoli Palaestinae urbe natus. Is totis viribus animi alacritate Evangelium praedicavit, et coram gentibus et judaeis Christum professus est, donec Romae pro eo sanguinem effudit. Multos scripsit, teste Hieronymo, libros, quorum nonnulli perierunt. Nos autem ex iis, qui supersunt, in re nostra judicantes discimus Septuaginta versionem prae manibus habuisse divum martyrem, quam saepius cum aliis Aquilae et Theodotionis contulit, quasque merito aegyptiacae illi antiquissimae posthabuit, tum in verborum interpretatione, tum in librorum sacrorum censione, quos haec ultima praeseferebat. Primo loco apologia II. pro christianis (1) de hominis libertate disserens Justinus: « Neque ille, remuneratione, ait, et laude dignus esset, si per se ipsum bonum non eligeret, sed bonus editus foret, sed neque malus si esset, juste tormentis afficeretur, qui non ex se ipso talis esset; quippe qui nihil aliud, praeterquam quod factus esset, esse posset; » et Ecclesiastici verba sumens subjungit: « Ἐδίδαξε δὲ ἡμᾶς ταῦτα τὸ ἅγιον προφητικὸν πνεῦμα διὰ

(1) Lutetiae p. 81.

Μωσέως, φησί τῷ πρώτῳ πλασθέντι ἀνθρώπῳ εἰρῆσθαι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ οὕτως, ἰδοὺ πρὸ προσώπου σοῦ τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ κακόν, i. e. Docet autem nos haec sanctus propheticus spiritus per Moysen, dicit primo homini creato pronunciatum fuisse a Deo sic: - Ecce ante faciem tuam bonum et malum. » Alibi in suis apologiis sententias colligere videtur Justinus e Scripturis Deuteris, attamen nullibi neque libri sacri, neque Prophetae, neque auctoris nomen comparet, sicuti Priorum Scripturarum libris saepissime adpositum est. Hujus rei causam exquirens in dialogum cum Triphone judaeo perveni, quo Justinus praeter alia arguit judaeos, quod Septuagintaviralem versionem contemnant, novas ex hebraeo cudentes, (1) multis ex ea intersectis et sublatis. Inquit enim: « Verumtamen Magistris vestris (ait Triphoni) fidem non habeo, qui non assentiuntur bene a Septuaginta senioribus institutam esse interpretationem: ἀλλ' αὐτοὶ ἐξηγεῖσθαι πειρῶνται· καὶ ὅτι πολλὰς γραφὰς τέλεον περιείλον ἀπὸ τῶν ἐξηγήσεων· τῶν γεγενημένων ὑπὸ τῶν παρὰ Πτολεμαίῳ γεγενημένων πρεσβυτέρων, ἐξ ὧν διαῤῥήδην οὗτος αὐτὸς ὁ σταυρωθείς, ὅτι Θεός, καὶ ἄνθρωπος, καὶ σταυρούμενος, καὶ ἀποθνήσκων κεκηρυγμένος ἀποδείκνυται, ἰδέναι ὑμᾶς βούλομαι, ἃς ἐπείδε ἀρνεῖσθαι πάντας τοὺς ἀπὸ τοῦ γένους ὑμῶν ἐπίσταμαι, ταῖς τοιαύταις ζητήσεσιν οὐ προσβάλλω· ἀλλ' ἐπὶ τὰς ἐκ τῶν ὁμολογουμένων ἔτι παρ' ὑμῖν, τὰς ζητήσεις ποιεῖν ἔρχομαι, καὶ γὰρ ὅσας ὑμῖν ἀνήνεγκα, ταύτας γνωρίζετε, i. e. Sed ipsi interpretari conantur; et quoniam multas Scripturas omnino sustulerunt ex translationibus, quae factae fuerunt a Senioribus, qui apud Ptolomaeum fuere, e quibus clare iste ipse, qui crucifixus est, quod Deus et homo, et crucifixus et mortuus, sit praenunciatus, ostenditur, scire vos volo, quas siquidem non mihi latet ab omnibus vestri generis negari, ad has inquisitiones non venio, sed super illas, quae adhuc apud vos in confesso sunt, quaestiones facere aggredior; etenim quotquot vobis attuli, illas agnoscitis etc. » Indicium haec verba nobis praebere possunt, ut divum martyrem excusemus, quod suis in scriptis non collegerit Scripta Deutero-Canonica. Quamvis autem hic non de Scripturis Secundis arguat sanctus, sed tantum de iis, quae apud hebraeos servabantur, et ut divinitus inspiratae, a quibus nonnullae sententiae Salvatorem praenunciantes abrasae fuerant, sicuti paulo post Tryphoni objicit Justinus; nihilominus fatetur praeter illas, quas retulerit, plurimas esse apud christianos servatas, quibus

(1) Idem pag. 297.

inficiantur judaei. Sic enim responsum perficit de his Scripturis: « Ὑπὲρ αὐταρκείας γὰρ αἱ τοσαῦται προανιστορημέναι εἰσὶν εἰς ἀπόδειξιν τῶν ζητηθέντων, μετὰ τῶν λεχθήσεσθαι μελλόντων παρ' ἡμῖν παραπεφυλαγμένων, i. e. Satis enim sint (o Trypho) tot antea enarratae Scripturae in demonstrationem eorum, quae requiruntur praeter illas, quae proferendae essent apud nos servatae. » Quomodocumque tandem Justini sententia hic accipiatur, nunquam deneganda erit illius in citandis Scripturis coram judaeis cura, vel prudentia, quae in hujus quaestionis fine maxime erit animadvertenda.

§. III. De prodionitis, vel hermiotitis haereticis, qui saeculo Apostolico vixerunt, ait Philastrius de haeresibus, eos uti libro Sapientiae Sirach illius, qui scripsit post Salomonem, idest post multa tempora, librum unum Sapientiae.

§. IV. Hunc librum pariter Hegesippus, qui eadem Justini aetate vixit, origine hebraeus, ut ipse fatetur, et postea ab judaeorum religione ad Christum venit, laudibus prosequitur juxta Eusebium, (1) et Nycephorum, (2) qui de illius doctrina et scriptis mentionem fecerunt. Historici ambo praeter alia narrant eumdem Hegesippum ceterosque Ecclesiae doctores librum Sirach vel Ecclesiasticum, parabolas Salomonis nuncupasse. Attamen juxta latinam versionem a Lanzi et a Dadraeo collatam e graeco, celebrati auctores non videntur sic scripsisse. Eusebius ait juxta Dadraeum: « Et alia commemorat, idest Hegesippus, ex judaica traditione non scripta; non solum ipse, sed Irenaeus, et omnis antiquorum turba Proverbia Salomonis librum esse praeclara eximiaque sapientia refertum affirmabant. » Nicephorus juxta Lanzi dicit: « Tum satis indicat a judaeis se ad christianismum pervenisse; mentionem quoque facit aliarum rerum, ex judaica sine scripto traditione, et virtute omni refertam sapientiam, parabolas Salomonis vocat, non ipse vero tantum, sed et Irenaeus, et plerique omnes, qui vetustate sunt insignes. » Primum vero, juxta hanc interpretationem in dubium olim vocatus videretur Proverbiorum liber; dum ajunt Hegesippum prioresque Ecclesiae Patres librum Proverbiorum appellasse *scriptum omni sapientia, et virtute refertum*. Quis unquam de doctrina sancta et divina hujus libri dubitavit? Quid opus Eusebio et Nicephoro erat indicium, hunc librum scilicet celebrare Hegesippum, dum hebraeus, ac postea christianus fuit? Nullum, ut mihi videtur. Parvi momenti

(1) Lib. IV. c. XXI. — (2) Lib. IV. c. VII.

nota haec erat, cum neque judaei, neque christiani nulla aetate in dubium vocaverint hanc Scripturam. Sed ad textum graecum revertamur. Verba ellenica Nicephori haec sunt: « Παναρίτον δὲ σοφίαν παροιμίας Σολομόντος καλεῖ. » Eusebius fere eadem verba refert, praeter verbum καλεῖ quod numero plurali legit. Horum verborum interpretatio haec esse potest: « Panareton Sophiam, sive Ecclesiasticum, *parabolas Salomonis* vocat Hegesippus una cum aliis. » Haec autem translatio magis duorum historicorum menti conformari videtur, dum utrique censere volunt suis dictis, Hegesippum multa scripsisse ex hebraeorum traditione, ac insuper mentionem fecisse de Ecclesiastici libro, qui ab eo nomine, *Parabolae Salomonis* appellabatur. Et hic liber, addunt ipsi historici, a primis Ecclesiae patribus ab Irenaeo scilicet aliisque tali nomine donabatur; et nos reapse rem ita se habere vidimus; quoniam Hieronymus, priscos sic appellasse, testatur. Praeterea nunquam vidi, neque legi vocabulum *Panareton Sophiam* (quod etiam absque *Sophiam* occurrit) quasi nomen commune, vel genericum, quinimmo nomen proprium, et huic Scripturae Deutero-Canonicae aptatum; et ita vocatur a divo Athanasio, Epiphanio et Hieronymo. Insuper Hieronymus idem in libros Salomonis praefatione, Hegesippi verba comprobat inquiens: « Fertur et Panaretos Jesu filii Sirach liber, et alius Pseudepigraphus, qui Sapientia Salomonis inscribitur; quorum priorem hebraicum reperi; non *Ecclesiasticum*, ut apud latinos, sed *Parabolas* praenotatum. » Tandem quod huic interpretationi favet, est, Eusebium in libro octavo Demonstrationis evangelicae de 70 Hebdomadis, in Chronicon illius, et alibi nomine Panareton hunc Scripturae librum, semper cognominasse, quod aliquando libro quoque Sapientiae concedit.

§. V. Eodem fere tempore scribebat Melito episcopus sardensis, cujus scripta ad nostram aetatem non pervenere, praeter nonnulla, quae recensentur ab Eusebio in libro quarto Historiae ecclesiasticae cap. XXV. quae nostras postulant observationes. Idem Onesimo scribit epistolam de veterum Scripturarum Canone, et de Christi Jesu Prophetiis, inquit enim: « Quoniam saepe numero incredibili studio erga Deum incensum, a me vehementer flagitasti, ut quasdam breves sententias de Servatore.... et item librorum veteris Testamenti libros cognoscendi cupiditate incitatus, quot numero sunt et quo ordine collocati, magnopere scire expetivisti, hoc cumulate, quoad poteram, perficere elaboravi. Proinde

in Orientem iter suscipiens, et eo usque loci proficiscens, ubi haec et praedicata, et gesta fuerunt, cum accurate a quibusdam de veteri testamenti libris didicissem, illorum nomina hic subscripta ad te misi, quae sunt haec, Moysis quinque, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesus Nave, Judices, Ruth, Regum libri quatuor, Paralipomenon duo, Psalmi Davidis, Salomonis proverbia, quae et Sapientia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Job, Prophetarum libri, Esaiae, Hieremiae, et duodecim Prophetarum Scripta in uno libro separatim contenta, Daniel, Ezechiel, Esdras. Ex quibus breves, et selectas quasdam sententias excerpsimus, easque in sex libros dispertivimus. » Haec nobis tradit Melito. Ipse vero labori, et viae in Orientem parcere poterat, ut de hac re certior fieret, dum Asiae ecclesias ab Apostolis fundatas consulere ei potius licebat, quavis ratione, quibusque causis sepositis. Orientem adit Melito non ad Apostolicam doctrinam exquirendam hoc in negotio, sed ut judaeorum perfidiam eorumque vana commenta audiret. Nihil aliud Onesimo hoc in Canone addere poterat Melito, dum reapse hebraeorum sinagoga hunc catalogum divinorum librorum sanciverat; de qua re alibi erit dicendum. Attamen sedulo verba Melitonis perpendendo, quibus fratri Onesimo respondet, alias quoque Scripturas extare innuit, quas ipse in Septuaginta graecanica versione legebat, quas fortasse ab apocryphis, vel nothis, quae maxime tunc temporis in Ecclesia Dei serpebant, secernere haud valens, in Palaestinam instituit viam, e qua hebraeorum Canonem retulit.

§. VI. Athenagoras divi Justini aequalis in sua legatione pro christianis Prophetiam Baruch ex ore Hieremiae contra gentiles erigit dicens: « Verum insuper Prophetarum voces animos nostros muniunt; nec dubito quin vos etiam doctissimi et sapientissimi principes historias, et Scripta Moysis, Isaiae, Hieremiae et reliquorum Prophetarum aliqua ex parte cognoveritis, illos dico, qui extra se suasque cogitationes positi, divini Spiritus impulsu eloquebantur; quum Spiritus eis organis uteretur, ut tibiis ad inflandum, uti solet tibicen; Τί οὖν οὗτοι; Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν· οὐ λογισθήσεται ἕτερος πρὸς αὐτόν, i. e. Quid ergo illi (dicunt?) Dominus Deus noster, non reputabitur alius ad eum. » (1)

§. VII. Ineunte saeculo tertio Gregorius, Taumaturgus appellatus, Neocaesareae episcopatu defunctus est. Is Origenis auditor

(1) Baruch c. III. 36.

fuit, ut ex illius oratione panegyrica fatetur. Si ex hoc conjicere velimus quanta auctoritate donaverit Deutero-Canonicas Scripturas, Origenis ipsius doctrinam ob oculos habuistis, e qua Bibliorum Deuterorum divinitas clare patet. Profecto is in sua fidei expositione hoc modo de libro Baruch sentit, cap. XII. « Ἀλλὰ πίστευσαι δεῖ ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἐγένετο ἄνθρωπος κατὰ τὰς γραφὰς· καὶ ὅτι ἐπὶ τῆς γῆς ὤφθη, καὶ τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη κατὰ τὰς γραφὰς, i. e. Sed credere oportet, quoniam Filius Dei factus est homo secundum Scripturas; et quoniam super terram visus est, et cum hominibus conversatus juxta Scripturas. » In metaphrasi Ecclesiastes e Sirach libro multa colligit. In fine orationis panegyricae Origenis Tobiae verba adsuit sic precatus: « Ora ut consolationem aliquam ab eo capiamus, quando a te destituimur; ductoremque bonum mittat comitem Angelum. »

§. VIII. Methodius Tyri episcopus anno Christi 230. multa scripsit, e quibus pauca nostra leguntur aetate. In sermone de sancta Deipara (1) veteres Scripturas Deuteras in verborum suorum testimonium deligit. Baruch primum sic praevenit de Virgine: « Ut celeberrimus quodam loco Propheta (2) ait, quam prorsus incomprehensibilis sis, nos erudiens: - Quam magna, inquit, domus Dei, et ingens locus possessionis ejus; magnus et non habet finem, sublimis atque immensus. » Paulo post ad Ecclesiasticum (3) revertitur dicens: « Fumus autem irae signum atque argumentum, sicut scriptum est: - In gente incredibili exardescit ignis: » De Resurrectione Sapientiam (4) adit exclamans: « Opus est enim, ut Deo immortalia genera omnia conserventur. Immortalis autem homo: - Creavit enim Deus, inquit Sapientia, hominem in immortalitate, et in imaginem aeternitatis suae fecit illum. » Sermone in Ramos Palmarum de Susanna, Daniele teste, verba retulit: « Nova et rudis aetas Deo cecinit laudem: - Inveteratique malorum dierum. » Hic quoque censere juvat de ecclesia hierosolymitana quidquid nobis tradidit Eusebius (5) celebrans Pantaeni, et Clementis alexandrini doctrinam, ac sanctitatem. His duobus viris, dicit, familiaritate usus est Alexander Hierosolymorum episcopus. De Clemente vero scribens Alexander ad Origenem ait Clementem sibi multum commodasse; ex qua consuetudine, et ex illa, quam habuit post Clementis obitum cum eodem

(1) Bibliot. Patr. — (2) Baruch c. III. 34. — (3) Eccl. c. XVI. 7. — (4) Sap. c. II. 23. — (5) Hist. Eccl. lib. VI. c. II.

Origene, facile percipi potest qualis fuerit ejusdem Alexandri doctrina in palaestinorum regione praedicata de Bibliis Deuteris. Hoc quoque firmatur ex Africano palaestino scriptore Origeni ipsi aequali, qui ad eumdem scribit consulens de historia Susannae, quam hebraei respuebant. In eadem epistola vero Africanus Origeni objiciit librum Tobiae, quem pariter utrique verum ac divinum accipiebant. Praeter haec, animadvertas volo pro re nostra Origenem per multos annos Caesareae Palaestinae docuisse sacras Scripturas, undequaque ob hoc confluentibus auditoribus.

§. IX. Saeculi quarti initio, Eusebius Caesareae Palaestinae episcopus claruit, cujus volumina plurima ab eo edita illius ingenium, diligentiam, studium ostendunt, et in divinis Scripturis maximum perhibent investigatorem. E suis scriptis multa periere, vel nondum ab occultis cryptis veterum bibliothecarum in lucem prodiverunt. Ex his modo, quae supersunt, investigantes Eusebii de Scripturis Deutero-Canonicis veteris testamenti sententiam, haec e suis libris excipere potui. Messiae adventum a priscis Prophetis probans (1) inter alios censet Baruch, qui sic incipit: « Τίς ἀνέβη εἰς τὸν οὐρανόν, καὶ ἔλαβεν αὐτήν; (δῆλοι δὲ τὴν σοφίαν) καὶ κατεβίβασεν αὐτὴν ἐκ τῶν νεφέλων; ..... καὶ τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη· οὐδὲν ἐπιλίγειν δεῖ ταῖς θειαῖς φωναῖς, ἐναργῶς τῷ προβλήματι παρισταμέναις, i. e. Quis ascendit in coelum, et accepit eam? (indicat autem Sapientiam) et deduxit eam de nubibus? (et sequitur usque ad capitis finem) et cum hominibus conversatus est. Nihil addere oportet divinis vocibus, quae abundantissime propositum confirmant. » Adversus Marcellum lib. II. cap. I. ad eumdem Prophetam redit: « Καὶ προϊὼν ἑξῆς Ἱερεμίου τοῦ προφήτου περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Σωτῆρος σαφῶς εἰρηκότος· μετὰ ταῦτα ἐπὶ τῆς γῆς ὤφθη, καὶ τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη· ἐπὶ τὸν πατέρα ἀναφέρει τὸ λογίον φάσκων αὐτοῖς ῥήμασιν, i. e. Et procedens inde (Marcellus) cum Propheta Hieremias diceret aperte de Incarnatione Salvatoris: - Post haec in terra visus est, et cum hominibus conversatus: - Ad Patrem illud oraculum refert dicens his verbis. » Apud Procopium extat index librorum Propheticorum juxta Eusebium, qui summatim agit de rebus quas quisque Propheta complectitur. In his numeratur quoque Baruch, de quo sic fatus: « Ἐπειδὴ οὗτος γράψας ἀπὸ στόματος Ἱερεμίου τοὺς ἐν τῷ βιβλίῳ λόγους, ἀνέγνω ἐν τῇ Βαβυλῶνι αἰχμαλωτισθεῖσι, παραμυθούμενος αὐτούς, καὶ ἐπαγγελλόμενος αὐτοῖς τὴν παρὰ

(1) Demonst. Evan. Lib. VI. c. XIX. et Baruch c. III.

θεοῦ ἐλπίδα, i. e. Siquidem iste, Baruch, scriptis ex ore Hieremiae sermonibus in libro, legit eos illis, qui Babylone captivi erant, consolatus eos et denuncians eis in Deo spem. » De epistola Hieremiae pariter Eusebius haec narrat: « Ἐπειδὴ ταύτην ἐγραφεν Ἱερεμίας τοῖς ἐν τῇ αἰχμαλωσίᾳ, κατὰ τῶν εἰδώλων ἀσφαλιζόμενος αὐτοὺς ἵνα μὴ βλέποντες αὐτὰ συναπαχθῶσι τοῖς σεβομένοις αὐτά, i. e. Quoniam hanc scripsit Hieremias captivis, ut adversus idola eos confirmaret, ne respicientes ea, adjungerentur iis, qui ea colebant. » De Propheta Daniele inde subjungit Eusebius, cur ita sit vocatus: « Ἐπειδὴ καὶ αὐτὸς ἐν τῇ αἰχμαλωσίᾳ γεγονὼς ἕως τοῦ βασιλέως Κύρου τοῦ Πέρσου, τὰ μὲν κατὰ Σουσάνναν κρίνει αὐτὸς, καὶ καταχρίνει τοὺς πρεσβυτέρους ὡς συκοφάντας..... Διηγεῖται δὲ περὶ τοῦ μαρτυρίου Σεδράχ, Μησάχ, Ἀβδεναγώ, καὶ τῶν ὕμνων αὐτῶν..... τὸ δὲ δεύτερον, δι' ὅτι τὸν βὴλ κατέστρεψεν· καὶ τὸν δράκοντα ἀνεῖλεν ἐπὶ Κυροῦ τοῦ βασιλέως, καὶ αὐτὸς μὲν διεσώθη, i. e. Siquidem et ipse cum in captivitate esset, usque ad regem Cyrum, quae contra Susannam erant, judicat ipse, et seniores utpote calumniatores condemnat..... Narrat autem martyrium Sidrach, Misach, et Abdenago, eorumque canticum .... Secundo autem, (scilicet in lacum leonum dejectus est) eo quod Bel sustulit, et draconem interfecit sub Cyro rege, et ipse quidem salvatus est. » E Susannae porro historia libro VI. c. I. Praeparationis Evangelicae haec legit: « Deum igitur omnia futura praescire, quamquam etiam per communem de Deo conceptum clarissimum sit, tamen et a Scriptura nonnihil afferamus. Susannam (1) ergo audiamus dicentem: - Deus aeterne qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis quod falsum testimonium tulerunt adversum me. »

Libro XI. Praeparat. Evangelicae cap. XIV. In contemplatione quod Dei verbum, ac Deus ex Deo sit, hebraeorum, ait, docent oracula, qua Theologia nos etiam imbuti, et informati sumus. Ceteris dein prophetarum testimoniis illud Sapientiae (2) adjungit: « Ἔστι γὰρ αὕτη πνεῦμα νόερον, ἅγιον, μονογενες, πολύμερες, λεπτὸν, εὐκίνητον, τρανὸν, ἀμόλυντον, παντοδυναμενον, πανεπίσκοπον, καὶ διὰ πάντων χωροῦν πνευμάτων, νοερῶν, καθαρῶν, λεπτοτάτων, i. e. Est enim ipsa Spiritus intelligentiae, sanctus, unigenitus, multiplex, subtilis, mobilis, disertus, incoinquinatus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, omnes permeans spiritus intelligibiles, puros,

(1) Dan. c. XIII. 42. — (2) Sap. c. VII. 22.

tenuissimos. » Et postquam multa ex eodem capite legerit Eusebius, inquit: « Ταῦτα μὲν ἡ γραφή, i. e. Haec quidem (dicit) Scriptura. » Libro I. ejusdem, cap. IX. dicti libri auctoritatem addit: « Sunt haec, loquitur de idolatria, nimirum ab hominibus excogitata commenta, sunt mortalis naturae fictiones, vel potius turpis, ac flagitiis perditae vitae artes, κατὰ τὸ παρ' ἡμῖν θεῖον λόγιον (1) τὸ φάσκον· ἀρχὴ πορνείας ἐπίνοια εἰδώλων, i. e. Juxta illud quod est apud nos divinum oraculum, dicens: - Initium fornicationis exquisitio idolorum. » Demonstrationis Evangelicae libro VIII de Septuaginta hebdomadibus Danielis, chronicon recensens historicus a captivitate ad Christum, mentionem agit de Ecclesiastici auctore, et de libris Machabaeorum; inquit enim: « Post Eleazarum, alius eodem cum prioribus nomine Onias, cui successit Simon, καθ' ὃν Ἰησοῦς ὁ τοῦ Σιρὰχ ἐγνωρίζετο, ὁ τὴν καλουμένην παναρετον σοφίαν συντάξας, i.e. Sub quo Jesus Sirach filius notus fuit, cum composuisset librum, qui Panaretos Sophia nuncupatur; post quem alius Onias praefuit eodem cum prioribus nomine. Hujus Pontificis tempore Antiochus cum Judaeos obsidione fatigasset, Graecorum ritibus uti coegit. Hunc secutus Judas Machabaeus, dum rebus Judaeorum praeest, regionem ab impiis, et prophanis expurgatam liberavit; cui succedit Jonathas, et Simon, sub cujus mortem, regni, quod apud Syros viguit, annus numeratur septimus et septuagesimus supra centesimum, ἥτις πρώτη καλούμενη τῶν Μακκαβαίων βίβλος εἰς τοῦτο τοῦ χρόνου κατέλυσε τὴν ἱστορίαν, ὥστε συνάγεσται ἀπὸ πρώτου ἔτους Κύρου, καὶ περσῶν βασιλείας ἐπὶ τὸ τέλος τῆς Μακκαβαίων γραφῆς, καὶ ἐπὶ τὴν Σίμονος τοῦ Ἀρχιερέως τελευτὴν ἔτη τετρακόσια εἰκόσι πέντε, i. e. Sane primus, qui Machabaeorum vocatur liber usque ad hoc tempus reliquit historiam, adeo, ut colligat a primo anno Cyri, et persarum regni usque ad finem Machabaeorum Scripturae, et usque ad mortem Simonis Pontificis annos quadringentos viginti quinque. »

Libro X. cap. II. ejusdem demonstrationis praeclarum de Machabaeorum librorum divinitate aliud exhibetur testimonium, quod relatum est, in verbis Psalmi: « Deus venerunt gentes in haereditatem tuam: » Eusebius ait completam esse hanc prophetiam Antiochi tempore: « In illud ergo tempus, et in eos, qui posthac, eadem, quae Antiochus patraverit, clamat Asaph ea, quae septuagesimo octavo Psalmo continentur, μαρτυρεῖ τῷ λόγῳ ἡ τῶν κα-

(1) Sap. cap. XIV. 12.

λουμένων Μακκαβαίων γραφὴ, τοῦτον ἔχουσα τὸν τρόπον· καὶ προσεπισυνήχθησαν πρὸς Ἰάκειμον, καὶ Βακχίδην συναγωγὴ γραμματέων ἐζήτουσα δίκαια· καὶ ἐξῆς ἐπιλέγει· καὶ ὤμοσεν αὐτοῖς λέγων, οὐκ ἐκζητήσομεν ὑμῖν κακόν, καὶ τοῖς φίλοις ὑμῶν· καὶ ἐνεπίστευσαν αὐτῷ· καὶ συνέλαβεν ἐξ αὐτῶν ἑξήκοντα ἄνδρας, καὶ ἀπέκτεινεν αὐτοὺς ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ κατὰ τὸν λόγον Ἀσάφ, ὃν ἔγραψε· σάρκας ὁσίων σου, καὶ αἵματα αὐτῶν ἐξέχεαν κύκλῳ Ἱερουσαλήμ, καὶ οὐκ ἦν αὐτοῖς ὁ θάπτων, i. e. Fidem facit huic rei, quae Machabaeorum vocatur Scriptura (1), quae sic se habet: - et convenerunt ad Alcymum et ad Bacchidem congregatio scribarum quaerens justa; et deinceps subjungit, et juravit eis dicens, non exquiremus vobis malum, et amicis vestris. Et crediderunt ei; et comprehendit ex eis sexaginta viros, et interfecit eos in una die juxta sermonem Asaph, quem scripsit; carnes sanctorum tuorum, et sanguinem effuderunt circa Hierusalem, et non erat eis, qui sepeliret. » Apud Corderium catena patrum Graecorum in psalmos, Eusebius canticum trium (2) puerorum memorat in Psalmo 73: « πῶς καὶ οἱ ἐν Βαβυλῶνι τρεῖς ἔλεγον παιδὶς· καὶ οὐκ ἔστιν ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ ἄρχων, καὶ προφήτης, καὶ ἡγούμενος, οὐδὲ ὁλοκαύτωσις, οὐδὲ θεσία, οὐδὲ προσφορὰ etc. i. e. Quemadmodum etiam Babylone tres pueri dicebant: et non est in tempore hoc princeps, et Propheta, et dux, neque holocaustum, nec sacrificium, neque oblatio etc. »

Lib. I. cap. XII. Ad Marcellum, Sirach librum (3) exaltat inquiens: « Quod siquis curiosius hic sategerit (loquitur de generatione Patris) et quomodo sit ille Deus, roget, quomodo est Pater, qui supra omnia est? τὸ τολμηρὸν τῆς πεύσεως κατασυγάσῃ ὁ φήσας· χαλεπώτερά σου μὴ ζήτει, καὶ ἰσχυρότερά σου μὴ ἐξέταζε· ἃ προσιταγή σοι, ταῦτα διανοοῦ, i. e. Audacem hujus interrogationem compescet is, qui dicit: - Profundiora te ne exquiras, et fortiora te ne scruteris, quae statuta sunt tibi cogita. » Juxta eumdem Corderium in psalmum 69. Eusebius verba Ecclesiastici (4) ut divinum oraculum compellat: « Μεγάλου βασιλέων ἔθνους ὁ Δαβίδ, πλουσιώτατος ὢν ἡ δεῖ τὸ φάσκον λογίον· ὅσῳ μέγας εἶ, τοσούτῳ ταπείνου σεαυτόν, i. e. Magnae genti imperans David (vel potius Salomon) cum esset ditissimus canebat divinum oraculum: - Quanto magnus es, tanto humilia te ipsum. » In Chronicon illius juxta divi Hieronymi interpretationem memoriam quoque facit de historia Judith hoc modo: « Persarum anno octavo Cambyses re-

(1) 1. Mac. c. VII. 12. — (2) Dan. c. III. 38. — (3) Eccl. c. III. 22. — (4) Eccl. c. III. 6. 18.

gnavit. Cambysem istum ajunt ab Hebraeis et Nabuchodonosor vocari, sub quo Judith historia conscribitur. » Alibi quoque Tobiae verba ex ore scriptorum Ecclesiae, qui eum praecesserunt, enarrat Eusebius nihil in iis animadvertens, ut videre est in epistola Dionysii alexandrini ab eo relata, ubi Angeli (1) dicta « mysterium regis abscondere bonum est » descripta sunt.

Haec omnia ex Eusebii scriptis, quotquot in lucem prodiere, decerpsi, et pro Scripturis Deuteris earumque Divinitate quidquid ipse senserit, explicavi. Animadvertendum tamen est Eusebium in historia ecclesiastica libro VI. de Clemente alexandrino notasse, eumdem in libris Stromaton e Scripturis sententias delegisse, quibus contradicitur, inter quas nostrae censentur. Haec autem Eusebius ut historicus dixit, quasi quorumdam sententiam explanans, qui his Scripturis obstabant, non autem haec dicta suae sententiae officiunt, qui satis aperte, ut divinas Scripturas, libros Deutero-Canonicos in sua doctrina arcessivit, earumque auctoritatem omnino suscipit. Quodque maxime nobis favet, est, Eusebium ipsum harum Scripturarum testimonio uti coram Marcello haeretico, quem ex his redarguit, quasque Marcellus idem accipit, neque negare audet.

§. X. Cyrillus Hierosolymis nisi natus, ab infantia certo ibi educatus fuit, anno Christi 350 sacerdotio insignitus conciones ad populum habebat, quae sub nomine Catechesium apud nos servantur. In his omnibus maximum illius studium fuit judaeos, samaritas haereticos expugnandi, qui, ea aetate, illa loca pervadebant, ac pariter muniendi fideles contra eorum doctrinam; et hac eadem ratione dogmata fidei praecipua, aliasque institutiones, quae praecipue Hierosolymorum ecclesiae aptae credebantur proposuit, explicavit. Nos hic tantum divi episcopi mentem perscrutabimur, quam de divinis Bibliis eorumque Canone suis scriptis manifestavit. Primum Deuterarum Scripturarum veteris testamenti sententias, quas ipse commendavit breviter censebimus, deinde, de earum Canone, quem ipse speciatim contulit, et fidelibus tradidit. Catechesi XXIII. cap. 17. Ex Ecclesiastici Scriptura haec sumit: « Id ne Dominus orare nos docet, ne ullatenus tentemur? (2) Καὶ πῶς εἴρηται ἀλλαχοῦ· ἀνὴρ ἀπείραστος, ἀδόκιμος, i. e. Et quomodo dictum est alicubi: - Vir non tentatus, non probatus?»

(1) Hist. Eccl. lib. VII. c. X. et Tob. c. XII. 7. — (2) Eccl. XXXIV. 9.

Catechesi VI. ex eodem libro (1) dicit: « Βαθύτερά σου μὴ ζήτει, καὶ ἰσχυροτερά σου μὴ ἐξέταζε· ἃ προσετάγη σοι, ταῦτα διανοοῦ, i. e. Profundiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scruteris, quae tibi mandata sunt, haec cogita. » Catechesi IX. cap. 2. Sapientiam Salomonis de Deo omnium conditore compellat dicens: « Divinam itaque naturam corporeis oculis conspici non datur; ex operibus vero divinis possumus potestatis ejus cogitationem assequi, (2) Κατὰ τὸν Σολομῶντα τὸν λέγοντα, ἐκ γὰρ μεγέθους, καὶ καλλονῆς κτισμάτων, ἀναλόγως, ὁ γενεσιουργὸς θεωρεῖται αὐτῶν, i. e. Juxta Salomonem, qui dicit: - Ex magnitudine enim, et pulchritudine creaturarum, proportione servata, procreator earum conspicitur. » In eadem Catechesi cap. 15. juxta Baruch dicit: « Vis autem cognoscere Deum esse eum, qui ex Patre natus est, posteaque homo factus? Ἄκουε τοῦ προφήτου λέγοντος, οὗτος ὁ Θεὸς ἡμῶν, οὐ λογισθήσεται ἕτερος πρὸς αὐτὸν, ἐξεῦρε πᾶσαν ὁδὸν ἐπιστήμης, καὶ ἔδωκεν αὐτὴν Ἰακὼβ τῷ παιδὶ αὐτοῦ, καὶ Ἰσραὴλ τῷ ἠγαπημένῳ ὑπ' αὐτοῦ· μετὰ τοῦτο ἐπὶ τῆς γῆς ὤφθη, καὶ τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη i. e. Audi Prophetam dicentem: - Iste Deus noster, non reputabitur alius ad eum, adinvenit omnem viam disciplinae, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo; post hoc super terram apparuit, et cum hominibus conversatus est. » Catechesi XVI. cap. 31. historiam Susannae describit: « Idem (Spiritus Sanctus) sapientem effecit Danielis animam, ut seniorum judex esset adolescens. Damnata fuerat casta Susanna tanquam impudica, vindex nullus erat; qui eam a principibus eripuisset; ad mortem ducebatur, in manibus lictorum jam erat, verum astitit auxiliator, Paracletus, Spiritus sanctificans omnem intelligentem naturam. Huc ades, dicit Danieli; juvenis seniores argue juvenilium peccatorum tabe infectos. Γέγραπται γὰρ· ἐξήγειρεν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπὶ παιδαρίου νεωτέρου, i. e. Scriptum est enim, suscitavit Deus Spiritum Sanctum super puerum juvenculum. » Catechesi IX. Canticum trium puerum legit inquiens: « Vis tu cognoscere, quod natura Dei comprehendi non possit? Tres illi pueri in camino ignis Deum celebrantes: (3) Λέγουσιν, εὐλογητὸς εἶ ὁ ἐπιβλέπων ἀβύσσους, καθήμενος ἐπὶ τῶν Χερουβιμ, i. e. Dicunt benedictus es, qui respicis abyssos, sedens super cherubim. »

Nunc sedulo enucleanda sunt quae divus episcopus catechesi 4. de decem dogmatibus docuit circa Canonem divinorum Biblio-

(1) Eccl c. III. 22. — (2) Sap. c.XIII. 5. (3) Dan. c. III. 55.

rum. Is postremo dogmate confirmat ea, quae antea a se dicebantur, inquit enim: « Ista vero nos docent divinitus inspiratae veteris et novi testamenti Scripturae. Unus est enim utriusque testamenti Deus, qui Christum in novo conspicuum factum praenuntiavit in veteri. » Paulo post addit: « Studiose quoque Καὶ φιλομαθῶς ἐπίγνωθι, καὶ παρὰ τῆς Ἐκκλησίας, ποῖαι μὲν εἰσὶν αἱ τῆς παλαιᾶς διαθήκης βίβλοι, ποῖαι δὲ τῆς καινῆς· καὶ μοὶ μηδὲν τῶν ἀποκρύφων ἀναγίνωσκε· ὁ γὰρ τὰ παρὰ πᾶσιν ὁμολογούμενα μὴ εἰδῶς, τί περὶ τὰ ἀμφιβαλλόμενα ταλαιπορεῖς μάτην; ἀναγίνωσκε τὰς θείας γραφάς, τὰς εἴκοσι δύο βίβλους τῆς παλαιᾶς διαθήκης ταύτας, τὰς ὑπὸ τῶν ἑβδομήκοντα δύο ἑρμηνευτῶν ἑρμηνευθείσας, i. e. Disce et ab Ecclesia, quales quidem sunt veteris testamenti libri, quales autem novi; neque mihi quidquam apocryphorum legas. Etenim quae apud omnes in confesso sunt nesciens, quid circa ea, quae controversa sunt laboras frustra? Lege divinas Scripturas, viginti duos, scilicet, libros veteris foederis, qui a Septuaginta duo interpretibus translati sunt. » Deinde enarratis Septuaginta duo interpretum historia, et Ptolomaei philadelphi pro hac translatione suffragiis et studio, sic censet Canonem Scripturarum: « Τούτων τὰς εἴκοσι δύο βίβλους ἀναγίνωσκε· πρὸς δὲ τὰ ἀπόκρυφα μηδὲν ἔχε κοινόν· ταύτας μόνας μελέτα σπουδαίως, ἃς ἐν καὶ Ἐκκλησίᾳ μετὰ παῤῥησίας ἀναγινώσκομεν· πολύ σου φρονιμώτεροι, καὶ εὐλαβέστεροι ἦσαν οἱ Ἀπόστολοι, καὶ οἱ ἀρχαῖοι ἐπίσκοποι, οἱ τῆς Ἐκκλησίας προστάται, οἱ ταύτας παραδόντες· σὺ οὖν, τέκνον τῆς Ἐκκλησίας ὤν, μὴ παραχάραττε τοὺς θεσμούς, i. e. Harum lege libros viginti duos, cum apocryphis autem nihil habeto commune, hos solos sedulo meditare, quas in Ecclesia etiam certa fiducia, vel libertate legimus. Multo te prudentiores, et religiosiores erant Apostoli, et antiqui episcopi Ecclesiae praesules, qui eos tradidere, tu ergo Ecclesiae filius cum sis ne terminos transvertas. » Deinde eos nominatim recitat: « Legis enim sunt primi quinque libri Moysis, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Inde Jesus filius Nave, et Judicum liber, qui una cum Ruth septimus numeratur. Ceterorum vero historicorum librorum, Regnorum primus et secundus, unus est apud hebraeos liber; unus item tertius cum quarto. Similiterque apud eos Paralipomenon primus et secundus unus est liber; Esdraeque primus et secundus pro uno censetur. Esther duodecimus est liber, et hi quidem historici; versibus scripti sunt quinque, Job, Psalmorum liber, Proverbia, Ecclesiastes, et Canticum Canticorum, qui liber decimus septimus est. Sequuntur prophetici quinque; duodecim Prophetarum liber

unus, Isaiae unus; Hieremiae cum Baruch, lamentationibus, et epistola unus; deinde Ezechiel et Danielis, liber veteris testamenti secundus supra vigesimum: » Novi testamenti censitis libris ait, Τὰ δὲ λοιπὰ πάντα ἔξω (et hoc vocabulum in multis codicibus desideratur juxta Maurinos) κεῖσθω ἐν δευτέρῳ· καὶ ὅσα μὲν ἐν Ἐκκλησίαις μὴ ἀναγινώσκεται, ταῦτα μηδὲ μετὰ σαυτὸν ἀναγίνωσκε, καθὼς ἤκουσας, i. e. Reliqua autem omnia *extra* secundo loco habeantur, et quaecumque in ecclesiis non leguntur, haec neque privatim legas, sicuti audivisti. » Haec divi Cyrilli est de Scripturis divinis sententia, ad quam animadvertendam parum temporis insto. Primo notatu dignum est, doctorem adolevisse ac edoctum fuisse Hierosolymis, et ministerium praedicationis ibi suscepisse, quae res postremo hujus quaestionis loco pertractabitur, ubi ecclesiae hujus prudentia hoc in negotio patefiet. Deinde observes necesse erit quidquid ipse huic Canoni addiderit, scilicet inesse alios Scripturae libros, quos apocryphos, controversos nempe, nuncupat, et secundo ordine eos legi praecipit. Animadvertas quoque volo ea verba: « Quaecumque in ecclesiis non leguntur, illa neque privatim legas. » Nequaquam libros nostros Deutero-Canonicos arguere, verumtamen libros spurios, noxios, qui ab haereticis et impiis in Christi Ecclesiam ad fidelium scandalum subinferebantur. Libri autem nostri, teste Origene, et Hieronymo in omnibus ecclesiis legebantur, et ipse Cyrillus legebat, dum Ecclesiastici et Sapientiae libros, quasi verborum suorum robur, pluries in testimonium vocavit, ut jam vidistis. Insuper notanda sunt: « Eos solos meditare, quos et in Ecclesia cum certa fiducia legimus. » Verba μετὰ παῤῥησίας *cum libertate* scilicet, non frustra hic adposita sunt. Nam ista indicant quoque apud Christifideles hierosolymorum legi Scripturas Deutero-Canonicas, quas privatim legi statuit; nam cum ab hebraeis, qui multi erant et pollebant in ea regione, respuerentur a Canone sacro, voluit Cyrillus eas a christianis publice non legi; meditari vero praecipiens tantum illas Scripturas, quae ab omnibus ratae habebantur, ut divinitus inspiratae legebantur, et fiducia, et libertate coram omnibus praecipue judaeis explicabantur earum sententiae. Tandem, ut omnibus constet divum episcopum hoc in dogmate caute prudenterque agere, ut infra fusius dicemus, et sese regioni, vel earum incolis accommodare, altera de cibis ejus doctrina legatur, de carnibus nempe, de vino, de abstinentia ab iis, circa etiam escas idolis oblatas, de sanguine, de suffocato, aliisque hujusmodi, quae

praecepta alicubi primis Ecclesiae aetatibus instituta fuere, ut ex actis Apostolorum constat. (1)

§. XI. Caesareae Cappadociae circa annum 329 juxta communem sententiam natus est sanctus Basilius. Athenis primum rethoricae et philosophiae operam dedit, quibus maxime excelluit. Deinde in patriam reversus illius doctrinae sanctae, qua ab avia et patre imbutus fuerat, non oblitus, baptismate Christum induit, et ipsius sectator omnino efficitur, monachorum vita suscepta. Ob hanc vivendi rationem monasteria Aegypti, Palaestinae, Caelesyriae, Mesopotamiae visit, ubi illorum virorum sanctorum labores, studia imitatus, doctrina et sanctitate splenduit. Illius munera episcopalia hoc testantur, et illius scripta hucusque servata evangelicae institutionis propugnatorem ostendunt. Ecclesiae traditionem vindicavit, Scripturas divinas meditatus est cura maxima. Et hic morati quidquid de Bibliis Deutero-Canonicis veteris testamenti senserit ex ejusdem scriptis eruamus.

Adversus Eunomium libro v. scribit juxta Sapientiae (2) librum et de eo dicit: « Ζητεῖς γὰρ ἵνα εὕρῃς οὐ πίστιν, ἀλλ' ἀπιστίαν· τοῦτο ἀληθὴς κατὰ τὸ γεγραμμένον, εἰς κακότεχνον ψυχὴν οὐκ εἰσελεύσεται σοφία, i. e. Quaeris enim ut invenias non fidem, sed infidelitatem. Hoc verum est, secundum id, quod scriptum est: - In malevolam animam non intrabit Sapientia. » Contra eumdem ex eodem libro (3) haec dicit: « Πνεῦμα γὰρ ἐστὶ τὸ πεπληρωκὸς τὰ σύμπαντα, κατὰ τὸ γεγραμμένον, πνεῦμα γὰρ Κυρίου πεπλήρωκε τὴν οἰκουμένην, φησὶν ὁ Σολομών, i. e. Spiritus enim Domini replevit omnia, juxta illud, quod scriptum est: - Spiritus enim Domini replevit orbem terrarum: - Dicit Salomon. » In Psalm. XXXVII. (4) Ecclesiastici verba sumit praedicens: « Inimici autem mei vivunt. Non enim mortui sunt, neque ubi semel in me quidvis moliti sunt abierunt: Διο γέγραπται, μὴ μακαρίσῃς ἄνδρα πρὸ τελευτῆς αὐτοῦ. i. e. Ideo scriptum est: - Ne beatum dicas virum ante mortem suam. » In Psalm. XIX. (5) ad eamdem Scripturam redit: « Οὔτε γὰρ ἁμαρτάνοντα ὀνειδιστέον, κατὰ τὸ γεγραμμένον· μὴ ὀνείδιζε ἄνθρωπον ἀποστρέφοντα ἀπὸ ἁμαρτίας, i. e. Neque enim peccator exprobrandus est, juxta quod scriptum est: - Ne exprobres virum avertentem se a peccato. » Ne forte huic testimonio obsistas, accipe aliud in Hexameron, hom. VI. « Κατὰ τὸ εἰρημένον· ὁ ἄφρων ὡς σελήνη ἀλλοιοῦται, i. e. Juxta quod dictum est: (6) - Stultus ut luna mutatur. » De Spiritu Sancto cap. VIII. Ju-

(1) Cap. XV. 20. — (2) Tom. II. Edit. Maur., et Sap. cap. II. 4. — (3) Sap. c. I. 7. — (4) Tom. I. p. 371. — (5) Tom. I. p. 355. — (6) Eccl. c. XXVII. in 70.

dith (1) verba retulit: « Nam quo tandem temporis spatio egeat, qui portat omnia verbo virtutis suae, quique nec corporaliter operatur, neque manuum opera ad creandum opus habet, sed eorum, quae fiunt, naturam habet, voluntate non coacta, obsequentem? Ὡς ἡ Ἰουδὶθ, ἐνόησας, φησὶ, καὶ παρέστησάν σοι πάντα ὅσα ἐνόησας, i. e. Sicuti Judith, cogitasti, inquit, et praesto fuerunt tibi omnia, quae cogitasti. » Adversus Eunomium libro secundo, Esther Scripta Deutera (2) aliis divinis libris inseruit post Hieremiam: « Καὶ ἡ σοφωτάτη Ἐσθὴρ· μὴ παραδῷς, Κύριε, τὸ σκῆπτρόν σου τοῖς μὴ οὖσι, i. e. Et sapientissima Esther: - Ne tradas Domine sceptrum tuum his, qui non sunt. » De Spiritu Sancto cap. XXIII. dum probat Basilius ubique eum esse, non vero alias virtutes coeli, Abacuc (3) cum Daniele in Babylonia versatum vocat dicens: « Τὸ μέν τοι πνεῦμα, ὁμοῦ τε ἐν Ἀββακοὺμ ἐνεργεῖν, καὶ ἐν Δανιὴλ ἐπὶ τῆς Βαβυλωνίας πεπίστευται, i. e. Tamen spiritus creditur simul in Abacuc operari, et in Daniele operari in Babylonia. » Epistola 243. scribens ad episcopos italos, et gallos turbationem ecclesiarum lamentatus, ex Cantico trium puerorum: « Ἡμὶν πρέπει λέγειν, ὅτι οὐκ ἔστι ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ ἄρχων, οὔτε προφήτης, οὔτε ἡγούμενος, οὔτε προσφορά, οὔτε θυμίαμα, i. e. Decet nos dicere: - Quoniam non est in tempore hoc princeps, neque Propheta, neque dux, neque oblatio, neque suffitus. » Homilia in principium Proverbiorum per Danielem Susannae historiam memorat praefatus: « Didicimus enim in multis Scripturae locis, quemdam animae statum puerilem esse, alium esse ejusdem vigentis, alium jam senis. » Primo dixit de Paulo, deinde ex Joele, ac postea de Daniele sic: « Qualis erat Daniel, qui in juvenili corpore sapientiam, gravitatem omni canicie venerabiliorem praeseferebat: Διὸ φασὶ πρὸς αὐτὸν ἐκεῖνοι οἱ πλήρεις ἡμερῶν πονηρῶν· δεῦρο κάθισον μέσῳ ἡμῶν, καὶ ἀπάγγειλον ἡμῖν, ὅτι σοὶ ἔδωκεν ὁ Θεὸς τὸ πρεσβυτέριον, i. e. Ob hoc dicunt ei illi pleni dierum malorum: - Huc veni, sede in medio nostri, et annuncia nobis, quod tibi Deus dederit honorem senectutis. »

Adversus Eunomium Baruch Scripturam, sub Hieremiae nomine proponit libro IV. (4) in illud: « Ut cognoscant te verum Deum » explanans scribit: « Dicitur verus, quod ab iis, qui falso dicuntur, distinguitur; incomparabilis vere, quod inter omnia in omnibus excellit, Εἰπῶν ὁ Ἱερεμίας περὶ τοῦ υἱοῦ, οὗτος ὁ Θεὸς ἡμῶν, οὐ

(1) Tom. III. p. 16. et Judith. c. IX. — (2) Esth. c. XIV. 11. — (3) Dan. c. XIV. 38. — (4) Tom. I. p. 294.

λογισθήσεται ἕτερος πρὸς αὐτόν, i.e. cum dixisset Hieremias (1) de Filio: - Iste Deus noster, non reputabitur alius ad eum. » In epist. XI. Basilius postquam cum filiis unius ex amicis suis diem festum celebravit, ad eum mittit, a Deo eis salutem precatus, sicuti Tobias filio suo; inquit enim: (2) «Postquam solemnia Domino celebravimus, sanos filios praemisimus ad tuam praestantiam, Εὐχόμενοι τῷ φιλανθρώπῳ Θεῷ, καὶ αὐτοῖς δοθῆναι εἰρηνικὸν ἄγγελον βοηθόν, καὶ σύμπορον, καὶ σὲ παρ' αὐτῶν καταληφθῆναι ἐν ὑγείᾳ καὶ πάσῃ εἰρηνικῇ καταστάσει, i. e. Precantes benignissimum Deum, ut et ipsis detur pacificus angelus adjutor, et viae comes, et ut tu ab eis reperiaris in sanitate, et in omni pacifica constitutione. » Haec verba fere eadem sunt, quae leguntur in libro Tobiae cap. v. dixitque illi Angelus: «Ego sanum ducam, et sanum tibi reducam filium tuum.... sit Deus in itinere vestro, et Angelus Dei comitetur vobiscum.... credo enim quod Angelus Dei bonus comitetur ei, et bene disponat omnia, quae circa eum geruntur ita, ut cum gaudio revertatur ad nos. » Particula καὶ, *et*, *vel*, quoque Basilii mentem magis explicat, eum voluisse scilicet juxta verba Tobiae salutem filiis deprecari.

De Consolatione in adversis, (3) sanctus pater hortatur eos, qui in calamitatibus vexantur, ad consolationem de Scripturarum exemplis. In his numeratur illud Tobiae, qui ad filium loquitur: « Vade ergo, inquit, fili, et voca si quem inveneris pauperem ex fratribus nostris.... et paulo post: - Raphael Angelus collaudat eum et dicit: - Opera Dei revelare et confiteri honorificum est. Nam quando orabas cum lacrymis tu, et Sarra nurus tua, ego obtuli memoriam orationis vestrae in conspectu claritatis Dei. » Haud me latet hunc sermonem sancti Basilii genuinum foetum a nonnullis negari, quamvis materia, de qua hic agitur, verba, et citandi Scripturas ratio auctorem Basilium postulent. Aliter autem si divum doctorem hujus Tractatus scriptorem agnoscere nolimus, saltem auctoris antiquitatem et doctrinae sanctitatem veneremur, quae pariter ad nostrum negotium conferunt.

Epistola VI. (4) in consolationem Nectarii uxoris ob filii mortem, mentionem facit Machabaeorum matris: « Tibi nunc tempus est, ait, ut per patientiam partem martyrum consequare. Machabaeorum mater septem filiorum mortem conspexit, nec ingemuit, nec

(1) Baruch c. III. 38. — (2) Tom. III. p. 92. — (3) Tom. III. p. 700. — (4) Tom. III. p. 79.

ignobiles lacrymas effudit; sed gratias agens Deo, quod videret eos igne et ferro, et acerbissimis verberibus e vinculis carnis exsolvi; Deo quidem probata fuit, celebris vero habita est apud homines. » Haec omnia satisfiant in probationem eorum, quae disquiruntur, quaeque ipse Basilius fatetur partem constituere illarum Scripturarum, quas in Psalmo primo divinitus inspiratas vocat, a Spiritu Sancto conscriptas in communi animarum curandarum officina: « In his autem, subjungit, aliud Prophetae docent, aliud historici, aliud lex, et alia docet species quaedam exhortationis proverbialis. »

§. XII. Gregorius Nazianzenus a teneris annis pietati assuetus, et litteris, futurae sanctitatis et doctrinae praeconium in Christi Ecclesia praebuit. Is Basilio familiarissime usus est, iique concordes Sapientiae verae viam cucurrere, et omnes vicissim aemulantes perfecere virtutes. Nunc sepositis laudibus et muneribus, quibus praeclare in Ecclesia functus est, de Scripturis Deutero-Canonicis quidquid senserit, ex illius, quae supersunt scriptis, (1) tantum animadvertamus.

Oratione XXXIV. num. 13. dum probat Deum non esse corpus, neque circumscribi posse, appellat quoque ad Scripturam Hieremiae et Sapientiae (2) dicens: « Πῶς δὲ καὶ σωθήσεται, τὸ διὰ πάντων ἐλθεῖν, καὶ πληροῦν τὰ πάντα Θεὸν, κατὰ τὸ· οὐχὶ τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν ἐγὼ πληρῶ, λέγει Κύριος, καὶ πνεῦμα Κυρίου πεπλήρωκε τὴν οἰκουμένην, εἰ τὸ μὲν περιγράφοι, τὸ δὲ περιγράφοιτο; i.e. Quomodo autem et salvum erit, vel stabit, omnia Deum pervadere, et implere juxta illud: - Nonne coelum et terram ego impleo, dicit Dominus, et (illud) Spiritus Domini replevit orbem terrarum: - Si partim circumscribat, et partim circumscribatur? » Oratione IL. de Fide nicaena, Ruffino interprete ad eumdem Sapientiae librum (3) revertitur in illa voce ὁμοούσιον *homousion*. Ait enim hoc probari e veteri et novo testamento, et postquam censuit Hieremiam, subjungit: « Et apud Salomonem: - Substantia mea dulcedo mea est: - Cum ergo hanc unitatem substantiae in Patre et Filio, non solum prophetica, sed evangelica auctoritate cognoscas, quomodo dicis *homousion* non invenire in Scripturis? » Oratione in laudem Caesarii fratris Ecclesiastici (4) Scripturam refert: « Verum cum hactenus ipsum lacrymis, et laudibus prosecuti fuerimus, nempe enim hoc a nostra

(1) Edit. Parisiis. — (2) Sap. cap. I. 7. — (3) Sap. cap. XVI. — (4) Eccl. cap. XXXVIII.

philosophia est alienum, memoria quippe justorum cum laudibus; Καὶ, ἐπὶ νεκρῷ, φησὶ, κατάγαγε δάκρυα, καὶ ὡς δεινὰ πάσχων ἔναρξαι θρήνου, i. e. Et, super mortuum, dicit, effunde lacrymas, et quasi dira passus incipe flere, etc. » Oratione XXVI. de moderatione in disputationibus ex ipsa Scriptura legit: « Εἰ ἔστί σοι λόγος συνέσεως, ἀποκρίθητι, φησὶ, καὶ οὐδεὶς ὁ κωλύσων εἰ δὲ μὴ δεσμὸς κείσθω σοὶς χείλεσι, i. e. Si est tibi sermo prudentiae, responde, dicit (idest Scriptura) nec quisquam prohibebit; aliter autem vinculum jaceat labiis tuis. »

Oratione XXXVI. de Filio contra haereticos, qui Scripturae sensum ad suas partes trahebant, et veritatem turbabant, Baruch verba in medio ponit utpote haereticis, et catholicis probata; eademque explicat Gregorius: « Sin minus, quid dicturus es ad eos, qui alio loco, juxta id, quod pro causae tuae fundamento posuisti, Filium solum Deum dictum esse contendunt, nimirum in illis verbis, (1) hic Deus tuus, et non aestimabitur alius praeter eum. » Et paucis interjectis: «Post haec in terra visus est et cum hominibus conversatus est? Nam quod non de Patre, sed de Filio sermo habeatur, adjectio haec aperte declarat: - Hic enim est, qui corpoream nobiscum consuetudinem habuit, inferisque rebus conjunctus est: - Quod si illud obtineatur, haec verba: - Et non aestimabitur alius: - Adversus Patrem dici, non adversus eos, qui falsa mortalium opinione dii habentur, quod ad Patrem attinet, per ea utique victi sumus, quibus adversus Filium obnixe contendimus. » Orat. XXVII. ex Susannae historia per Danielem ait: « Tertio, cum exploratum habeatis, quibus malis cum ab externis aperto nos bello lacessentibus, tum ab internis et domesticis insidias molientibus afficiamur, Ἐπεὶ δὲ κατὰ τὸν Δανιὴλ ἐξῆλθεν ἀνομία ἐκ πρεσβυτέρων ἐκ Βαβυλῶνος, οἳ ἐδόκουν κρίνειν Ἰσραήλ, i. e. Si quidem, juxta Danielem (2) egressa est impietas a senioribus de Babylone, qui videbantur judicare Israel. » Idem Gregorius Orat. XXII. laudes Machabaeorum a capite ad finem peragit. Narrat enim ibi Eleazari, et septem fratrum una cum matre virtutem praestantem in tormentis pro patriis legibus sustinendis, prout in Machabaeorum libris excipitur. Quanta autem auctoritate hanc historiam donaverit, postrema sermonis verba patefaciunt: « Hos, inquit, igitur et Sacerdotes et matres et filii imitemur. Sacerdotes quidem in Eleazari spiritualis parentis honorem, qui non modo sermone, sed etiam opere,

(1) Baruch c. III. 36. — (2) Dan. c. XIII. 5.

quod optimum erat ostendit, ac docuit; matres autem in generosae matris honorem, verum amoris erga filios argumentum edentes, ac Christo liberos vestros exhibentes, ut et per tale sacrificium etiam nuptiae sanctificentur.» Et paulo post, veteris testamenti partem hanc historiam nuncupat: « Athletas enim quovis tempore, ac modo, ex omni genere et aetate, sive aperto bello lacessantur, sive occultis insidiis appetantur, habere cupio; ac tum priscis, tum recentibus historiis adjuvari, atque apum ritu ad unius favi confectionem et suavitatem utilissima quaeque colligere: « Ἵνα καὶ διὰ παλαιᾶς καὶ νέας εὐδοκιμῇ Θεὸς ἐν ἡμῖν, ὁ ἐν υἱῷ καὶ πνεύματι δοξαζόμενος, καὶ γινώσκων τοὺς ἰδίους, καὶ γινωσκόμενος ὑπὸ τῶν ἰδίων, i. e. Ut et per vetus, et novum (testamentum) celebretur Deus in nobis, qui in Filio, et Spiritu glorificatus, et agnoscens suos, et qui a suis cognoscitur.» Carmine 63. adversus mulieres sese ambitiosius adornantes de Esther, (1) quae venit ad regem, ut legitur in Deutera illius Scriptura, circumdata gloria sua, et fulgens regio habitu, et perfusa vultum roseo colore, gratis et nitentibus oculis, sic cecinit: « Ἐσθὴρ εἶδος ἔτευξεν ἱμάσμιον, ἀλλὰ τὶ κείνης ἔργον ἀριπρεπίης; ἔθνος ἔμεινεν ὅλον: Esther faciem perfecit amabilem, sed quid illius decoris opus? Universam servavit gentem: » Verba Tobiae patris, (2) qui bonum in via filio precatur, fere iisdem verbis repetit Gregorius peregre profecturus: «

Ἀλλὰ μάκαρ, καὶ ἐμοὶ συνέμπορος ἐλθὲ καλεύντι
Σήμερον· εὐοδίην δὲ πόροις, καὶ ἄγγελον ἐσθλὸν,
Πομπὸν ἀλεξητῆρα, βοηθόον, ὄφρά με πάντων
Ἡματίων νύχιών τε κακῶν ἄπο τηλόθεν ἔργων,
Καὶ τέλος ἐσθλὸν ὁδοῖο χαριζόμενος μογέοντι,
Οἴκοθεν ἀρτεμέοντα, καὶ οἴκαδέ με αὖθις ἀγινοῖ.

i. e. Sed beate, etiam mihi viae comes venias vocanti hodie; prosperum autem iter praebe, et bonum Angelum comitem, defensorem, adjutorem; ut a me omnia diurna, nocturnaque mala longe prohibens, bonumque mihi laboranti viae finem gratificatus, me domo sanum domumque rursus venientem ducat, etc. « In Tobiae autem Scriptura sic habetur. Πορεύου μετὰ τοῦ ἀνθρώπου τούτου, ὁ δὲ ἐν τῷ οὐρανῷ οἰκῶν Θεὸς εὐοδώσῃ τὴν ὁδὸν ὑμῶν, καὶ ὁ ἄγγελος αὐτοῦ συμπορευθήτω ὑμῖν .... Ἄγγελος γὰρ ἀγαθὸς συμπορεύσεται αὐτῷ, καὶ εὐοδωθήσεται ἡ ὁδὸς αὐτοῦ, καὶ ὑποστρέψει ὑγιαίνων, i. e. Va-

(1) Est. c. XV. — (2) Tob. c. V. 21. et 27.

de cum vero (dixit ei Pater) qui enim habitat in coelis, Deus, prosperum iter praebeat vestrum; et Angelus ejus vester sit comes in via.... Angelus enim bonus comitabitur ei, et prosperabitur via illius, et revertetur sanus. » Haec de Scripturis Deuteris testimonia nobis concessit sanctus doctor.

Nunc notanda supersunt, quae carmine ad Seleucum scripsit circa has Scripturas. Hic fidei et morum ipsi documenta tradens Canonem divinarum Scripturarum certissimum describit fere eodem ordine, quo usus est nuper celebratus Cyrillus. Postquam enim graecorum disciplinis sacras Scripturas omnino praeferendas dixit, et quasi ancillas illas haberi, addit:

„ Πλὴν ἀλλ' ἐκεῖνο προσμαθεῖν μάλιστά σοι
Προσῆκον· οὐκ ἅπασα βίβλος ἀσφαλὴς,
Ἣ σεμνὸν ὄνομα τῆς γραφῆς κεκτημένη·
Εἰσὶν γὰρ, εἰσὶν ἔσθ' ὅτε ψευδώνυμοι
Βίβλοι· τινὲς μὲν ἔμμεσοι, καὶ γείτονες
(Ὡς ἄν τις εἴποι) τῶν ἀληθείας λόγων·
Αἳ δ' αὖ νόθοι τε καὶ λίαν ἐπισφαλεῖς. etc.

i. e. Verumtamen illud discere te oportet maxime; non omnis liber tutus, qui venerandum nomen Scripturae gerit. Sunt enim, sunt libri, qui falsum nomen gerunt; quidam autem medii, et affines (prout quis diceret) sermonibus veritatis. Alii vero spurii, et valde noxii. Ob hoc dicam tibi divinitus inspiratos singulos libros, ut distincte discere possis. Scripturas veteris testamenti primum dicam. In Pentateucho habes Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium. His adde Jesum, Judices, Ruth, quatuor libros Regum, duos Paralipomenon, et Esdrae duos. Tum quinque versu conditos libros habes Job, Psalmos, Salomonis, Paraemias, Ecclesiasten, Canticum Canticorum. Hos sequuntur duodecim Vates, Osea, Amos, Michaea, Joel, Abdia, Jona, Nahum, Abacuc, Sophonia, Aggaeus, Zacharia, Malachia. Post hos Prophetae quatuor Esaias, Hieremias, Ezechiel, et ultimo loco Daniel. His libris quidam Esther adjungunt. » Carmine 33 (1) de genuinis Scripturae libris eumdem Canonem censet juxta hebraeorum elementa, et ab eo Esther librum abjicit. In Carmine vero Jambico citato ad Seleucum (quod nonnulli Amphilochio tribuunt) bene doctor egregius discrevit Scripturarum libros certissimos ab illis, qui nomen falsum gerunt, ab iis, qui spurii vocantur, et

(1) Tom. II. p. 98.

rejiciendi, et ab iis, qui veritatis sermonibus sunt affines? Et quinam sunt illae Scripturae mediae veritati affines, et cognatae? Nisi Scripturae Deutero-Canonicae suis sermonibus insertae, et ut divina testimonia contra haereticos in medium allatae? Quid hoc sibi vult? Sapientiae librum, aliosque veteris foederis Deuteros saepe in auctoritatem legit; verumtamen in Canonem divinorum Bibliorum certissimum universalem, utpote cui nullus adversabatur, haud inseruit, quoniam optime noverat judaeos hos libros respuere, nullaque ratione divinitus inspiratos habere; et quamvis eorum divinitas sibi aperto constaret, attamen prudentissime de illis siluit, sicuti paulo post dicetur, et extra Canonem remisit.

§. XIII. Basilii Magni frater fuit Gregorius Nyssae episcopus, vitae, sanctitate, et eruditione clarus. Is orthodoxae fidei aemulator multa contra haereses scripsit, quae Cappadociam, aliasque provincias tunc temporis vexabant. Illius libri doctrinae varia genera exhibent; e quibus nos, quae ad rem nostram faciunt, investigantes, primo in Ecclesiastici librum incurrimus, quem, ut divinum habens Gregorius, sic praeit de deitate Filii et Spiritus Sancti locutus: (1) « Ἀλλά μοι δοκεῖ καλῶς ἔχειν ἐν καιρῷ μνησθῆναι τῆς παροιμιακῆς ἐπαινέσεως, καὶ ζηλῶσαι τὴν μέλισσαν· ἣν φησὶν ἡ γραφή, τῇ ῥώμῃ μὲν εἶναι ἀσθενῆ, i. e. Sed mihi videtur bene et opportune se habere, proverbialis laudis mentionem facere et apem aemulari, quam dicit Scriptura, robore quidem esse infirmam, etc. » Eamdem divinam Scripturam (2) repetit Nyssenus in epistola ad s. Letojum episcopum: « Non longe, inquit, ergo a peccato adulterii, fornicatio ab iis, qui rem paulo accuratius examinant, suscepta est, Λεγούσης καὶ τῆς θείας γραφῆς, ὅτι μὴ πολὺς ἴσθι πρὸς ἀλλοτρίαν, i. e. Dicente quoque divina Scriptura, quoniam, ne sis multus cum aliena. » In vita s. Macrinae narrans illius in divinis libris sollicitudinem, ait Sapientiae Salomonis primum operam navasse: « Ἀλλ' ὅσα τῆς θεοπνεύστου γραφῆς, i. e. Sed quae divinitus inspiratae Scripturae faciliora primis aetatibus videntur, haec erant adolescentiae suae disciplina; et maxime Salomonis Sapientia (hoc est Ecclesiastici liber, nam Proverbiorum liber a Nysseno παροιμίαι *parabolae* vocantur) et ex ea potissimum quidquid ad mores conducebat. » In testimoniis e Scripturis sumptis a doctore de adventu Domini in carne, illud Sapientiae (3)

(1) Edit. Parisiis Tom. III. p. 465., Eccl. c. XI. 3. — (2) Eccl. c. IX. et Tom. II. p. 118. — (3) Tom. II. p. 154. et Sap. c. VIII.

legitur: « Et Salomon prophetice: - Puer eram ingeniosus, et animum bonum sortitus eram, immo vero, quum bonus essem veni in corpus impollutum et incontaminatum. » Homilia I. in Ecclesiasten ex eodem libro refert: (1) « Vita autem sensilis ad hoc data est naturae, ut eorum, quae sub aspectum cadunt, cognitio, dux sit animae ad notitiam eorum, quae non videntur; Καθώς φησὶν ἡ σοφία, ἐκ μεγέθους καλλονῆς κτισμάτων, ἀναλόγως τῶν πάντων γενεσιουργὸν καθορᾶσθαι, i. e. Sicuti dicit Sapientia: - Ex magnitudine pulchritudinis creaturarum, per proportionem conspici omnium creatorem. » De Pauperibus amandis Baruch (2) extollit inquiens: « Quis nobis radicum et herbarum notitiam tribuit? Quis aquarum calidarum fontis eduxit e terra, ut morbis medeamur, etc? Nonne Deus? Merito igitur et opportune poteram verba Baruch usurpare: - Hic adinvenit omnem viam disciplinae, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. » In eadem oratione de Daniele in lacu leonum cum Abacuc ei adstante mentionem fecit: « At illi pauperes, qui adversa praediti valetudine, et angusto hospitiolo, immo vero angustis hospitioli angulis conclusi sunt, uti Daniel in lacu, te benignum et pauperum studiosum, ac amantem tanquam Abacuc expectant. Quamobrem per eleemosynam Prophetae socius efficere. » Verba Angeli Raphaelis ad Tobiam dicentis: « Bona est oratio cum jejunio.... quando orabas cum lacrymis, et derelinquebas prandium tuum.... ego obtuli orationem tuam Domino.... ego sum unus ex septem Angelis qui offerunt orationes sanctorum in conspectu Domini. » Collecta repetuntur a Nysseno (3) de Jejunio: Καὶ ὡς ἐπὶπαν εἰπεῖν, νηστεία πρὸς Θεὸν παράκλητος αἰδοῦς ἀξία, καὶ πρέσβυς ἀξιόπιστος ταχέως δυσωποῦσα ὑπὲρ ὧν προσαγάγῃ τῷ Θεῷ τὴν ἱκετηρίαν, i. e. Et ut breviter omnia dicam, jejunium est apud Deum advocatus veneratione dignus, et legatus vel Angelus fidelis, celer, invisibilis, ut offerat Deo orationem. » In vita sanctri Patris Ephraemi verba legit divus episcopus ex historia Susannae. » Cum ergo istius delatoris socii frementes in medium libros produxissent: « Λαβὼν ἐκεῖνος ὁ πεπαλαιωμένος κακῶν ἡμερῶν, i.e. Cum accepisset ille inveteratus dierum malorum injustitiae judex unum e libris, explicare nitebatur. » Multa ejusdem generis profert Nyssenus e Scripturis Deuteris, quin Scripturae vel auctoris sacri nomen edisserat. Haec autem satisfiant,

(1) Sap. c. I. 3. 5. — (2) Tom.II. p. 141. et Bar. c.III. — (3) Tom. II. p. 252. Tob. c. XII.

ut doctoris mens pro Scripturis Deutero-Canonicis dignosci possit.

§. XIV. Epiphanius e Phaenicia oriundus, parentibus hebraeis et judaicae legi etiam innixis, claruit, Gratiano et Theodosio imperantibus. Vix ipse occasionem nactus domo fugit, et christianam amplexus est veritatem. Monastico instituto suscepto, integram pietati operam dedit, et Scripturis divinis maxime studuit, donec ad episcopatum evectus est, ubi, doctrinae puritatis tuendae causa, labores, aerumnas per haereticos et infideles pertulit. In illius scriptis rem nostram scrutati incidimus in librum, qui dicitur *ancoratus*, sive epistola ad varios episcopos qui eum sciscitati erant de fide Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (1) Hisce in litteris divinis cap. XII. Ecclesiastici Scripturam compellat docens: « Τὸ γὰρ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ πάντα ἐρευνᾷ καὶ τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ· οὐκ ἀλλότριον τοίνυν τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ τὸ ἐρευνοῦν βάθη. Εἰ γὰρ ἡμᾶς μέμφεται τὸ θεῖον γράμμα λέγον· ἃ προσετάγη σοι ταῦτα διανοοῦ, καὶ οὐ χρεία ἐστί σοι τῶν κρυπτῶν, καὶ ὑψηλότερά σου μὴ ζήτει, καὶ βαθυτερά σου μὴ ἐξέταζε , i. e. Spiritus enim Dei omnia scrutatur, etiam profunda Dei; non alienus igitur est Dei Spiritus, qui profunda scrutatur; (probat unionem Filii, et Spiritus Sancti cum Patre) si enim nos arguit divina Scriptura dicens: (2) quae statuta sunt tibi, haec cogita; et non est opus tibi arcanis, et altiora te ne quaeras, et profundiora te ne scruteris, utrum nam etc. » Contra Basilidianos haeresi VI. cap. 6. eumdem legit librum: (3) Proinde malorum negotiator, non bonorum est ille mali artifex, Ὡς καὶ ἡ γραφὴ εἶπεν, ὅτι ζητοῦντας κακά, καταλήψεται κακά, i.e. Quemadmodum ut Scriptura dixit, quoniam quaerentes mala, mala eos apprehendent. » In eodem *ancorato* cap. 2. Sapientiae (4) librum in sui testimonium colligit dicens: « Neve deorum in nobis adhuc multitudo resideret; aut ad illud stupri genus hominum mentes dissiparentur, Ἀλλ' ἐπὶ ἑνότητα τοῦ Θεοῦ μόνου ἀληθίνου , πρώτη γὰρ πορνεία ἐπίνοια εἰδώλων, φησὶ ἡ γραφή, i. e. Sed ad unitatem soli Dei veri: - Prima enim fornicatio exquisitio idolorum, dicit Scriptura. » Libro II. contra Origenem haeresi 44. cap. 36. De animae immortalitate scribit: « Ὅτι δὲ ἀθάνατος ἡ ψυχή, ἐδίδαξεν ἀναφανδὸν ὁ Κύριος, καὶ δι' ἑαυτοῦ, καὶ διὰ Σολομῶνος, εἰπών , i. e. Quod autem immortalis sit anima docuit aperte Dominus, et per semetipsum, et per Salomonem dicens. (5) Per se quidem, in divitis ac Lazari

(1) Edit. Parisiis Tom. II. — (2) Eccl. c. IV 22. — (3) Tom. II. Eccl. c. VII. 1. — (4) Sap. XIV. 11. (5) Sap. c. III. 1.

pauperis historia, etc.... Διὰ Σολομῶνος δὲ ἐν τῇ ἐπιγραφομένῃ σοφίᾳ, ἔνθα· δικαίων αἱ ψυχαὶ ἐν χειρὶ, γέγραπται, Θεοῦ, καὶ οὐ μὴ ἅψηται αὐτῶν βάσανος· ἔδοξαν ἐν ὀφθαλμοῖς ἀφρόνων τεθνάναι, καὶ ἐλογίσθη κάκωσις ἡ ἔξοδος αὐτῶν, καὶ ἡ ἀφ' ἡμῶν πορεία σύντριμμα, οἱ δὲ εἰσὶν ἐν εἰρήνῃ, καὶ ἡ ἐλπὶς αὐτῶν ἀθανασίας πλήρης, i. e. Per Salomonem autem, in eo libro, qui inscribitur Sapientia. » Ubi: - Justorum animae in manu Dei, scriptum est, et non tanget eos tormentum; visi sunt in oculis insipientium mori, et aestimata est afflictio exitus illorum, et quod a nobis est iter, exterminium; illi autem sunt in pace, et spes illorum immortalitate plena. »

In Ancorato, Canticum trium puerorum memorat c. XXIII. « Διελόντες δὲ τὰ ποιήματα ἀπὸ τοῦ ποιήσαντος, καὶ τὰ κτιστὰ ἀπὸ τοῦ κτίσαντος, φασὶ, εὐλογεῖτε πάντα τὰ ἔργα Κυρίου τὸν Κύριον, i. e. Discernentes autem creaturas a creatore, et opificia ab opifice, locuti sunt: - Benedicite omnia opera Domini Domino. » Deinde totum Canticum censet Epiphanius. Paulo post Susannae historiam retulit, illa verba Danielis interpretatus: « Erat quarti facies tanquam facies Filii Dei; ecce tibi filii Dei nomen; adeoque neque ignoratus ille fuerit etiam ante tempus fornacis: « Ὅτι ἐπλήσθη Δανιὴλ πνεύματος ἁγίου, καὶ εἶπε. καθαρὸς ἐγὼ ἀπὸ τοῦ αἵματος αὐτῆς· καὶ ἐπέστρεψαν εἰς τὸ κριτήριον· καὶ ἔκρινε τοὺς πρεσβυτέρους πνεύματι ἁγίῳ, ἐμφορούμενος, i. e. Quoniam repletus est Daniel Spiritu Sancto, et dixit; mundus ego a sanguine hujus, et reversi sunt ad judicium, et judicavit seniores Spirito Sancto repletus. » Libro II. adversus haereses. Haer. 37. cap. 2. contra noetianos scribens, eorum opiniones profert: « Quare si veniens Christus natus est, inquiunt, idem ipse Pater est et Filius; idem denique Deus est, qui et semper fuit, et in praesentia venit, Ὡς λέγει ἡ γραφὴ, οὗτος ὁ Θεός σου, οὐ λογισθήσεται ἕτερος πρὸς αὐτὸν, ἔξευρε πᾶσαν ὁδὸν ἐπιστήμης, καὶ ἔδωκεν αὐτὴν Ἰακὼβ τῷ παιδὶ αὐτοῦ, καὶ Ἰσραὴλ τῷ ἠγαπημένῳ αὐτοῦ· μετὰ ταῦτα ἐπὶ τῆς γῆς ὤφθη, καὶ τοῖς ἀνθρώποις συναναστράφη· ὁρᾷς, φησὶ πάλιν, πῶς ἡ θεία γραφὴ ἡμᾶς συνετίζει, i. e. Ut dicit Scriptura: - Hic Deus tuus, non reputabitur alius ad eum, invenit omnem viam scientiae, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo; post haec super terram visus est, et cum hominibus conversatus: - Vides, addunt ipsi, quomodo divina Scriptura nos informat, ne alium atque alium Deum arbitremur, etc. » Haec e libro (1) Baruch delecta sunt. De mysteriis numerorum divus Epiphanius,

(1) Baruch c. III. 36.

ostendit etiam in sacris litteris ipsius Trinitatis numerum exprimi. Postquam plurima e Scripturis exempla hujus Triadis censuit, subjungit : « Tres fuerunt sapientes foeminae, Thecuites, Sunamites, Abigail ; Τρεῖς γυναῖκες προφῆτιδες, τυμπανήστριαι, Μαριὰμ, Δεββόρα, Ἰουδίθ i.e. Tres mulieres prophetissae, ac tympanistriae, Maria, Debbora, Judith. » Paucis illis verbis, Judith libri, Cantici et Prophetiae, quae libri divinitatem innuunt, a sacro doctore fit mentio. Item Epiphanius perfectum esse septenarium numerum e divinis libris probans, de Machabaeorum martyribus ait : « Ἑπτὰ παῖδες τὴν Ἀντιόχου τυραννίδα κατήνεγκαν, i. e. Septem pueri Antiochi tyrannidem dejecerunt. » In vitis Prophetarum de Hieremia locutus narrat : - Quomodo Propheta idem, arcam legis, quaeque in ea continebantur eripuit, atque in saxum absorpta condidit » sicuti Machabaeorum secundus cap. II. testatur. Item libro I. adversus haereses Ebioneorum num. X. c. 25. « Immo et in Macedonia, Cypriorum et Rhodiorum genus habitavit, unde et Alexander macedo (1) prodiisse dicitur : - Καὶ τούτου ἕνεκα ἐμφέρεται ἐν τοῖς Μακκαβαίοις, ὅτι ἐξῆλθε σπέρμα ἐκ τῆς γῆς κιτιέων, i. e. Et ob hoc dicitur in Machabaeis, quoniam exivit semen ex terra Cittiensium. » Haec e libris Epiphanii de Deuterorum Bibliorum divinitate hausimus ; plura autem cupienti sint praesto illius scripta ; nobis quidem relata exempli causa satisfiant. Superest autem disquirendum quidquid de Canone divinorum Bibliorum pluries edocuit divus Pater.

In libro de Ponderibus et mensuris cap. V. de Septuagintavirali translatione locutus, Canonem sacrorum Bibliorum inseruit. Inquit enim hebraeos viginti septem Scripturarum libros, nonnullis ex his geminatis, viginti duos composuisse juxta eorum litteras ; ac ubi censuit doctor hos libros 22. subjungit : « Quod enim attinet ad duos illos, qui versibus distincti sunt, Salomonis videlicet Sapientiam et Sirach librum ; tametsi utiles, ac fructuosi sint, in Scripturarum numerum, quae ratae habentur, haud numerantur. » Paulo post hos libros apocryphos vocat. Deinde cap. XXIII. de opere sex dierum mystice locutus eumdem Canonem repetit juxta hebraeorum mentem. Pariter adversus haereses lib. I. n. 6. cap. 6. aperte infertur hoc in librorum canone se judaeorum opinionibus conformasse. Namque ibi memorat illorum libros, dicens eos : « Ad illud usque tempus, quo ex babylonica servitute reversi sunt, hos et Prophetas, et Prophetarum libros habuisse, scilicet.

(1) 1. Mac. c. I. 1.

Geneseos librum.... usque ad Esther. Atque haec sunt, addit, viginti septem volumina, quae a Deo data sunt judaeis, quae ad viginti duos rediguntur juxta eorum litteras, de quo alio loco perspicue disputavimus. Sunt et alii duo libri, quos et illi pro dubiis habent, nimirum Sirachi et Salomonis Sapientia, praeter quosdam alios libros in apocryphis. » Hisce in verbis Epiphanius, ut cuique patet, dicit hebraeos, alios praeter viginti duos habere libros, qui ab ipsis vocantur vel dubii, vel apocryphi; ex quo pro re nostra arguimus apud judaeos extitisse nostras, de quibus agimus, Scripturas, quae ex ore ipsorum dubiae et apocryphae a divo vocantur. Praeter hoc, nihil aliud ibidem eruitur de sui ipsius fide, et christianae Ecclesiae, quae eosdem omnes pari divinitate eos recipit, ac veneratur, ut ipse fecit. Et hoc planius revera constat e codice vetustissimo latino biblico, qui saeculo sexto traditur esse descriptus, Florentiae in Bibliotheca Medico-Laurentiana servatus sub titulo *Codex Amiatinus*, in cujus praefatione censitis omnibus Scripturae libris Primis cum Deuteris in num. 70 simul junctis novi foederis Bibliis, dicuntur: « Sic divisi fuisse ab Epiphanio cyprio. Neque mirum est quidquid legitur in eodem codice, omnes scilicet numerasse et accepisse Scripturas Proto-Canonicas cum Deutero-Canonicis Epiphanium quotquot nunc recipit Ecclesia Christi; nam, ut vidimus, omnes ut divinas suis in scriptis citavit. Contra Aetium, ut infra videndum erit, compellat divinas tum Proto-Canonicas cum Sapientiam et Ecclesiastium, et omnes simplices Scripturas absque ulla haesitatione. Scribebat ipse obeunte saeculo quarto, quando jam, ut ait Hieronymus, definitus erat numerus librorum veterum in Ecclesiis legendorum. Romam quoque visit Sanctus, ubi nihil dubii de his Scripturis inventum est. (1)

§.XV. Proclus Costantinopoleos episcopatu fungens, contra Theo-

(1) Brevia etsi Amanuensis verba, quae in codice Bibliorum Amiatino descripsit (quae sumpta sunt e libris Cassiodori de divinis institutionibus) circa Epiphanium « Quem, ut ibi ait, latino fecimus sermone transferri » notam tamen clariorem praebent doctrinae Epiphanii circa quaestionem nostram. Nam, ponderata hujus amanuensis vetusta aetate, qui 150. annis circiter post divum martyrem vixit, dum is scribit sanctum divisisse sacros Scripturae libros juxta hodiernum Canonem, et insuper addit se curasse, ut martyris scripta graeca in latinum transferrentur, facillimum est codicis scriptorem vel potius Cassiodorum haec eadem legisse, ac hausisse ex ejusdem martyris libris, qui postea longissima aetate deperierint.

dori doctrinam scribit ad armenios, eos docens in verae fidei doctrina de Trinitate firmiter sese gerere. Hac in epistola Baruch verba sic deponit: « Si autem purus homo est Christus, quomodo illum supra ejus naturae conditionem coelestia venerantur, et ad inferioris nomen genuflectunt? Πῶς δὲ ἂν δεξώμεθα τὰς προφητικὰς φωνὰς, ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐπι γῆς ὤφθη, καὶ τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη· ὀπτασίαν γὰρ, φησὶ τὴν κατὰ σάρκα φανέρωσιν καὶ συναστροφὴν ὀνομάζει τὴν ἐπὶ καιροῦ μετὰ ἀνθρώπων πολιτείαν, i. e. Quomodo autem receperimus propheticas voces: - Deus noster super terram apparuit, et cum hominibus conversatus est: - Visionem enim dicit in carne manifestationem et conversionem appellat commorationem ad tempus cum hominibus. » Hisce verbis sanctus episcopus nos quoque admonet de armeniorum fide et doctrina circa Scripta Deutero-Canonica, quae res parte secunda, de armeniaca versione, manifestior fiet. Idem Proclus contra Origenem (1) ex Epiphanio adversus haereses e Sapientiae Scriptura scribit: « Siquidem Deus corruptione carentem hominem creavit, et ad aeternitatis suae produxit imaginem: - Quoniam Deus mortem non fecit..... Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum: - Καθάπερ καὶ σοφία διὰ Σολομῶνος μαρτυρεῖ, i. e. Quemadmodum et Sapientia per Salomonem testatur. » Deinde sequitur ex hoc testimonio Proclus arguens adversariorum errores.

§. XVI. Theodosio primo imperante, vixit Procopius gazaeus juxta Curterium illius librorum interpretem. Hic divinorum Bibliorum interpretationes collegit, et maxime in Prophetarum principem lucubrationes ex Origene, Eusebio caesariensi, Chrysostomo, Basilio contulit, quorum pauca, vel nulla supersunt, et velut epitomen posteritati remisit. Ceteris utilitatibus sepositis, quas Scripturarum interpres acquirit legendo hunc librum, nos hic tantum, an de Scripturis Deutero-Canonicis priorum Patrum testimonia legerit, exquirentes impendamus laborem. Cap. III. Isaiae in ea verba: « Auferet a Judaea Prophetam: » Sapientiae librum (2) contulit dicens: « Quamquam etsi in ipsa juvenili aetate, senilis aliqua reperiatur prudentia, neque est negligendum donum, Πολλὰ γὰρ, φησὶ, φρόνησις ἐν ἀνθρώποις, i. e. Cana enim, dicit, prudentia in hominibus. » In fine praefationis, ejusdem libri mentionem facit: « Visionis Isaiae, inquit, contra Aegyptum, contra Damascum, contra Babylonem et alias gentes expedit Pro-

(1) Epiph. contra Haer. lib. II. c. XIX. — (2) Sap. c. IV. 8.

pheta secundo loco, et sumit initium ab iis, qui Deo consecrati sunt: Κατὰ τὸ εἰρημένον ἀπὸ τῶν ἁγίων μου ἄρξασθε· καὶ, δύνατοι δυνατῶς ἐτασθήσονται, i. e. Juxta illud, quod dictum est; a sanctis meis incipite. » Et illud: (1) «Potentes potenter arguentur.» Cap. VI. Isaiae Ecclesiastici librum appellat scribens in illis verbis Prophetae: « Prudentes in se ipsis. » . « Non est, inquit, de his tantum accipiendum, qui sibi, quae tamen ignorant, scire videntur, sed de his etiam, qui scientiae donum sortiti, ceteros ejus participes non faciunt: Σοφία γὰρ κεκρυμμένη, καὶ θησαυρὸς ἀφανὴς τίς ὠφελία ἐν ἀμφοτέροις; i.e. Sapientia (2) enim abscondita, et thesaurus occultus, quae utilitas in utrisque? » In ea verba Isaiae cap. VI. « Vidi Dominum sedentem. Quod autem sedentem facit, statim et firmum eumdem bonorum tenorem indicat, sic et David ipse: - Deus in throno sancto suo sedet: - Καὶ Ἱερεμίας ὅτι σὺ καθήμενος τὸν αἰῶνα, καὶ ἡμεῖς ἀπολλύμενοι τὸν αἰῶνα, i. e. Et Hieremias (3) (hoc est Baruch) quoniam tu sedens in sempiternum, et nos pereuntes in aevum. » Cap. III. ea verba interpretatus Isaiae: « Gigantem, Robustum, Bellatorem, Judicem, Prophetam etc. auferet Dominus: - Haec omnia ante Salvatoris adventum, finem suum nequaquam esse consecuta monstratur; cum ante obsidionem permultos, post reversionem non paucos, et Prophetas, et administratores, multos item populi judices certum sit habuisse: Ἐν μὲν γὰρ Βαβυλῶνι Δανιὴλ κρίνει τοὺς πρεσβυτέρους, μετὰ δὲ ἐπάνοδον ἦν Ἰησοῦς ... καὶ συνετοῖς δὲ πρεσβυτέροις διεκοσμοῦντο· καὶ ἀγαθοὶ δὲ πολαιμισταὶ κατὰ τοὺς Μακκαβαίους ἐγένοντο χρόνους, i. e. In Babylone quidem Daniel (4) judicat seniores; post autem reditum fuit Jesus.... Prudentibus senioribus decorati erant; optimi autem bellatores fuerunt Machabaeorum temporibus. » Hoc in loco, et Susannae et Machabaeorum Scripturae fit mentio. Pariter cap. IX. Isaiae, Machabaica historia suscipitur in illis verbis: « Graecos ab occidente dissipabit Dominus, qui devorant Israel toto ore: » Juxta Septuaginta versionem. Inquit enim: « Cum adversus Aegypti regem Ptolomaeum infeliciter pugnasset Antiochus, acceptae cladis solatium arbitratus, si quid in judaeos auderet, capta regionis urbe principe, temploque sacrilege spoliato, Lysiam ibi ducem praefecit. » Verba Judith retulit cap. XVI. Isaiae vaticinium interpretatus: « Repleta est terra abhominationibus operum manuum eorum. »

(1) Sap. c. VI. 7. — (2) Eccl. c. XX. 32. — (3) Bar. c. III. 3. — (4) Dan. c XIII.

Scribit enim: « Par fuit eos, qui facto a divinationibus initio, ab opum etiam, equorumque insana libidine non abhorruerunt, ipsam demum idolatriam attingere, qui divitiarum instabilitati fallacibusque ad salutem equis, Ἀλλ' οὐ τῷ δυνατῷ συντριβεῖν πολέμους, i. e. Sed non ei,(1) qui bella potest conterere, etc.» In cap. III. Geneseos de arbore in medio Paradisi sita arguens, transgressionem priorum patrum demonstrat, et Machabaeorum martyres in auctoritatem sumit: « Non enim, inquit, arboris qualitas transgressionem tenuit, sed ea commorabatur in praecepto, quod si quis pervicacior haec negaverit, sane illi leves videbuntur Machabaeorum labores, qui indigna patiebantur ob spretam carnem suillam, quam quis facile aspernaretur. Sancti non intuebantur naturam cibi, cum omnes diligenter reputabant legis transgressionem, hanc refugiebant. »

§. XVI. Hic moratus, lector, patrum sententiis ponderatis singillatim, vix unum repereris ex vetustis Ecclesiae scriptoribus qui aliquo modo de libris Deutero-Canonicis non fecerit mentionem; videas insuper quali aestimatione, qualive auctoritate illi donaverint easdem Scripturas. Etsi vero fatendum sit, ecclesias palaestinorum et graecorum Scripturis utpote divinitus inspiratis usas fuisse Sapientiae et Ecclesiastici libro, prophetia Baruch, Danielis et Esther additionibus, et Machabaeorum historiis, et contra fere silentes fuisse de Judith, et Tobiae gestis; attamen argumentum non exsurgit adversus amborum librorum auctoritatem ex eorumdem patrum silentio, quando Scripturarum quarumdam veterum pariter, quae a judaeis et christianis universim divinae habentur, raro, vel nunquam mentionem fecerunt. Scripturis Josuae, Judicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Esther, quivis patrum scripta legens viderit, quanto rarius ipsi usi fuerint, quam Moysis libris, Agiographis, et maxime propheticis, quorum sententias acervatim, ut ita dicam, ad sua dicta roboranda collegere patres. Praeterea illi libri historici, quos dixi, multa, varia, mirabilia, stupendaque facta ostendunt, quorum memoria sacris doctoribus necessaria visa fuisset; nihilominus, ut antea notavi, cum eos prope essent evangelicae historiae, quarum gesta magis fidelium animis obsequebantur, illa vetera monumenta reliquere, ut novis darent operam. Non est ergo mirandum, si Scriptis Tobiae et Judith veteres quidam patres non usi

(1) Jud. c. XVI. 1.

fuerint, cum hi duo libri duas tantum simplices historias narrent, et illis multis similes, quae in ceteris forent inveniendae, quando pariter de prodigiosis quibusdam quae in praedictis libris Josuae, Judicum, Regum occurrunt, ne verbum quidem fecere ecclesiastici scriptores.

§. XVII. Secundo, praemissis omnium ecclesiarum patrum singulis sententiis, quae Biblia Deutero-Canonica veteris foederis respiciebant, fas erit dicere, immo audentius dicam, antiquos doctores nostras Scripturas majori veneratione affecisse, quam Recentiores, qui dum veterum patrum solummodo (posthabita Christi Ecclesiae recentis doctrina, quae una et eadem est patrum veterum et Apostolorum) sectantur institutiones, minime sentiunt se ab illorum doctrina aberrasse. Parum esset, illos haec Biblia minus veneratos esse; huic adde, reprobasse ac insuper numero librorum illorum, qui commentitii et nothi vocantur, inseruisse.

Ut autem de hac re ipsorum error nobis patefiat, disquirenda sunt patrum dicta, vel nomina, quibus Scripturas has Deuteras cognominarunt. In primis sciendum est prioris aevi patres Scripturas genuinas ab aliis, quae spuriae credebantur, secrevisse. Eadem enim aetate cuivis non latet, scripta multa in manus fidelium devenisse, vel callide in Christi Ecclesiam subrepisse, quae titulo divinae inspirationis falso ornata, (judaeorum, haereticorum et impiorum opus) Redemptoris gregem sanctum, purum et unum a via veritatis in varias partes deduxere; et non solum hi novam doctrinam praedicarunt, verum etiam Scripturas deturpabant sinceras; vel novas novis nominibus praeditas excogitarunt. Hoc in negotio, Ecclesiae patribus cura et prudentia multa opus erat in scriptis veris a falsis secernendis, quae ab Apostolis fidelibus tradita erant. Origenes ipse docet Biblia nonnulla, ut divina accepta antiquitus, calamo inde haeretico corrupta fuisse, aliaque pariter impia manu exarata, ut eorum authentia vulgo aestimaretur, alicujus Prophetae, vel Apostoli nomine inscripta sunt; quae omnia Salvatoris vaticinium complebant dicentis: « Surgent pseudo-Christi et pseudo-Prophetae. » Huic rei prospiciens Origenes ipse, in cujus manus hujusmodi, et varii generis Scripturae devenerunt, Biblia sacra distinxit in genuina, notha, et mixta. Genuina scripta ab ipso dicuntur illa, quae ab omnibus accipiuntur, et auctorem, cujus praeseferunt nomen, jactant. Nothi vero sunt ii libri, qui omnino ab omnibus reprobantur ut conficti,

supposititi, et dogmati moribusque adversantur. Haec duo vocabula fere eodem modo ab ecclesiasticis viris accipiuntur et explicantur. Mixtae porro Scripturae ab Origene appellantur, quae inter nothas et genuinas incedunt, satius inquam, juxta verbi significationem, illi libri vocabantur, qui partim institutione sana constabant, partim apostolicis documentis abhorrebant; et hujus generis libri mixti ab eo apocryphi quoque nomine inscribebantur. Quoniam autem hoc vocabulum *apocrypha* variis significationibus a sacris scriptoribus donatum fuit, optima res erit, omnium patrum objicere interpretationes, quibus hanc vocem explanarunt, dum de Scripturis nostris sermonem habuerunt.

Juxta etymologiam, ἀπόκρυφα *apocrypha* graeca vox, quae apud ellenicos scriptores significationem praetulit, *occultare* scilicet, *celare*, *abscondere*, *contegere*, testibus Plutarcho, Platone, Isocrate, Thucydide aliisque, ut videre est apud Henricum Stephanum. Sic apud Suidam in Pherecyde: « Biblia apocrypha dicuntur libri arcani, occulti » et juxta ipsum Henricum: « Libri Bibliorum aliqui vocati fuerunt apocryphi, quasi occulti, quod nimirum non palam omnibus proponerentur. » Ex veteribus patribus Origenes idem simili modo illud vocabulum interpretatus est (1) dum secernit libros apocryphos, quasi occultos libros, ab illis, qui publici, et communes evulgabantur. In praefatione vero Cantici Canticorum sub finem (2) addit: « Apocryphi illi dicuntur libri pro eo, quod multa in eis corrupta, et contra fidem veram a majoribus traditam, non placuit eis dare locum, nec admitti ad auctoritatem, et extra Canonem habebantur. » Hujus generis libri erant, exempli gratia, liber Pastoris, Ascensio Isaiae, aliique, qui aliquando a celebrato interprete in auctoritatem sumpti fuere, et e contra alias in dubium vocati. Praeterea, lectores animadvertant velim, Origenem ipsum unquam, nullibi suis in scriptis Biblia veteris foederis Deutero-Canonica, Tobiam, inquam, Judith, Ecclesiasticum, Sapientiam, Machabaeorum duos, Baruch, Danielis et Esther additamenta, neque notha, neque mixta, neque apocrypha compellasse, quinimmo contra judaeos et judaizantes totis viribus illorum divinam originem vindicavit. Quae supra de ipso retuli, satisfiant.

Eusebius, ut paulo ante dixi, neque apocryphas Scripturas Deu-

(1) Tom. III. p. 465. Edit. Maur. — (2) Tom. III. p. 36. Edit. Maur.

teras nuncupat, tantummodo indicat de Clemente alexandrino ipsum suis scriptis inseruisse Scripturas, quibus contradicitur.

Cyrillus hierosolymitanus episcopus, vocabulum *apocrypha* nostris Scripturis tribuit, verumtamen ex illius ore explicandum est, dum ait post Canonis hebraeorum censionem: « Neque mihi quidquam apocryphorum legas...; qui enim ea, quae ab omnibus probata sunt nescis, quid circa dubia et controversa infelix operam perdis? » Divus Hieronymus, quamvis latiori significatione explicet hoc vocabulum *apocrypha*, et quasi spurios libros, qui hoc nomine inscribuntur, existimet; attamen apocryphas Scripturas distinguit ab illis, quae ab omnibus rejiciuntur. Et in libro de scriptoribus ecclesiasticis, Petri Apostoli censens Scripta, dicit: « Alios libros olim sub nomine sancti Petri scriptos fuisse (quos ille enumerat) sed omnino apocryphos, immo spurios, et supposititios fuisse, vel ex eo constat, quod nunquam ab Ecclesia in catalogum sacrarum Scripturarum, vel in Bibliis sacris repositi, vel in templis recitati sunt. » Gregorius nazianzenus carmine Jambico genuinos Scripturae libros segregat ab illis, qui falsum nomen gerunt, ab iis qui nothi noxii adulterini evitandi sunt, atque ab illis, qui affines sunt sermonibus veritatis, quique sunt libri Deutero-Canonici. Divi Athanasii Synopseos auctor easdem Scripturas Βίβλια ἀντιλεγομένα libros, quibus contradicitur, nuncupat. Epiphanius, ut nuper dixi, quem sequitur Damascenus, de libris mentionem facit, qui extra Canonem hebraicum computantur: « Hi, quamvis, scribit, alioqui praeclari, et elegantes libri sint, non tamen illis aliis annumerantur, neque in arca positi erant. » Et quos pluries nuncupavit apocryphos, illos eosdem, ut divinam Scripturam suis scriptis inseruit, ut vidistis. Hisce positis, multum distare videntur Recentiores a definitione, quam veteres doctores statuerunt de Bibliis Deuteris, illa praesumpta interpretatione vocabuli *apocrypha*, quam Hornaei nomine nobis exhibuerunt. Quod si vero Hornaeus vocabulum *apocrypha* definierit ex sancti Augustini verbis in libro de Civitate Dei, vel ex aliis patribus, sibi quoque fatendum erat Ecclesiae doctorem ceterosque hoc vocabulo minime Scripturas Deutero-Canonicas innuisse, quas ipse cum aliis divinas credidit et probavit; sed de illis scriptis falsis, supposititiis, vel nothis, quae sub una voce *apocrypha* ab Augustino nuncupata fuere.

§. XVIII. Nunc investigare oportet rationes, quibus Ecclesiae orientales, et maxime hierosolymitana et graeca quodammodo

differant ab Ecclesia latina in sacrorum librorum censione; et primo causas scrutari, quibus ecclesiae orientalis patres, suis in quaestionibus, Bibliorum Deutero-Canonicorum auctoritatem ut divinam sumpserunt, ac pari tempore extra Canonem divinum reputarunt. Ut haec omnia absolvantur, primo loco nobis seponendus erit divinarum Scripturarum veteris testamenti Canon hebraicus, scilicet ille ipse, qui ab hebraeis, et a christianis pariter absque ulla haesitatione, nullis obstantibus, utpote divinitus inspiratus, erat in confesso; et alter qui ecclesiasticus dicitur, quippe qui solum ab Ecclesia Christiana ex Apostolorum traditione comprobatur divinus. Hunc autem Canonem ecclesiasticum novisse et approbasse primae aetatis fideles, nobis primus praestat argumentum Origenes ad Africanum scribens, ut supra dixi, in illis verbis: « De quo nos scire oportet hebraeos Tobia non uti, neque Judith, nec enim hos libros etiam in apocryphis hebraice non habent judaei, ut ab ipsis discentes cognovimus, sed quoniam ecclesiae Tobia utuntur, sciendum est quoque, etc. » Item repetit de Susannae historia, dum ait judaeos e Canone divinorum librorum resecasse; christianos vero, inter quos ipse, suscipere, et contra eos proferre. » Alibi agens sedulus interpres (1) de libris fictis ab impiis; et quomodo a christianis ipsi discernendi erant, praecipit neminem uti debere ad confirmationem dogmatum libris qui sunt extra Canonizatas Scripturas. Paulo post verba faciens de Hierusalem, quae mystica est mater nostra, monet: « Hac in Hierusalem esse imperitos, impios, non metuentes Deum (ad similitudinem illius Hierusalem, quae occidebat Prophetas, et lapidabat eos) qui occidunt et lapidant verbis sine judicio prolatis viros verbo et vita provectos, et ecclesiarum quidem Canonem non requirentes, etc. » Hieronymus de libro Tobiae ait illum ab ecclesiasticis viris accipi. Item in fine versionis Bibliorum ex codicibus hebraicis ait: «Explicit Canon hebraicae veritatis.» Deinde jungit Sanctus omnes Scripturas Deuteras veteris testamenti ab Ecclesia receptas. (2) Ruffinus de Susannae historia contra Hieronymum

(1) Edit. Maur. Tom. III. p. 488. in Matthaeum. — (2) Revera quando Hieronymus praefatione in librum Judith ait: « Sed quia Synodus nicaena hunc librum in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquievi postulationi vestrae » credebat et firmo tenebat Christi Ecclesiam utpote judicem in rebus fidei constitutam, posse quoque, etiamsi obstantibus judaeis, addere illorum Canoni libros alios, quos ipsi non recipiebant, a quibus apertius pateflet ecclesiasticus Bibliorum Canon.

partem eam esse, inquit, divini instrumenti, quod Apostoli ecclesiis tradiderunt. » Epiphanius item de quo jam dixi etsi pluribus in locis de Scripturarum Canone locutus se conformarit menti judaeorum; alibi tamen hebraeorum Canonem ab altero ecclesiastico optime discrevit contra haereticum Aetium anomaeum, haeresi 54. vel 74. Confutat. quinta (1) : « Εἰ γὰρ ἦς ἐξ ἁγίου πνεύματος γεγεννημένος, καὶ Προφήταις καὶ Ἀποστόλοις μεμαθητευμένος, ἔδει δὲ διελθόντα ἀπαρχῆς γενέσεως κόσμου ἄχρι τῶν τῆς Αἰσθῆρ χρόνων, ἐν εἴκοσι καὶ ἑπτὰ βίβλοις παλαιᾶς Διαθήκης, εἴκοσι δύο ἀριθμουμένοις, τέταρσι δὲ ἁγίοις Εὐαγγελίοις, καὶ ἐν τεσσαρες καὶ δέκα ἐπιστολαῖς τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Παύλου, καὶ ἐν ταῖς πρὸ τούτων, καὶ σὺν ταῖς ἐν τοῖς αὐτῶν χρόνοις πράξεσι τῶν Ἀποστόλων, καθολικαῖς Ἐπιστολαῖς Ἰακώβου, καὶ Πέτρου, καὶ Ἰωάννου, καὶ Ἰούδα, καὶ ἐν τῇ Ἰωάννου Ἀποκαλύψει, ἔν τε ταῖς σοφίαις, Σολομῶντος τε φημί, καὶ υἱοῦ Σίραχ, καὶ πάσαις ἁπλῶς γραφαῖς θείαις, καὶ ἑαυτοῦ καταγνῶναι, ὅτι ὄνομα, ὅπερ οὐδαμοῦ ἐντέτακται, ἦλθες ἡμῖν φέρων, etc. Si enim, ait, esses a Spiritu Sancto genitus o Aeti et a Prophetis et Apostolis instructus, oporteret te percurrentem a principio Genesis mundi usque ad Hestheris tempora, in viginti et septem libris veteris foederis, qui viginti duo numerantur, et quatuor sanctis Evangeliis, et in quatuordecim epistolis divi Pauli Apostoli, nec non et apostolicis actibus, qui vel superiora illis tempora, vel posteriora continent, catholicis epistolis Jacobi, Petri, Joannis et Judae, et in Apocalypsi Joannis, et in Sapientiis quoque, Salomonis dico et Sirach, et in omnibus simpliciter seu vere Scripturis divinis, etiam temetipsum damnares, quoniam nomen, quod nullibi earum institutum fuit, nobis protulisti. » Illis verbis : « Et in omnibus simpliciter Scripturis divinis » ab Epiphanio innuuntur ceterae Scripturae, quas hic non recensuit, sed de quibus mentionem fecit in libris suis, et in Codice Amiatino singillatim numeravit, quemadmodum nuper dixi. Augustinus saepe de Scripturis testatur Deutero-Canonicis, judaeos eas non recipere, pro Canonicis vero habere Christi Ecclesiam, ut suo loco dictum est. De eadem re tandem divus idem pater contra Cresconium donatistam scribit: « Neque enim sine causa tam salubri vigilantia Canon ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum et Apostolorum libri pertineant, quos omnino judicare non audeamus. » Item in praefatione Theodulphi episcopi aurelianensis, quam apposuit codici latinorum Bibliorum, ut citatur

(1) Tom. I. lib. 3. Edit. Paris. pag. 941.

a Sirmondi, sicuti altera parte disseremus, in quatuor ordines dividuntur libri veteris testamenti. Tres primos ordines ait, in numero viginti duos libros accipere hebraeos et christianos simul. Quartum vero ordinem librorum, qui sunt omnes Scripturae Deutero-Canonicae, ab hebraeis non recipi dicit: « Ecclesia tamen Dei inter divinas Scripturas et honorat, et praedicat. » Hoc idem dicit Hugo cardinalis de Scripturis Deuteris locutus, ubi judaeorum Canonem censuit: « Sed quia vera canunt, Ecclesia recipit illas. » Hac praemissa distinctione, facile proposita quaestio dissolvitur, quare scilicet doctores Scripturas Deuteras in auctoritatem dogmatum excerpserint, et pariter nonnulli ex iis resecasse illas e divinorum Bibliorum numero viderentur.

Aequissima quidem mihi videtur hic apposita differentia inter hebraicum et ecclesiasticum Canonem Bibliorum veteris foederis, et hic ratiocinandi modus omnes abripit difficultates, et dubia de Scripturis Secundis exorta. Aliter vero, si nos hanc distinctionem rejecerimus, quid dicendum esset de patribus illis speciatim, qui tantum Canonem hebraeorum, sive libros Scripturae viginti duos cognovere Canonicos, tamen, ut compertum satis hoc feci meis supradictis disquisitionibus, singuli Scripta Deutero-Canonica ut divina auctoritate praedita, absque ullo metu, et haesitatione, etiam contra haereticos saepissime citarunt? Quid hoc sibi velit? Respondeant adversarii.

Ut autem haec veritas majori lumine fulgeat, verum esse scilicet Ecclesiam Catholicam Scripturarum Canonem sacrum ex illis primis et secundis libris, quos disquirendos sumpsi, instituisse et eadem divina auctoritate eos donasse, aliquantum mentem versamus nostram ad haereticos omnes, qui Ecclesiae primis quinque saeculis, Christi gregem dilacerabant, quorum studia fuere maximae sollicitudines varia armorum genera, quibus suos errores erigebant, ut orthodoxam opprimerent fidem. Montanistae, novatiani, sabelliani, pauliniani, manichaei, meletiani, ariani, quorum irruptio fere totum orbem invaserat, macedoniani, aetii, eunomiani, apollinaristae, elvidiani, priscillianistae, joviniani, pelagiani, semipelagiani, nestoriani, eutichiani, ac ceteri, qui ex his orti sunt haeretici, ne unus quidem ex his omnibus Biblia veteris foederis Deutero-Canonica negavit, vel in dubium vocavit; quinimmo, ut supra ex sanctis patribus singillatim excepi, haeretici quoque istorum testimonia in suas partes delegere, et contra Catholicam doctrinam, tanquam e Scripturis divinitus in-

spiratis, eisdem propugnabant nova, et falsa eorum dogmata. Haec omnia cuivis, qui accurate supra excerpta patrum legerit, obviam erunt. Quod si (ut maxime hic notandum est) initio saeculi quinti in Galliis Vigilantius aliique, ut suos errores tuerentur, tanquam non Canonicos hos Scripturae libros respuerint, et alios spurios ut Canonicos fecerint; pari modo, animadvertendum nobis est, vix ob haereticos Galliarum fideles de librorum divinitate dubitarunt, divum Innocentium primum Pontificem maximum, auctoritate et infallibilitate praeditum, illis verbis Jesu Christi ad Petrum usum: « Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos » illius summa vigilantia et opportune ad Exuperium episcopum tolosanum scripsisse epistolam, qua divinorum Bibliorum Canon inscribebatur idem, qui tunc temporis, et antea in Ecclesia ratus, et in Concilio tridentino firmandus erat.

§. XIX. Modo vero ad expendendum reversis, qua ratione doctores quidam ecclesiae hierosolymitanae potissimum, aliique ecclesiae graecae parum scriptis suis testimonia e Bibliis Deuteris petita inseruerint, et e contra ecclesia latina, africana, alexandrina, magna copia suos libros hisce Scripturis disseminaverint, facilis hujus rei erit solutio. Quemquam non latet, qualis inimicitia et odium hebraeorum, primo Ecclesiae Christi mane, irruperat contra christianos, qui suarum promissionum juxta Scripturas evaserant participes, quinimmo in eorum haereditatem a Redemptore vocati erant, electis gentibus, seclusis judaeis. Haec omnia e divinis Scripturis hebraeorum gentes, quae in lucem Evangelii vocabantur, de se praedicta contra illos explicabant, omnemque Evangelii institutionem ex illorum probabant Prophetis. Idcirco, prout quis sibi suadet, judaeorum curae multae, magnaque conamina fuere, ut hac in parte christianos accusarent quasi idiotas, et Scripturarum inscios, ac deinde e suis, a proselytis, ab ethnicis quoque Christi nomen, illiusque Religionem prohiberent. Pluribus e studiis, quibus judaei doctrinas evangelicas conati sunt obtenebrare, maximum fuit illud, demonstrare nempe, quomodo christiani ut Scripturas revelatas crederent Biblia Deutero-Canonica, simulque honore, et auctoritate ceteris Prioribus paria existimarent. Haec res apud eos magni ponderis erat, et eo majoris momenti vulgo inter eos hoc reputatum fuit, quando Aquila, vel quisquis alius ille fuerit, novam e codicibus hebraicis divinarum Scripturarum interpretationem conflavit, et publicis juris fecit, e qua omnino seclusit omnes libros Deutero-

Canonicos, quippe qui hebraeorum litteris haud legebantur, ac pariter antiqua illa aegyptiaca versione posthabita, quibus hae Scripturae nostrae insertae erant, et omnibus antea in synagogis illorum approbatae. Prorsus summae rationis erat hebraeis, atque utilitatis haec Aquilae excogitatio; hac enim versione tum Apostolorum doctrinam negabant, qui Septuaginta interpretationem extollebant, tum patrum documenta minoris faciebant, quippe qui oraculis instabant illis in libris collectis nequaquam divina pollentibus auctoritate, ac praeterea irridendi, et insultandi fidelibus qui, ad hos libros veniebant, occasionem captabant, et tandem ex hoc Christi adventus, illiusve doctrinae palam faciebant nugacitates. Hac de causa christiani doctores, qui in illis regionibus versabantur, ubi confertim hebraei degebant, et maximus eorum furor in eosdem ruebat, ac praesertim ubi evulgata fuit Aquilae interpretatio, caute sese gesserunt suis in concionibus, ne ob oculos auditorum Scripturas illas ponerent, quas certo scirent a judaeis reprobari. Praeter hoc,ponderatione quoque dignum est Christi discipulos numero illic minores fuisse, qui humilitatem et prudentiam a suo magistro edocti, verborum quoque recordati sunt, quae eisdem pronunciavit in Evangelio: « Melius est, ut suspendatur mola asinaria collo suo, quam ut scandalizetur unus de pusillis istis, qui credunt in me. » Atque bene noverant quali impudentia contra christianos insolescebant judaei et probris afficiebant christianorum ritus suis in synagogis. Ob haec omnia, etiamsi illarum regionum praesules apostolicae et catholicae doctrinae custodes severi extabant, fuisse novimus pari modo ejusdem doctrinae prudentes dispensatores, omittentes scilicet librorum Deuterorum usum dum contra illos disserebant, et congrue Apostoli Pauli sententiae recordati, qua de idolothytis corinthios monens scripsit: « Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem. » Eo magis, quod abunde ceterae Scripturae et a se ipsis, et a judaeis divinae et propheticae comprobatae, evangelicae dispensationis, ejusque veritatis contra omnes suppeditabant testimonia. Illae porro provinciae, ubi hebraeorum furor minus invalescebat, et ut satius dicam, pharisaeorum secta, et severa illorum doctrina, de qua alibi sermonem habebo, non urgebat, ac simul, ubi numero minores iidem, et auctoritate degebant, libere Bibliorum Deutero-Canonicorum testimonia, etiam contra eosdem Ecclesiae patres extulerunt. Romanae provinciae Mauritaniae regiones, ae-

gyptiacae quoque civitates, in quibus Aquilae versio non praevaluit, et pharisaeorum studia non defixerunt radices, hunc prudentiae actum minime excoluere.

Ast, quae hucusque dixi, dicet aliquis, verba sunt, et ex ore meo parum auctoritatis efferunt; necesse est, ut factis quoque probentur. Facta ineamus. Justinus martyr, cujus opinionem supra descripsi, contra judaeos agens, inquit illos non recipere quasdam Scripturas; sic enim scribit in dialogo cum Triphone judaeo: « Velle cum eo quaestiones facere super illas Scripturas quae apud eos in confesso erant. » Deinde Scripturas nonnullas objicit, quas negabant judaei: « Praeter illas, quae proferendae essent apud nos servatae. » Claris verbis Origenes hoc adstruit, cujus supra novimus peritiam in sacris Scripturis, et universae Ecclesiae tunc temporis institutionem hac in re. In epistola ad Africanum de Susannae historia, quam ab eorum Canone judaei abraserant, hortatur Africanum eumdem, postquam Ecclesiam Christi ei demonstravit Susannae historia ut divina uti, in Scripturis Deuteris citandis, hanc cautionem assequi: « Conamur autem ait, te non ignorare, quas habent Scripturas, ut cum judaeis disserentes non proferamus ea, quae in eorum exemplaribus desunt, sed simul utamur iis, quae penes se habent, licet in nostris libris desiderentur. Si enim hujusmodi fuerit noster ad ea, de quibus nos inter et ipsos controversia est, apparatus, non contemnent, neque prout solent, irridebunt eis, qui credunt ex gentibus, quod vera, et quae apud illos scripta extant, ignorent. » Hac cautione Origenis profecto usi sunt posteri Ecclesiae doctores, quae utique est inspicienda in Nazianzeni et Cyrilli hierosolymitani scriptis, ubi de Canone divinorum librorum egerunt. Cyrillus enim Catechesi quarta, ut supra legistis, discernit Biblia Proto-Canonica a Deutero-Canonicis, istaque adponit secundo loco. Notat insuper primos viginti duos esse Scripturas illas, quae μετὰ παῤῥησίας cum animi fiducia leguntur. Παῤῥησίας vocabulum, quo utitur sanctus pater juxta etymologicum sensum exprimit loquendi fiduciam, cum libertate, securo, palam, aperte, quasi diceret Cyrillus, ex ore omnium, nullis contradicentibus, istae Scripturae Priores proponuntur, alterae vero nequaquam libere, coram omnibus producamus, quoniam nonnulli, sive judaei (quibuscum versabantur maxime palaestini fideles) istas respuunt. Simili ratione Nazianzenus carmine Janbico praecipit voce ἀσφαλὴς *tutus*, quippe qui liber ille tuto, absque offensione in testimonium vocari

potest, quo vocabulo usus est de nostris Scripturis, etiamsi sermones veritatis consideret. Augustinus idem libro XVII. De Civitate Dei, ut a me suo loco relatum est de Scripturae Sapientiae et Ecclesiastici auctoritate, sumptis testimoniis in Christi Prophetiam, addit: « Hanc optandi, et precandi specie prophetiam per Jesum Christum videmus impletam; sed adversus contradictores non tanta firmitate proferuntur, quae scripta non sunt in Canone judaeorum. » Hieronymus quoque in Syria versatus ad Chromatium et Eliodorum de libro Tobiae litteras misit huic rationi obsecutus, his verbis hanc explicat: « Feci satis desiderio vestro, non tamen meo studio. Arguunt et nos hebraeorum studia, et imputant nobis contra suum Canonem latinis auribus ista transferre. » De libro Baruch eadem repetit. Hoc disciplinae genus in primordiis Ecclesiae Christi servatum nulli admirationi erit, dum et alia quaedam dogmata Evangelii sub quodam velamine fidelibus tradebantur, ne pusillis scandalizandi, et infidelibus christianis mysteriis irridendi praeberetur occasio, ut scribit Origenes libro primo contra Celsum. De hac re nobis suffragatur Scheltrates suo in libello, qui sub titulo - Arcani disciplina - legitur.

Ut vero constet Christi Ecclesiam, libros Deutero-Canonicos, ut divinitus inspiratos, agnovisse, suisque in thesauris ab aetate Apostolorum has Scripturas ut donum coeleste ei a Christo Jesu traditum, servasse, illius actus, consuetudines meditemur tum, cùm per suum Vicarium, vel per episcopos in Spiritu Sancto congregatos, alicujus dogmatis proferendi causa, vel enucleandi, convenit.

PROPOSITIO VII.

Bibliorum Deutero-Canonicorum investigatur auctoritas, quam consecuta sunt in conciliis, in epistolis synodicis, et encyclicis summorum pontificum a prima christianorum aetate, usque ad saeculum sextum.

§. I. Hucusque in re nostra singulorum patrum seorsim audivimus sententias, eorumque dicta sedulo ponderavimus; nunc vero pretium operae erit, immo magni momenti res, si hoc negotium pertractaverimus, ecclesiasticorum virorum opinionem meditantes, quam in unum collecti significarunt; vel quomodo per summum Pontificem suis litteris in orbem christianum mandatis Scripturae ipsae Deuterae tantum indicatae, vel omnino sancitae ad nos pervenere. Cuique patet, quantae auctoritatis sint decreta illa, quae unanimi consensu a multis proferuntur de re quacumque. Rationes quoque et argumenta, quibus haec decreta innituntur, majori plausu accipiuntur, quam ea, quae unius viri exhibent testimonium. Apertius inquam, Christi Ecclesia partim, vel universim in episcoporum persona congregata, ubi aliquid in quaestione dissolvendum decernit, si rationes, et auctoritates, quibus utitur certissimae sint, et fontes e quibus hauriuntur infallibiles, ac pariter adversarii, quibus contenditur, his auctoritatibus cedant; tunc argui potest, quatenus hoc obtineatur, testimonia illa, et libros, a quibus excerpta sunt, veritate pollere. Praeterea eadem dici possunt de summorum Pontificum encyclicis, quae in varias orbis regiones immittuntur, ubi, ad eorum errores profligandos, seu dubia dissolvenda, Scripturae aliquae leguntur et approbantur. Haec dicta sint de decretis et litteris synodicis et encyclicis summorum Pontificum, in quibus sparsim leguntur verba e Scripturis Secundis petita.

Potiori autem ratione hoc dicendum erit de epistolis pontificiis et conciliorum decretis, quae omnino, et explicite divinarum Scripturarum Canonem instituunt et tuentur. In primis vero de hac vetusta ecclesiae consuetudine, ne dicam apostolica, synodos convocandi, quae de verbo aliquo videant, ut inquit Lucas Evangelista, (1) de quo inter christianos dubium ortum fuerit, vel ut

(1) Act. Apost. c. XV. 6.

error de medio auferatur, seu veritas ambagibus occultata clarescat, nihil est quod loquar; simulque laborem frustra impenderem singulos evincens de auctoritate Romani Pontificis universalis Ecclesiae facile principis, qui ex se decreta constituit, et conciliorum statuta confirmat, quae omnia una pergunt Christi Redemptoris depositum Ecclesiae suae traditum illibate servare. Sed potius nos Spiritus Sancti voci intenti, qui in medio episcoporum adstat, et clavium Regni coelorum reminiscentes, quas Vicario suo Christus dedit, meditatum accedimus quae de Scripturis Deutero-Canonicis credenda docuerunt.

§. II. Primo loco exponenda erunt plura, ac varia testimonia, quibus abundant summorum Pontificum Epistolae, primo, secundo, tertio Christi saeculo in diversas orbis partes missae ad vera in doctrina fideles confirmandos. In his, ut dixi, Scripturarum veterum Deutero-Canonicarum sententiae occurrunt. Frobenius inter alios in fine operum sancti Irenaei ex his litteris multas edidit anno 1526. Quamvis eaedem usque ad Papam Siricium auctoritatem non praestent, et apud christianos non habeantur ut genuinae, attamen, earum antiquitate ponderata, quippe de quibus veteres scriptores mentionem faciant, ac etiam seposita dubitatione, istas in hac parte scilicet in Bibliis Deutero-Canonicis nullam passas esse immutationem, mihi viderentur nostrae propositioni aliquid argumenti ministrare, et inter alias probationes repetere locum. Ast, dum serio excogito nobis cum hoste esse dimicandum, qui argumenta a veritate dissita vel infirma parum veretur, ab hoc cessare satius existimo, dum quae hic censui sufficere possunt, et laborem meum magis certis, quam dubiis commendare studeo.

§. III. In Epistola synodica Concilii antiocheni secundi, anno Domini 272 scripta ad Dionysium romanum pontificem et ad alios collegas episcopos de Paulo samosateno (1) Ecclesiastici libri sententia haec excipitur: « Itaque etiam si quis concesserit in mulierum contubernio nihil ab eo committi, suspicionem tamen, quae inde solet, vitari oportebat, ne quemquam offenderet, neve aliquos ad imitationem sui provocaret: Πῶς γὰρ ἂν ἐπιπλήξειεν ἢ νουθετήσειεν ἕτερον, μὴ συνκαταβαίνειν ἐπιπλέον εἰς ταυτὸν γυναικὶ μὴ ὀλισθῇ φυλαττόμενον, ὡς γέγραπται, i. e. Quonam enim modo increpaverit, vel monuerit alium, ne conveniat frequentius cum muliere, ne

(1) Labbei Tom. I. et Eccl. c. IX. 3. 4.

forte capiatur cautus, sicut scriptum est. » Haec epistola firmata fuit ab Heleno Tarsi et Hymeneo Hierosolymorum episcopis, a Gregorio et Athenodoro apud Pontum episcopis, a Nicoma Iconii antistite, a Malchione antiochenae scholae praefecto, aliisque plurimis episcopis, presbyteris et diaconis, qui Antiochiam convenere, ut contra haereticum Paulum disceptarent. In altera epistola synodica, quam Alexander alexandrinus episcopus ex Alexandriae Concilio, anno Christi 321 ad episcopum byzantinum scripsit eamdem Ecclesiastici Scripturam repetit, his verbis sumptis: « Sed et astra, dicit Deus Abrahamo, numerare non potuisse: Καὶ ἔτι, ἄμμον θαλασσῶν, καὶ σταγόνας ὑετοῦ, φησί, τίς ἐξαριθμήσει; i. e. Et insuper arenam maris, et stillas pluviae, dicit Deus, quis enumerabit? »

Contra quemdam philosophum arianum Concilii nicaeni (2) patres Baruch testimonium apposuerunt dicentes: « Clarius accipe testimonium authenticum soli personae Filii propositum, ostendens ipsum esse auctorem omnium factarum creaturarum, Ὡς γέγραπται ἐν βίβλῳ Βαρούχ, ἐκ στόματος Ἱερεμίου προφήτου λέγοντος· ὁ κατασκευάσας τὴν γῆν εἰς τὸν αἰῶνα χρόνον ἐνέπλησεν αὐτὴν κτηνῶν τετραποδῶν· ὁ ἀποστέλλων τὸ φῶς καὶ πορεύεται... μετὰ ταῦτα ἐπὶ τῆς γῆς ὤφθη καὶ τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη, i. e. Sicut scriptum est in libro Baruch, ex ore Hieremiae Prophetae dicentis: - Qui praeparavit terram in aeternum tempus, replevit eam jumentis quadrupedibus, qui mittit lucem et vadit.... post haec in terra apparuit, et cum hominibus conversatus est. » His verbis respondens philosophus loquitur: « Ὁ υἱός, φημί, συνανεστράφθαι, καθὼς εἴρηκαν αἱ θεῖαι γραφαί, κἀγὼ πιστωθεὶς ἐξ αὐτῶν ἀποδέδεγμαι, i. e. Filium dico conversatum, ut divinae testatae sunt Scripturae, et ego ex ipsis persuasus approbavi. » Alia testimonia ex hoc libro ab invicem contradicentibus citantur et accipiuntur. Paulo post patres contra eumdem ex veteri testamento de operibus Sancti Spiritus, Sapientiae auctoritatem adstruunt: « Et rursus in veteri testamento: - Coelum et terram ego impleo, dicit Dominus; Καὶ ὁ Σαλομὼν δὲ δεικνὺς τίς ὁ πληρῶν, λέγει· πνεῦμα κυρίου πεπλήρωκε τὴν οἰκουμένην, i. e. Et Salomon ostendens, quis implet, dicit: - Spiritus Domini replevit orbem terrarum: - Crede et de potestate Spiritus Sancti, et haec recipe de ipso testimonia, etc. » (3)

(1) Labbei tom. II. p. 10. et Eccl. c. I. v. 2. — (2) Labbei Tom. II. p. 191. — (3) Sententiae istae ex Historia Gelasii cyziceni in Dialogo Ecclesiae

Inter scripta divi Athanasii exsurgit epistola synodica ecclesiae aegyptiacae congregatae e Thebaide, Libya et Pentapoli, omnibus episcopis Ecclesiae Catholicae missa, quae haec Sapientiae (1) libri dicta offert: « Οὐ φοβοῦται δὲ τὸ ἐν ταῖς ἁγίαις γραφαῖς γεγραμμένον· μάρτυς ψευδὴς οὐχ ἀτιμώρητος ἔσται, καὶ στόμα καταψευδόμενον ἀναιρεῖ ψυχήν, i. e. Nec timent quod in sanctis Scripturis descriptum est: - Testis falsus non est impunitus, et os quod mentitur occidit animam. » Paulo post in eadem epistola angeli ad Tobiam loquentis (2) verba quaedam relata sunt hoc modo: « Καὶ οὐκ αἰσχύνονται ταῦτα ἐπὶ κατηχουμένων, καὶ τόγε χείριστον, ἐπὶ ἑλλήνων τραγῳδοῦντες τὰ μυστήρια· δέον ὡς γέγραπται μυστήριον βασιλέως καλὸν κρύπτειν, καὶ etc.,i. e. Nec eos pudet coram catechumenis, et quod pejus est coram ethnicis haec traducere mysteria; cum oporteat, sicut scriptum est, mysterium regis bonum abscondere, etc. »

Theodoretus libro II. Historiae ecclesiasticae collegit litteras synodi sardicae quae ad totius orbis episcopos missae fuerunt, anno Christi 347 ubi Sapientiae testimonium legitur de Filii hypostasi, quod ex ore ipsius divinitatis pronunciatur: « Ὅτι φησίν· ἡ πάντων τεχνῖτις ἐδίδαξέ με σοφία, i. e. Quoniam dicit: - Omnium artifex (4) docuit me Sapientia: - Cui subjungit Joannes: - Omnia per ipsum facta sunt. »

In canone quarto Concilii valentini (5) primi, anno Domini 374 Sapientiae (6) Scriptura extollitur: «Et (Deus) tam dives misericordia, ut nemo desperet. Deus, enim, mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum. »

§. IV. Initio saeculi quinti, Romae pontificatu fungente Innocentio Papa I. episcopus tolosanus Exuperius, ei datis litteris, de variis consulit, in quibus etiam de Canone divinorum Bibliorum; cui sic respondet Innocentius: « Consulenti tibi, frater carissime, quid de proposita specie unaquaque sentirem, pro captu intelligentiae meae, quae sunt visa, respondi, quid sequendum, vel lucidior ratio persuaderet, vel auctoritas lectione ostenderet, vel custodita series temporum demonstraret. Et quidem dilectio tua institutum secuta prudentium (vel, juxta alios codices,

Patrum cum Philosopho Ariano delectae sunt, quarum nisi obsequi velis auctoritati, quippe quae a nicaena doctrina alienae fiunt, antiquitatem saltem venerare. — (1) Edit. Maurin. tom. I. p. 125. — (2) Sap. c. I. 10. — (3) Tob. c. XII. 7. — (4) Sap. c. 7. 22I. — (5) Labbei tom. II. — (6) Sap c. I. 6. 13.

praecedentium) ad Sedem Apostolicam referre maluit, quid de rebus dubiis custodire deberet, potiusquam, usurpatione praesumpta, quae sibi viderentur de singulis, obtinere.... Proponam igitur singula, subjiciamque responsum. » Et omissis hic sex capitibus, septimum ita se habet: « Qui vero libri recipiantur in Canone sanctarum Scripturarum, brevis adnexus ostendit. Haec sunt ergo, quae desiderata moneri voce voluisti. Moysis libri quinque, idest Genesis, Exodi, Levitici, Deuteronomii, et Jesu Nave unus, Judicum unus. Regnorum libri quatuor, simul et Ruth, Prophetarum libri sexdecim. Salomonis libri quinque, Psalterium. Item Historiarum Job liber unus, Tobiae unus, Esther unus, Judith unus, Machabaeorum duo, Esdrae duo, Paralipomenon duo. » Item novi testamenti usque ad Joannis Apocalypsim libros non est opus censere. Cetera autem, addit Pontifex, si qua alia sunt, non solum repudianda, verum etiam noveris esse damnanda. Datum x. Kalendas Martias anno Domini 405. Innocentii sapientia in hoc decreto, et sui animi firmitas, quo illud statuit, et ab Ecclesia recipitur, nihil novi nobis protendunt, quinimmo doctrinam in veteri traditione solidatam.

§. V. In Concilio carthaginensi, nomine tertio ordine temporis, inter ea, quae post nicaenum extant, vere secundo, Canon divinorum Bibliorum stabilitur, quem capite XLVII. legimus hoc ordine (1): « Item placuit, ut praeter Scripturas Canonicas, nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem Canonicae Scripturae, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesus Nave, Judicum, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Job, Psalterium davidicum, Salomonis libri quinque, libri duodecim Prophetarum, Isaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Tobias, Judith, Esther, Esdrae libri duo, Machabaeorum libri duo. » Et censitis libris novi testamenti, explicit Canon. Huic loco adposui verba, quae in fine hujus Canonis leguntur. Haec enim sunt: « Hoc enim fratri et consacerdoti nostro Bonifacio, vel aliis earum partium episcopis innotescat pro confirmando isto Canone, quia a patribus ista accepimus in Ecclesia legenda. » Bonifacius Romae praeerat anno Christi 419. Verum tamen est hunc Canonem repetitum esse ex altero Concilio anni 397. sub Siricio Papa, cujus canon trigesimus octavus Scripturas Canonicas respicit.

(1) Labbei in hoc saeculo.

§. VI. Ast dum ego attente animadverto tum Innocentii epistolam ad Exuperium, qua Canon divinorum Bibliorum inscribitur, tum Ecclesiae africanae consensum in eadem re, ac pariter considero venerationem, quam ab Ecclesia universali consecuta sunt tum synodus carthaginensis, tum ad Exuperium litterae, ex his quoque nobis conjicere licet ante hoc tempus in Christi Ecclesia censitum fuisse Canonem divinarum Scripturarum; uti aperte testatur idem decretum africanum: « Quia a patribus illa accepimus in Ecclesia legenda. » Ne ergo ignorantiae, vel temeritatis Innocentium pontificem, et africanum concilium arguamus, quasi in Ecclesiam inferentes Scripturas divinas, quas Ecclesia vetus in Canonem non receperat, retrovertamus gradum, et priores Ecclesiae aetates sedulo percurramus. Et dum haec perficio, mihi obviam venit synodus nicaena. Perscrutatus autem illius viginti canones, nihil pro re nostra invenio observatione dignum. Attamen Hieronymi recordatus, qui scribit in praefatione libri Judith: « Sed quia hunc librum synodus nicaena in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquievi postulationi vestrae etc. » Suspicio aliqua haud frustra meam mentem ingerit, synodum nicaenam aliquid de sacris Scripturis decrevisse. Necesse est ergo, ne errori id Hieronymo tribuamus, concilium nicaenum canones plures quam viginti instituisse; vel potius quaedam suis in actis de Scripturis animadvertisse. Haec autem nos expendentes, e sacris scriptoribus invenimus vere decreta plura quam viginti statuta fuisse a synodo nicaena. Abrahamus Ecchellensis maronita de auctoritate canonum et constitutionum nicaenae primae synodi, quae a se ex arabico latine donatae sunt, perbelle ostendit plurimas, et varias fuisse constitutiones concilii nicaeni. In ipsa praefatione, quae concilio inhaeret, legitur episcoporum congressus trium annorum spatio perdurasse. Descriptum autem ibi fuit quidquid cum haereticis et fidei impugnatoribus disputatum est, et quidquid patres inter se collocuti sunt, atque discusserunt, quadraginta libris. Singulorum vero sanctorum patrum sententiae, sermones et fidei professiones, quas ediderunt, aliis libris quindecim, qui nomine *apostolicorum* dignoscuntur, et conservantur in ecclesiarum bibliothecis. Eutychius patriarcha alexandrinus in suo Chronico de hoc agens concilio ait: « Composuerunt etiam ipsi Constantino libros quadraginta, qui constitutiones et leges continebant. » Abuharcus habbasides mohammedanus scriptor parte altera suae apologiae adversus chri-

stianos: « Et posuerunt, inquit, nicaeni Constantino fidem, itemque quadraginta libros, quos canones appellaverunt. » Georgius homaidius parte prima sui Chronici de Constantino Magno: « Tunc benedixerunt ei, idest Constantino. Composuerunt illi librum canonum Ecclesiae continentem quidquid ad judicia et lites spectat. » Photius constantinopolitanus in summa librorum a se lectorum, meminit se legisse librum, historiam praeseferentem actorum in concilio nicaeno, qui divisus erat in tres partes. Ecchellensi favet Joannes a s. Joseph e clericis regularibus, qui a patribus et e synodis nicaeno posteris ostendit mentionem actam esse de fidei et disciplinae statutis, praeter viginti, ab eodem concilio mandatis; ac praeter alias auctoritates, divi Ambrosii testimonium commendat, qui scribens ad vercellensem ecclesiam, concilium nicaenum appellat: « Sed prius, ait, agnoscamus non solum hoc Apostolum de episcopo et presbytero statuisse, sed etiam patres in concilio nicaeno tractatus addidisse: - Neque clericum quemquam debere esse, qui secunda conjugia sortitus sit. » Ex eodem Joanne concilium carthaginense sub Siricio canone 48 constituit: « De fide enim nicaeni, tractatus audivimus, (hoc ait) de inhibendo sacrificio post prandium. » Doctores denique omnes, et Ecclesiae historiae, quae de hac synodo egerunt, pari consensu pronunciarunt hoc in concilio exposita fuisse, et exacte perpensa omnia quaecumque propter ambiguitatem, dissensionum causam parere possent.

Non solum de haeresi arianorum, verum etiam de erroribus aliis, qui in Christi Ecclesiam irrepserunt, et de re quacumque decreverunt nicaeni patres, quae explanationem ab eis postulabat, et noxiorum correctionem, juxta Basilium (1), utpote a tanta, ac veneranda virorum societate expectandum erat, qui ex toto orbe in unum convenerant, ut evangelicae doctrinae vindicarent puritatem. Nulla ratione autem est mirandum, ex multis actis synodi nicaeae in Ecclesia graecorum pauca superstitisse, dummodo arianorum illis in regionibus furorem animadvertimus, qui ubique in catholicos et in eorum libros erumpebant, ac incendebant, uti revera post Constantini mortem accidit. Hisce positis, aliquo jure conjici potest synodum nicaenam suis in constitutionibus, de divinis Scripturis, juxta Hieronymum, quidquam decrevisse. Praeterea mihi admodum placet hic notare, a Josepho Blanchini

(1) Epist. 78.

veronensi, presbytero oratorii, codicibus Bibliothecae vallicellanae Romae evolutis inventum fuisse manuscriptum litt. B, num. 58. et pag. 76. his verbis: « Ut praeter Scripturas catholicas, nihil in Ecclesia legatur. Sic cap. XXIV. nicaeni concilii. » Haec verba litteris majuscolis exarata sunt, ut ego ipse vidi. Deinde subjungit codex: « Item ut praeter Scripturas Canonicas nihil in Ecclesia legatur; sub nomine autem *Canonicae Scripturae* etc. » Et ibi censetur Canon Bibliorum statutus in synodo africana, ut paullo ante descripsi.

Ex hoc invento clarissimus Blanchini in Vindiciis Canonicarum Scripturarum probare conatus est, canonem carthaginensem de sacrarum Scripturarum libris contineri in capitibus concilii nicaeni, et inde a scriptoribus ecclesiasticis pro carthaginensi sanctione fuisse habitum, et tanquam in alieno fundo collocatum: «De hac autem re, sequitur ipse, transferri pauca oportet ex actis ejusdem concilii carthaginensis, quae claram faciunt sanctionem occultamque hucusque, et a vallicellano codice tandem patefactam. Veritas brevius exponi non potest, quam est quatuor significata capitibus, quarto scilicet, quinto, septimo et nono carthaginensium actorum. Igitur capite quarto ita legitur: - Petendus est litteris nostris et venerabilis Romanae Ecclesiae episcopus Bonifacius, ut ipse quoque dignetur ad memoratas ecclesias aliquos mittere, qui eadem exemplaria praedicti nicaeni concilii secundum ejus scripta possint proferre. Nunc autem memorati concilii nicaeni qualia exemplaria habemus his gestis sociemus. Caput quintum haec habet: - Aurelius episcopus dixit, praeter ista quae praemisimus actis, necesse est, ut etiam nostrae parvitatis litteris sancto fratri et consacerdoti nostro Bonifacio singula, quae tractamus, plenissime intimemus: - Caput septimum subjungit: - Universum Concilium dixit, omnia quae in nicaeno concilio statuta sunt nobis omnibus placent: - Capite nono habetur: - Omne concilium dixit; exemplaria fidei et statuta nicaenae synodi, quae ad nostrum concilium per beatae recordationis olim praedecessorem tuae sanctitatis (qui interfuit) Caecilianum episcopum allata sunt, sed et quae patres ea exemplaria sequentes, hic constituerunt, vel nunc communi tractatu statuimus, his gestis ecclesiasticis inserta manebunt ita, ut, quemadmodum superius venerabilibus viris antiochenae et alexandrinae, sed et constantinopolitanae ecclesiarum episcopis scribere vestra beatitudo dignatur, exemplaria verissima concilii nicaeni sub astipulatione litterarum

suarum dirigant, quo, declarata veritate, ea capitula, quae in commonitorio praesens frater, et coëpiscopus noster Faustinus et compresbyteri Philippus et Asellus secum attulerunt, aut ibidem reperta a nobis firmabuntur, aut si non inveniuntur, collecta synodo, de hoc in sequenti tractabimus. Daniel notarius Nicaeni concilii professionem fidei, vel ejus statuta recitavit in concilio africano. » Ex hujus codicis auctore, qui juxta eumdem Blanchini procul dubio ad saeculum octavum referendus est, eruitur capitulum concilii carthaginensis circa Canonem divinorum Bibliorum renovasse, vel potius explanasse nicaenorum patrum mentem, explicite efferendo saltem ab hac synodo ea omnia, quae implicite definita fuere. Jam jam in Hieronymi verbis minime mysterium fas est inspicere; ac ne arbitrario quidem decretum esse a doctoribus maurícis circa numerum divinorum librorum.

Insuper aliquid nicaenam synodum decrevisse de Scripturis sacris, prout innuit celebratus Hieronymus, eruitur a decretis ab Ecchellensi editis in illis verbis: « Quomodo agendum sit cum iis haereticis, qui sacras Scripturas integras recipiunt. » Et in libro tertio Gelasii cyziceni de nicaeno concilio ab Alphonso pisano latine donato, legitur decretum de cantoribus canonicis, quos in suggestum ascendere oporteat, et de codice legant: « In eodem libro canone 55 de visitatione chorepiscopi, praecipitur eis ecclesias visitare et monasteria, congregare seniores castelli, ac praedicare et legere eis Scripturas sacras, eosque monere, etc. » His adde alterum Cassiodori de hac re perspicuum testimonium cap. XIV. de institutione divinarum litterarum. Hic de variis sacrorum Bibliorum divisionibus locutus, ait: « Tertiam divisionem, quae est Septuaginta interpretum translatio, continere libros quadraginta quatuor, cui subjuncti sunt novi testamenti libri viginti sex, et fiunt simul 70 libri.... Hic textus multorum translatione variatus, patris Hieronymi diligenti cura emendatus, compositus relictus est; ubi nos omnia tria genera divisionum judicavimus affigenda, ut inspecta diligenter, non impugnare, sed invicem se potius exponere videantur. Unde licet nonnulli patres, idest Hilarius pictaviensis urbis antistes, et Rufinus presbyter, et Epiphanius Cypri episcopus, et synodus nicaena, et calcedonensis, non contraria dixerint, sed diversa; omnes tamen per divisiones suas libros divinos sacramentis competentibus aptaverunt. » His dictis quid nobis respondendum erit? Nempe reapse synodum nicaenam de Canone Scripturarum aliqua decrevisse. Prae manibus habuit Cas-

siodorus latinos et graecos priscorum doctorum codices, quos ipse undequaque collegerat, e quibus, ut valde verosimillimum est, eduxerit quae hic de nicaena synodo scripsit. Neque ideo errasse mihi videtur Blanchinus, dum ait: « Canonem Bibliorum a constitutione nicaena firmatum inter decreta concilii carthaginensis quasi in alieno fundo collocatum. » Quando est in aperto alios quoque canones ex illis, qui viginti numerantur, et ab omnibus ut nicaena decreta accipiuntur, in synodo africana repetitos esse; quae synodus, utpote Mauritaniae peculiaris, praeter res, vel statuta ad illarum regionum disciplinam spectantia et consuetudines, in fidei decretis omnino incessit juxta nicaenorum patrum sententias, qui universalis Christi Ecclesiae personam gerebant. Etenim verosimilius est, juxta probata, canones nicaenos, haeresi huc illuc urgente, post synodum deperiisse in ecclesia graecorum, contra vero in ecclesia latina superstitisse, inquam, ac deinde ab universo fidelium orbe tanquam decreta africana fuisse aestimata. Baronius pariter opinatur concilium nicaenum de sacris Scripturis quidquam decrevisse. Tandem huic rei favet maxime, quod supra retuli de sancto Ephraemo syro, qui nicaenae synodo interfuit, et Scripturas Deuteras in suos sermones accivit, quem sequitur Athanasius, Cyprianus afer, ariani quoque, qui Bibliis Deutero-Canonicis non mentiti sunt. Ruffinus, Chrysostomus, Augustinus suis scriptis claro exhibent in ecclesiis fidelium lectas fuisse Scripturas istas. Hieronymus idem quamvis auctoritate aliqua, vel prioribus, ut ita dicam, pari, istos libros privaverit, attamen praefatione in libros Salomonis libero fatetur Judith, Tobiae, Machabaeorum, Sapientiae, Ecclesiastici Scripturas, ceterasque additiones legi in Christi Ecclesia; quae res nicaenorum patrum statutum exprimit: « Ut praeter Scripturas catholicas nihil in Ecclesia legatur » quasque africani doctores, utpote a patribus acceptas in Ecclesia legendas, nominatim censuere. (1) De hoc Bi-

(1) Cabassutius probare conatus est divum Hieronymum minori pollere auctoritate in illis verbis de libro Judith « Sed quia legitur synodus nicaena in numero sacrarum Scripturarum hunc librum computasse etc. » Nunquid ne hoc doctoris testimonium parum Cabassutio satisfaciebat? Ut vero Hieronymo et nicaeno decreto hac in sententia deroget celebratus scriptor, Athanasii synopsim compellat, qui concilio eidem interfuit, in qua scripta Deutero-Canonica segregantur a Canonicis, utpote illis contradicitur. Attamen non latuerit Cabassutium, Scripturarum synopsim non esse genuinum Athanasii foetum, immo ab omnibus, ut doctoris ejusdem opus, rejicitur,

bliorum vero censu alibi, ubi sermo habebitur de versionis aegyptiacae origine, planius disseremus.

§. VII. In epistola IV. Zozimi papae de Pelagio et Caelestio, ad universos episcopos Africae legitur Ecclesiastici testimonium, quod his verbis instituit: « Etiam in veteri testamento: - Non credas auditui vano, et non consenseris cum iniquo fieri testis injustus: - Et ne forte multitudini detrahentium ante examinationem judicii crederetur, addit (1) dicens: - Priusquam interroges, ne vituperes quemquam, et cum interrogaveris corripe juste. » In libello fidei Leporii monachi et presbyteri ab Africae episcopis subscripto, qui missus fuit ad Galliae episcopos, de mysterio Incarnationis Christi in sui erroris detestationem, e Sirach libro hanc offert sententiam: « Quia etsi lapsi sumus lingua, vel sensu, non tamen voluntate vel corde, sicut scriptum est: (2) - Qui labitur lingua, sed non ex corde. Quis est enim, qui non delinquit in lingua sua? »

Legitur Ecclesiastici dictum in epistola Cyrilli alexandrini (3) ad quemdam Nestorii studiosum his verbis: « Οὓς ἐπαινοῦμεν, ὅτι περ τετηρήκασι τὸ εἰρημένον, ἕως θανάτου ἀγώνισαι ὑπὲρ τῆς ἀληθείας, i. e. Quos laudamus (idest martyres) quoniam servaverunt id, quod scriptum est: (4) - Usque ad mortem certa pro veritate. » In contestatione publice proposita a clericis constantinopolitanis, et publicata in Ecclesia de Nestorio conveniente cum Paulo samosateno producitur testimonium beati Eustachii antiocheni (5), qui fuit e numero trecentorum decem, et octo episcoporum, qui in magna illa et sancta synodo convenerant. Illius autem verba sic se habent: « Λέγων οὕτω, τὸ μὴ μόνον ἄνθρωπον, ἀλλὰ καὶ Θεόν, καθὼς καὶ Ἱερεμίας ὁ προφήτης λέγει· οὗτος ὁ Θεὸς ἡμῶν, οὐ λογισθήσεται ἕτερος πρὸς αὐτόν, ἐξεῦρε πᾶσαν ὁδόν... μετὰ ταῦτα ἐπὶ τῆς γῆς ὤφθη, καὶ τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη, i. e. Dicens sic, non solum hominem, sed etiam Deum, quemadmodum et Hieremias Propheta dicit: - Iste Deus noster, non reputabitur alius ad eum; invenit omnem viam... post haec in terram apparuit, et cum hominibus conversatus est: - Et quando, quaeso, addunt clerici, cum hominibus conversatus est, nisi tum demum, cum ex sacra virgine, ut homo natus simul cum ipsis adolevit, simul incrementa, simul cibum, simul

ut suo loco dixi; et e contra ex Athanasii libris adversus Arianos saepissime apparet biblioram Deutero-Canonicorum divinum testimonium, quod ut authenticum ab illis acceptum est, neque illi mentiti sunt; quae res immo nobis favet. — (1) Eccl. c. XI. — (2) Eccl. XIX. 16. 17. — (3) Labb. tom. III. p. 882. — (4) Eccl. c. IV. — (5) Lab. tom. III. p. 887.

potum sumpsit, simul denique reliqua omnia humana exercuit? » Videas lector, quanta auctoritate Baruch verba inter contendentes praestiterint. Ad Nestorium scribens Coelestinus (1) papa, suae memoriae mandat Ecclesiastici verba: « Legerat profecto Sisinii simplex sanctitas, et sancta simplicitas: - Timendum magis, quam sibi alte sapiendum: (et alibi) - Altiora non esse scrutanda. »

Cyrillus (2) presbyteris, diaconis, et populo alexandrino scribens, carmen Judith in his verbis appellavit: « Vestras pro nobis preces, nam et ego quoque id facere non desino: (3) Ἰωὰ πάλιν ὁ πάντας συντρίβων πολέμους Θεὸς, ὁ τῶν δυνάμεων Κύριος, i. e. Ut rursus omnia conterens bella Deus, exercituum Dominus, omnia quae huic causae intervenerint, suaviter componens. » Sanctae ephesinae synodi epistola ad sacram synodum in Pamphylia, sic incipit juxta Ecclesiastici (4) Scripturam: « Μετὰ βουλῆς πάντα ποιεῖ, τῆς θεοπνεύστου λεγούσης γραφῆς, i. e. Cum consilio omnia fac, divinitus inspirata dicente Scriptura. » In eadem synodo lecta est homilia Theodoti sanctissimi, anno Christi 431 die Nativitatis, e qua verba Baruch (5) objiciuntur: « Factus est homo non mutata natura, non motis terminis divinae substantiae: - Tu enim idem ipse es, et anni tui non deficient, Ἡ θεία γραφὴ φησὶ, καὶ σὺ καθήμενος εἰς τὸν αἰῶνα, τοῦτῳ δηλοῦσα τῆς θεϊκῆς οὐσίας τὸ ἀμετάβλητον, i. e. Divina Scriptura dicit, et: - Tu sedens in aeternum: - Hoc ostendens divinae substantiae immutabilitatem. » Coelestinus papa per epistolam ad clerum et plebem Constantinopoli constitutam scribens, post synodum ephesinam Sapientiae (6) librum contra impios excipit: « Quis tamen, inquit, horum finis est? Nempe ille, quem legimus: - Irridebit illis Dominus, et erunt post hoc decidentes sine honore in contumelia, inter mortuos in aeternum. » In libello confessionis Eutichis (7) legitur responsum Dioscori episcopi alexandrini, quod stabilitur in verbis Ecclesiastici, quae prorsus respondent codici graeco vaticano: « Erubescens homines praevaricatus es, quod bonum est et fidem sprevisti, Οὐκ ἤκουσας, καὶ μὴ ἐντραπῆς εἰς πτῶσίν σου, i. e. Nonne audivisti, et non erubescas in ruinam tuam? » In actione quarta constantinopolitanae (8) synodi lecta Ephesi, et Calcedone relecta Sapientiae Scri-

(1) Lab. tom. III. p. 903. — (2) Lab. tom. III. pag. 986. — (3) Judith cap. XVI. 3. — (4) Ibid. p. 1330. et Eccl. c. XXXII. — (5) Bar. c. III. 3. — (6) Ibid. p. 1594. et Sap. c. IV. — (7) Lab. tom. IV. p. 918. et Eccl. IV. 27. — (8) Ibid. p. 990. et Sap. c. I.

ptura surgit: « Dei enim est dare sanitatem, nostrum autem expectare sospitatem ipsius: - Οὐτε γὰρ τέρπεται Θεὸς ἐπ' ἀλείᾳ τῶν ζώντων, i. e. Neque enim delectatur Deus perditione viventium. »

§. VIII. Hilarus, qui anno 463 Romae pontificatu fungebatur, suis, quae statuit, decretis mentionem quoque egit de Canone, et divisione sacrorum Bibliorum. Haec vero non aliunde apparent nisi ex codice divinarum Scripturarum antiquitate praestanti, utpote saeculo sexto conflato, qui summa cura in bibliotheca florentina-laurentiana servatur, (de quo in secunda parte disseram) *Biblia Amiatina* nuncupatus. In hujus codicis praefatione prima divisio legitur Bibliorum sacrorum a Hieronymo juxta hebraeos facta. Deinde divisio altera, qua duabus crucibus more graecorum inscribuntur omnes divini veteris et novi testamenti libri, in una scilicet cruce vetus, et in altera novum. In prima cruce hi libri enunciantur: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesus Nave, Judices, Ruth, Regum quatuor, Paralipomenon duo, Psalmorum quinque libri. Salomonis quinque, Proverbia, Sapientia, Ecclesiasticus, Ecclesiastes, Canticum Canticorum. Prophetae Isaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetae minores, Job, Tobis, Esther, Judith, Esdrae libri duo, Machabaeorum libri duo. Et censitis novi foederis libris in fine paginae haec verba leguntur: « Sic fiunt veteris et novi testamenti libri, sicut dividit sanctus Hilarus romanae urbis antistes, et Epiphanius cyprius, quem latino fecimus sermone transferri, libri septuaginta in illo palmarum numero fortasse praesagati, quas in mansione Helim invenit populus hebraeorum. » Sequitur tertia divisio Bibliorum juxta divum Augustinum, de qua suo loco dixi.

§. IX. Felix papa hujus nominis tertius sub finem saeculi quinti in epistola III. ad Petrum Fullonem ex synodo romana, de Deo uno testimonium advocat Baruch hisce verbis: « Sicque juxta tuam, et illorum rationem tres dii erunt; ac per hoc plurium deorum invalescet error; quantumque in te est, evacuabitur illud: - Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est: Καὶ ὅπερ ἔλεγεν ὁ Ἱερεμίας, Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν, οὐ λογισθήσεται ἕτερος πρὸς αὐτόν, i. e. Quodque dixit Hieremias: - Dominus Deus noster, non reputabitur alius ad eum. » Anno Domini 484, a conventu generali episcoporum catholicorum africae approbata fuit fidei ratio, quam Eugenius episcopus carthaginensis composuit. In ipsa legitur Danielis Deutero-Canonici sententia hoc modo: « Praescientiam re-

rum omnium in Domino esse, et occultorum cognitionem, licet nemo christianus ignoret, tamen ex Danielis libro monstrandum est: - Deus, inquit, qui occultorum cognitor es, qui praescius es omnium, antequam nascantur. »

§. X. Anno 494 Gelasio pontifice, Romae synodus convocatur. In hoc concilio quod romanum dictum fuit, praeter alia, de libris Scripturarum authenticis actum est. Inquit Severinus Binius in notis Labbei: « Ad fidem catholicam illibate custodiendam, dissidia tollenda, pacemque in Ecclesia restituendam, pontifex una cum concilio in eo potissimum laboravit, ut apostolicae Ecclesiae atque Catholicae communio nulla vel levi macula conspersa, illibata penitus, et impolluta, sarta, tectaque in omnibus servaretur. Ad hoc autem praestandum sollicitiorem curam impendens, non solum vindicasse voluit ipsam Ecclesiam ab omnibus, ut semper fuit, immunem haeresibus, atque haereticorum consortio, sed ut eam redderet a pravorum scriptorum contagione securam, omne studium adhibens, delectum habuit ecclesiasticorum librorum, qui hactenus editi legi solerent, secernendo pretiosum a vili. » Ob haec omnia die suo natali ab Ecclesia hoc donatur encomio: «Sed illud memorandum prae ceteris, quod libros Canonicos ab aliis, et probatas ab apocryphis in romana synodo septuaginta episcoporum singulari decreto distinxit.» Hic autem ordo librorum divinorum a beato Gelasio digestus in hoc concilio (omissis novi foederis libris non spectantibus ad rem nostram) Genesis liber unus, Exodi liber unus, Levitici unus, Numerorum liber unus, et Deuteronomii unus. Jesu e Nave liber unus, Judicum liber unus, Ruth liber unus, Salomonis libri tres, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum; item Sapientiae liber unus, Ecclesiastici liber unus; item ordo Prophetarum. Isaiae liber unus, Hieremias unus, Hinot unus, idest de lamentationibus suis, Ezechielis, Danielis, et duodecim Prophetarum minorum libri, quorum nomina transigo, ne thaedio sim lectori. Item ordo historiarum, Regum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Job liber unus, Tobiae unus, Esdrae unus, Esther unus, Judith liber unus, Machabaeorum liber unus. » Nota autem, Esdrae unus simul capit Neemiam, et Machabaeorum unus simul cum secundo colligitur. Non est autem mirandum si nonnulli, ut decretum gelasianum, hoc rejiciunt, quippe quod alteris inscribatur. Reapse Mansi suis in additionibus conciliorum agens de concilio Romae sub Gelasio habito addit: « Quamvis decretum hoc alii Damaso, alii Hormisdae tribuunt,

plerique tamen, et potissimum conciliorum collectores Gelasio concedunt. » Hoc autem quomodocumque sit nihil demonstrationi nostrae officit. Insuper notandum est, codicem lucensem haec praeter alios codices capere: « Incipit decretale ab urbe Romae editum, de recipiendis sive non recipiendis libris factum. Synodum sub Gelasio papa urbis Romae cum septuaginta episcopis. Incipit Prologus. Ad discutiendas, vel intelligendas Scripturas, quas in novo, vel veteri testamento a pluribus editas, illud apostolicum nobis convenit servare eloquium; prophetias, inquit, nolite spernere, omnia autem probate, ut plenius Dei operatione credamus illas esse conditas, quas de adventu Domini, ac nativitate, passione ipsius, et resurrectione certissime fuisse locutas, per quas enim nos credimus esse salvatos; ibi intelligimus illud ubi dixit: - Quod bonum est tenete: - ad repellendas, vel a catholicis renuendas Scripturas esse cognovimus, quas etiam vir eruditissimus Hieronymus repudiavit, esse damnatas sufficit nobis dicere, ut ab omni specie mala abstineamus. » (1) Fatendum quoque est, codices hujus synodi nonnullos censum librorum sacrorum non explicite praeseferre, hoc tamen parum refert, cum theologo facile sit excerpere ex apocryphis postea numeratis, qualis certus Canon divinorum Bibliorum hic erat inscribendus, et revera ab universali Ecclesia jam receptus, uti postea secunda parte a me erit probandum. Ut vero, qua auctoritate Scripturas Deuteras idem pontifex Gelasius reputaverit, satius dignoscatur, illius scripta percurramus contra haeresim pelagianam. In Epistola ad omnes episcopos per Picenum scribit: « Nonne haec est illa praesumptio naturalis, quae ad detestanda captivitatis jura descendit, quam Scriptura sancta (2) sic memorat (juxta Ecclesiasticum) : - Grave jugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque ad diem sepulturae. » Ibidem Sapientiae verba (3) retulit praedicens: « Hinc est, quod item dicit Scriptura (de pelagianis loquitur) quia semen erat maledictum. »

§. XI. Hanc aetatem assecuti, haud est necesse ut ulterioribus disquisitionibus investigemus pontificum vel synodorum in re nostra sententias, ne praestitutum ordinem invertamus; ast potius opus insumamus enucleantes sedulo veteris concilii canonem, quem nobis objiciunt adversarii veluti suae doctrinae faventem. Hunc

(1) Mansi in Conciliorum supplemento tom. I. p. 355. — (2) Eccl. c. XL. 6. 1. — (3) Sap. c. XII. 11.

tradit concilium laodicenum, de quo aliqua praemittenda. Synodus laodicena, ex Laodiceae nomine sic appellata, in Phrygia pacatiana sitae, convenit ex diversis Asiae regionibus. Juxta Nunechium Phrygiae metropolitanum, hoc in concilio congregati sunt triginta duo episcopi, et hos 59 vel 60 canones ad mores reformandos ediderunt. Primo loco versatur quaestio inter eruditos de hujus synodi aetate. Quidam ante nicaenam locum isti exhibent, vel potius, inter Neocaesareae et Niceae synodum congregatam existimant, in quibus elucet Baronius, cujus auctoritas non est tanta, ut opinionem evincat Petri de Marca, Tillemontii, Pagii, aliorum, qui post nicaenum concilium illud collocarunt, scilicet anno 360 vel 370. De Marca idem libro III. de concordia sacerdotii et imperii cap. III. inquit synodum laodicenam post nicaenam celebratam esse. Ostendit primo, quia canone septimo damnantur photiniani haeretici, qui aliquot annis post nicaenam emerserunt. Secundo in antiqua collectione, laodicena locum suum obtinet post antiochenam anno 341 collectam. Apud Gratianum quoque eidem aetati deputatur. Item apud synodum trullanam. Labbei idem rationibus aliis nicaenae synodo postponere videtur hoc concilium, de qua re, cum parum nostra haec quaestio intersit, cessantes, ad ejus statuta transeamus. Canones in quaestione leguntur signati num. 59 et 60, qui sic se habent: « νθ'. Ὅτι οὐ δεῖ ἰδιωτικοὺς ψαλμοὺς λέγεσθαι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, οὐδὲ ἀκανόνιστα βιβλία, ἀλλὰ μόνα τὰ κανονικὰ τῆς καινῆς, καὶ παλαιᾶς διαθήκης. ξ'. Ὅσα δεῖ β.-βλία ἀναγινώσκεσθαι τῆς παλαιᾶς διαθήκης, etc., i.e. Canon 59. Quod non oportet privatos psalmos, vel saeculares cantilenas in Ecclesia legi, neque libros non Canonicos, sed solas Scripturas Canonicas novi et veteris testamenti. » Canon sequitur 60: « Quotquot oportet legi Biblia veteris testamenti etc. » Et hic censetur numerus librorum veteris foederis, qui numerantur viginti duo, juxta eumdem Canonem et ordinem, qui servatur apud hebraeos, quemadmodum supra pluries descripsi, exceptis libro Baruch, et epistolis Hieremiae, qui graeco textui additi sunt, neque tamen apud Isidorum mercatorem inveniuntur; et sic explicit canon sexagesimus concilii.

Hisce positis lectorem non taedebit animadversionum, quas hic congruas existimo. Ante omnia, haec adversariis objicere possem de hujus concilii auctoritate. Quemvis non latebit varia synodorum convocatio, earumque species; scilicet concilia alia vocari generalia, vel aecumenica, provincialia alia et dioecesana.

Juxta autem talem eorum divisionem, hujusmodi quoque eorum auctoritas. Aliis verbis potius, inquam, si concilium erit oecumenicum, decretorum etiam in ipso auctoritas oecumenica erit, aliter si synodus particularis, idem erit rerum, quae statuuntur, testimonium et fides. His autem merito addas, synodi generalis ut talis sit auctoritas, et decreta sua uti dogmata fidei accipiantur, necesse esse summi pontificis in convocando approbationem, vel decretum, aeque ac quaeritur postea ejusdem synodi pontificalis confirmatio. Provinciale porro concilium vocatur illud, cujus conventus a metropolitano, vel primate unius provinciae vel regni mandatur. De hujus vero synodi auctoritate, quoties a summi pontificis ordinatione facta sit convocatio, deinde ab eodem comprobata fuerit, tunc dicendum erit hanc synodum, etsi provincialem, pollere auctoritate, ac minime suis in decretis errasse. His autem conditionibus obstantibus, haec synodus, ut inquit Melchior Canus, non certum quidem, sed probabile argumentum suppeditat ad fidei dogmata corroboranda. Modo in quaestionem nostram revertamur. Concilium laodicenum illis conditionibus caret, quibus rata haberentur ejus decreta; primo enim generalis non fuit ejus conventus, sed particularis, utpote ex quarumdam regionum episcopis collectus numero triginta duobus, qui ex diversis Asiae provinciis in Laodiceam convenerant. Praeterea haec synodus nullam praebet ex historia summorum pontificum approbationem, neque circa convocationem, neque de illius decretis. Obstant igitur tres qualitates praecipuae, quae maxime conferrent ad hujus concilii auctoritatem, generalitas nempe, convocationis pontificale mandatum, et canonum confirmatio.

Nequidem hujus synodi auctoritati favent nonnulla sancta decreta, et speciatim de Ecclesiae disciplina, quae aliis in conciliis et a patribus enunciata sunt, namque, hoc casu, ea sola relata erint decreta, quae ad Ecclesiae disciplinam spectabant, vel satius canonum momentis perspectis, iidem fuerint renovati. Sed concilia seu veteres scriptores quaedam synodi laodicenae dum commendant statuta, minime vero ceterorum canonum sancivere auctoritatem; quod hac in quaestione locum obtinet.

Nonnulli attamen adversarii penitus concilii laodiceni auctoritatem extulere, quam ipsi inquiunt, a synodo trullana, vel quinisexta mutuatum est, quae canone secundo praecipit, ut susciperentur inter alia, quae decreta fuerint in canonibus Laodiceae Phrygiae, ut jactat Rainoldus adversus Bellarminum et pontificios the-

se prima: « Concilium laodicenum approbatum a septimo concilio generali trullano, Canonem eumdem Scripturarum statuit, quem Ecclesia vetus, et nos retinemus. » Parum vel nihil auctoritatis exhibere hanc synodum, vel ejusdem decretum, patet ex sequentibus. Primum: « Sanctam et oecumenicam sextam synodum nullos condidisse canones, (1) tum graeci, tum latini fatentur scriptores omnes; qui autem ejus nomine circumferuntur duo illi supra centum, neque ab ipsa sunt editi, neque omnes a Sede apostolica acceptati. Sed longe postea canones isti in Trullo prodierunt, et valde recedunt ab apostolicis traditionibus et a doctrina, quae semper in Ecclesia servata est, ut in nonnullis ejus canonibus est videre; et ob alias rationes, quae demonstrant nullo modo inter oecumenica concilia quinisexti canones haberi posse, neque ipsos canones inter alios numerari, qui vim habent in Ecclesia Catholica, etiamsi venerando sextae synodi titulo sint insigniti. Quivis illa decreta legerit, non ab hujus veritate agnoscenda aberit. Si accidit autem, ut quidem ex iis canones a nonnullis romanis pontificibus, et a septima synodo sub nomine sexti concilii fuerint prolati, (quod juxta consuetudinem graecorum vix obtinuisset haec appellatio, et qui illos proferebant ad communem loquendi usum sese conformarent, ut fieri solet in citandis scriptorum locis) et ut multi in iis canones ad improbandam haereticorum pravitatem et stabiliendam Ecclesiae disciplinam sint accommodati, qui certe canones non ex hujus auctoritate conventus, sed cum sint apostolicis statutis congruentes aliunde vim suam nanciscuntur; quare ex eo, quod aliqui recepti sint, non sequitur omnes trullanos canones fuisse approbatos.» Eaedem rationes de synodo laodicena repetantur; idcirco ambo concilia, quorum primum alterius fulcitur auctoritati, et vicissim, omni destituuntur pondere. Et ob hoc leviter ab omnibus suscipitur, quanti sint facienda Rainoldi argumenta, et Burnet propositio in articulo sexto ecclesiae anglicanae deliberata.

Neque hic animadvertendum existimo quidquid scriptores aliqui excogitarunt de hac synodo laodicena, quippe quae ab haereticis habita fuit; neque illud addam Bibliorum Canonem hoc in concilio descriptum conformari ecclesiae graecae sententiae, quam supra explicavi. Dixi hujus Ecclesiae doctores prudentiae causa, et opportuno in censione divinarum Scripturarum canonem hebrai-

(1) Labbei tom. VII. p. 1327.

cum secutos fuisse, quas tuto, palam et coram omnibus, nullis contradicentibus, in testimonium pronunciabant, omissis aliis, quae fidelibus alicujus scandali causae fuissent.

§. XII. His omnibus de hujus concilii auctoritate relatis, parum videtur quaestioni nostrae officere canon sexagesimus. Ulterius vero progressi scriptores veteres ineamus, qui de hac synodo, et de ejusdem decretis mentionem fecere; fortasse enim minoris fient hujus canonis verba. Dionysius exiguus, qui vixit sub finem saeculi quinti, rogante Stephano salonitano praesule, canones ecclesiasticos e graecis exemplaribus vertit, ut ipse suis litteris ad ipsum Stephanum significavit dicens: «Sicut habentur in graeca auctoritate digessimus.» Censens porro ille concilii laodiceni canones, juxta ejusdem interpretationem, numeravit canones quinquaginta novem, quibus eorum tituli conformantur, et ultimi canonis 59 verba graeca sic transtulit: « Quod non oportet plebejos psalmos in ecclesiis cantare, nec libros praeter Canonem legi, sed solum sacra volumina novi testamenti, vel veteris. » Hisce verbis explicit numerus canonum laodicenae synodi juxta dionysianam collectionem. Cum tribus praesertim Dionysii ejusdem manuscriptis Bibliothecae parisiensis Soc. Jesu hanc laodiceni concilii versionem contulit Arduinus, in quibus post titulos canonum, haec habetur de Dionysio adnotatio: (1) « Incipit textus canonum concilii laodicensis, expositi apud laudiciam Phrygiae numero quinquaginta octo. » Et hoc accidit eo quod in collectionibus quibusdam canon 58 desideretur.

Paulo ante dimidium saeculi sexti Martinus dumiensis, civitatis bracarensis in Lusitania episcopus, vir clarus, et graecis latinisque litteris peritus in Orientem iter suscepit ad illa loca sancta visenda. Ibidem collectionem canonum ex graecis synodis adornavit, in qua conficienda, ut fatetur in sua praefatione, multa cura et sedulitate usus est. In hoc opere Martinus censet canonem laodicenum num. 59 signatum his verbis: « Non oportet ab idiotis psalmos compositos et vulgares in ecclesiis dici, neque libros, qui sunt extra canonem legere, nisi solos canonicos novi, vel veteris testamenti. » Praeter haec, nihil aliud addit episcopus, neque infra de horum librorum censu, neque de canone sexagesimo verbum quidem. Editor quoque editionem vulgatam horum canonum per eumdem auctorem, contulit bibliothecae Thua-

(1) Labbei tom. I. p. 1530. edit. Ven. an. 1728.

nae codici, qui eumdem canonem offerebat, iisdemque verbis expressum. Idem quoque firmatur a codice in bibliotheca medicolaurentiana Florentiae servato pluteo XVI. num. 15, qui eadem verba exhibet ab episcopo Martino exarata.

In collectione Joannis antiocheni presbyteri scholastici, qui postea fuit patriarcha constantinopolitanus a Justiniano imperatore in locum Eutichis suffectus, leguntur canones quinquaginta novem a patribus laodicenis Phrygiae congregatis expositi, ac sic excipitur in ordine canonum, quem ipse operi praeposuit. Deinde titulo quinquagesimo, qui versatur speciatim de divinis Scripturis, praeter canones aliarum synodorum, qui ad hoc negotium spectabant, enarravit Ioannes decreta laodicena XVI. XVII. XVIII. XIX. et postremo canonem ejusdem concilii quinquagesimum nonum retulit his verbis tantum: « Quod non oportet privatos, et vulgares psalmos dici in Ecclesia, nec libros non Canonicos, sed solos Canonicos veteris et novi testamenti. » In bibliotheca vindobonensi a Lambecio illustrata extat codex graecus signatus num. 44 antea 129 membranaceus et pervetustus in folio, ab Augerio Busbechio, ut ipse solita propriae manus inscriptione testatur, olim fuit comparatus Constantinopoli. Continentur in eo canones variorum conciliorum generalium et provincialium etc. In folio 20 hujus codicis habentur canones concilii laodiceni in numero quinquaginta novem ab anonymo quodam antiquo scholiaste graece annotationibus marginalibus et interlinearibus illustrati. Item in codice alio antiquissimo graeco conciliorum signato numer. 26 desideratur prorsus canon sexagesimus concilii laodiceni, teste Hodj de Septuaginta interpretum versione. Hoc manuscriptum extabat Venetiis in bibliotheca Barocci, cujus codices venditi Londinum translati sunt.

In collectione Isidori Mercatoris sive Peccatoris, quisquis ille fuerit, habentur canones concilii ejusdem laodiceni, qui juxta eorum titulos numerantur quinquaginta novem. Harduinus idem, juxta Labbei in notis de hac synodo, hanc versionem contulit cum tergemina collectione MS. Isidori Mercatoris Biblioth. paris. Societatis Jesu, quarum in una haec est Isidori adnotatio: « Laodicensis synodus, in qua patres viginti duo statuerunt canones quinquaginta novem; quorum auctor maxime Theodosius episcopus existit, subscribentibus Niceta, Macedonio, Anatolio et ceteris. » Isidorus idem, qui vixit saeculo octavo, ut habetur in sua praefatione apud eumdem Labbei, ex antiquis codicibus hoc

suum opus hausisse fatetur. Miror autem, quomodo collectioni Mercatoris a Labbei editae insertus sit canon sexagesimus huic synodo, qui juxta titulos, et ejusdem scriptoris codices locum nullum haberet. Fortasse haec additio Isidori collectioni facta est primum per Crabbium, de quo paulo post, qui, ut notat Mansi, ausus est codici isidoriano concilii carthaginensis tertii imprimere, quae eidem codici deerant, quemadmodum revera nonnulla verba inseruit huic canoni 60 laodiceno, prout exhibet illius collectio, quae ubique desiderantur.

Photius, qui vixit saeculo nono, in suo Nomocanone, titulo secundo de fide cap. II. ea censens Biblia, quae in Ecclesia legi oportet, memorato canone Apostolorum, et carthaginensi, canones addit laodicenos XVI. XVII. XVIII. XIX. XXIII. LIX. ut supra descripsi; de canone vero sexagesimo, ubi explicite numerantur isti libri sacri, nulla est mentio.

Saeculo XI. vixit divus Ivo carnotensis episcopus parte tertia de Ecclesia, et rebus ecclesiasticis cap. CCLXII. « Quod non oportet plebejos psalmos in Ecclesia cantare. » Ex laodiceno concilio extulit canonem LIX « Quod non oportet plebejos psalmos in ecclesiis cantare, nec libros praeter Canonem legi, sed solum sacra volumina novi testamenti, vel veteris. » Nec hic, neque alibi Ivo citat canonem LX. laodicenum; et quando ipse notavit distincte libros Canonicos, nullam hujus synodi vel canonis habuit rationem.

In epitome canonum Symeonis magistri Logothetae legitur canon quinquagesimus laodicenus, nonnullis omissis, qui sic se habet: « Libri a privatis compositi in templis non leguntur. »

Joannes Quintinus Heduus in praefatione collectionis conciliorum per Zonaram elaborata, de hac scribit: « E regis bibliotheca pervenit ad nos illa synodorum rhapsodia per Zonaram, nonnihil, quoad seriem contentorum pertineat, ab Hilariano quodam pictaviensi canonum libro valde vetusto diversa. Hunc Hilarianum codicem emendatiorem regio illo Zonarae codice existimat Quintinus, neque Zonarae hermenias capit, et ante annos quingentos, nondum Zonara ipso nato, exaratus videtur. » Notata deinde a Joanne Quintino discrepantia inter Zonarae et pictaviensem codicem, eruitur laodicenum concilium juxta Zonaram complecti canones sexaginta; Hilarianum vero uno minus.

In codice lucensi conciliorum, de synodo laodicena leguntur haec

verba: » Incipiunt tituli canonum apud laudiciam Phrygiae congregati num. 59. »

In praefatione Syntagmatis alphabetici rerum omnium, quae in sacris canonibus comprehenduntur, elaborati per Matthaeum Blastarem, qui vixit saeculo XIV. de locali synodo laodiceae habita scribit: « Post sardicensem etiam in laodicea Phrygiae metropoli alia Ss. Patrum synodus congregata est, et canones quinquaginta novem edidit. » Describens deinde canones, in omnibus obsecutus Zonarae et Balsamonae quasi magistro discipulus censet canonem 60 ac eorumdem scriptorum glossas, sicuti infra expendemus. (1) In collectione conciliorum per Crabe edita Coloniae anno 1530 duae editiones proferuntur, prima antiqua appellatur, nova altera, tituli canonum numerantur 59. In antiqua editione legitur canon 59 in illis verbis tantum a Dionysio Exiguo, et a Martino dumiensi relatis. In nova vero editione leguntur eadem verba, sed in fine canonum adduntur verba canonis 60, idest numerus Bibliorum quae legenda erant, ut apud Zonaram et Balsamonem traditur, cui etiam Scripturarum numero haec verba super addere: « Quae autem oporteat legi, et *in auctoritatem recipi* haec sunt etc. » Visum est auctori, quod nullibi codicum eruitur. Tandem canones quinquaginta novem constitutos esse hac in synodo juxta numerum titulorum asserit Baronii compendium.

Non tantum codices veteris Ecclesiae graecae et latinae a concilio laodiceno removent canonem sexagesimum; verum etiam variae et heterodoxae syrorum ecclesiae e suis antiquis synodorum collectionibus respuunt illum canonem laodicenum. In bibliotheca vaticana tres codices syriacos inveni, in quibus hic canon non apparet. Codex syriacus in quarto, membraneus pervetustus litteris stronghelis exaratus num. 127 signatus, continet omnes conciliorum canones, qui in ecclesia syriaca antiochena ab Apostolis usque ad concilium chalcedonense instituti sunt. Juxta Assemani hic codex exaratus videtur saeculo Christi decimo. In folio 69 habentur canones concilii laodiceni in num. 59 quorum ultimus haec tradit: « ܕܠܐ ܘܳܠܶܐ ܕܡܙܡܘܪ̈ܐ ܕܒܢܝ̈ܢܫܐ ܕܐܢܫ ܢܬܐܡܪܘܢ ܒܥܕܬܐ ܘܠܐ ܟܬܒ̈ܐ ܠܐ ܩܢܘܢܝ̈ܐ ܐܠܐ ܒܠܚܘܕ ܗܠܝܢ ܩܢܘܢܝ̈ܐ ܕܕܝܬܩܐ ܚܕܬܐ ܘܥܬܝܩܬܐ i. e. Quoniam non oportet ut psalmi privati hominis di-

(1) Beveregius in Pandectis Canonum SS. Apostolorum, et Conciliorum, quae ab Ecclesia graeca recepta sunt.

cantur in ecclesiis, neque Scripturae non Canonicae; sed tantum illae Canonicae testamenti novi et veteris. » Praeter ea, nihil aliud legitur. Item codex arabicus charactere syriaco exaratus, qui e Constantinopoli in bibliothecam regiam translatus est et octingentis ab hinc annis dicitur descriptus, conciliorum canonem profert antiquorum; cap. XI. numerantur concilii laodiceni canones numero 59.

In altero codice vaticano num. 133 lingua arabica et litteris syriacis descriptus continetur Nomo-canon Davidis archiepiscopi maronitae in tres partes distributus. Huic codici praecedit epistola Josephi abbatis et presbyteri missa ad laudatum archiepiscopum anno Christi 1059, qua eum rogat, ut ecclesiasticos sibi canones e syriaco in arabicum conversos transmittat. In hoc codice, folio 241 canones laodiceni in num. 59 enunciantur. In hoc postremo vero canone leguntur fere eadem verba, quae supra recitata sunt in canone syriaco, et de canone 60 circa numerum, ac titulum divinorum librorum, ne verbum quidem scribitur.

Insuper codex bombicinus num. 130 in eadem Bibliotheca litteris syriacis exaratus, sermone tamen arabico historiam complectitur, et canones conciliorum generalium et particularium usque ad concilium florentinum. In eodem numerantur canones concilii laodiceni in numero خمسة وخمسين novem et quinquaginta canonum.

Hisce positis, quodammodo nobis conjicere licet ante Zonaram et Balsamonam in synodo laodicena legi tantum canones quinquaginta novem, neque apparet hujus concilii patres canonem sexagesimum, neque Scripturarum catalogum hic animadvertisse; et ideo a saeculo Ecclesiae quarto ad decimum secundum, vel per annos septingentos circiter, fidelibus iste canon haud innotuisse videtur.

§. XIII. Modo vero expendendum superest quidquid iidem Zonaras et Balsamon suis in collectionibus conciliorum, et commentariis tradidere de hac synodo, ac de sexagesimo canone, qui apud ipsos legitur, ut supra primo loco graece descripsi.

Zonaras, qui initio saeculi decimi secundi scribebat, a militia et a saeculi pompis alienus factus in solitudinem secessit, ubi concilia septem generalia, aparchica multa et carthaginensia collegit, quas omnes synodos quibusdam commentariis explicavit. Inter ecclesiasticos canones redegit primum, et quadam auctoritate praeditos, canones illos qui apostolici dicuntur, et maxime

postremos illos, qui vulgo parum auctoritatis conferunt. Et praeter alia, quae de eo arguenda sunt, iste homo graecus erat, in plerisque non satis ecclesiis latinis praebebat se aequum. Is, ut dixi, primus mihi videtur, qui synodo laodicenae inseruit canonem graecum sexagesimum, catalogum divinarum Scripturarum praeseferentem. Censito enim canone quinquagesimo nono illis verbis: « Quod non oportet privatos psalmos in Ecclesia legi, neque libros non Canonicos, sed solas Scripturas Canonicas novi, vel veteris testamenti » Commentarium vel glossam juxta consuetudinem addit, dicens: « Canonicos porro libros eos, qui sanctorum Apostolorum (etsi falso) octogesimo quinto canone recensentur, non Canonicos, quorum nulla in eo canone mentio est, nominarunt; deinde vero ipsa quoque veteris, et novi testamenti volumina suo quoque nomine memorarunt dicentes: - Haec sunt quae legi oportet ex veteri testamento etc., et censitis omnibus Scripturae libris explicit canon sexagesimus, qui omnino apparet esse quaedam suipsius glossae continuatio, quam vel e canone 85 Apostolico vel ex aliis patribus, qui Bibliorum catalogum descripsere juxta judaeorum mentem, exportans, huic loco inseruit. Ut autem clarius pateat canonem 60 laodicenum esse Zonarae glossam vel alterius illius aevi, legantur quae idem scripsit de canone 27 concilii carthaginensis, (1) qui, juxta suam collectionem, respicit sacrarum Scripturarum numerum. Censitis enim divinis libris, hoc addit scholion: « Περὶ τοῦ, τίνα δεῖ ἀναγινώσκεσθαι Βιβλία ἐπ' ἐκκλησίᾳ, καὶ ὁ τελευταῖος τῶν Ἀποστολικῶν Κανόνων διαλαμβάνει, καὶ ὁ τῆς ἐν Λαοδικίᾳ συνόδου ν θ'. Κανών, καὶ ὁ μέγας Ἀθανάσιος ἀπαριθμεῖται ὅσα, etc. i. e. De hoc, quos libros legere oportet in Ecclesia, et ultimus Apostolorum canon demonstrat, et canon quinquagesimus nonus in synodo laodicena, et magnus Athanasius enumerat quotquot oporteat legi, et magnus Gregorius theologus et magnus Amphilochius. » Hujus canonis carthaginensis glossa a Zonara, memorato laodiceno canone 59, etiam sexagesimus ei addendus erat, si vere foetus, et non glossa illius concilii fuisset.

Balsamon porro, in duodecimi saeculi fine canonum Apostolorum, synodorum generalium et provincialium collectionem eamdem, ac Zonara, compegit et commentariis ornavit. In hoc vero opere Balsamon, ut ait Bellarminus, latinae et Romanae Ecclesiae infensissimus apocryphos cum authenticis miscuit Ecclesiae canones. Ut

(1) Zonara pag. 415.

autem is ad synodum laodicenam pervenit, descripto canone 59 ut supra, scholion adponit dicens de psalmis privatis: « Patres ergo eos privatos nominantes, statuerunt, ut neque ii, neque aliquid aliud in Ecclesia legatur, quod non sit ex iis, quae sunt enumerata in octogesimo quinto canone apostolico. » Postea Balsamon censet canonem sexagesimum, et sigillatim explicat libros, qui in Ecclesia legendi erant, quo explicito, nullam glossam contulit ipse, quinimmo ad cetera transit. Insuper Balsamon ob oculos habuit continuo hac in conciliorum collatione, Photii Nomocanonem, in quo magnum opus consumpsit, in interpretandis illis, quae in eo continebantur. Supra vidimus Photii Nomo-canonem non exhibere decretum sexagesimum concilii laodiceni de sanctorum librorum numero, quod reapse innuit, Balsamonem a Zonara vel ab alio mutuatum esse illum canonem, et inter laodicenos descripsisse, ac postero tempore in Ecclesia christiana habitum fuisse ut canonem ex illis, qui a patribus laodicenis sanciti fuere. Et revera de hoc canone mentionem agit postea Arsenius monachus hierosolymitanus, qui saeculo decimo tertio post celebratos auctores vixit, in sua conciliorum synopsi synodo laodicenae hunc 60 canonem connectens. Idem alii fecerunt ad nostram usque aetatem.

Denique circa hujus canonis antiquitatem et auctoritatem duo mihi placet lectori objicere. Primum, tres Ecclesiae scriptores, qui saeculo sexto vixere, Dionysius scilicet Exiguus, Martinus dumiensis et Joannes antiochenus in synopsi conciliorum, nec canonem sexagesimum laodicenum, neque numerum divinorum Bibliorum ab hac synodo sancitum, memorasse. Secundo, notandum est, fieri non posse a patribus laodicenis sanctionem canonis sexagesimi, quippe qui universalis Ecclesiae institutioni adversabatur, cum proditum sit juxta relata in omnibus Christi ecclesiis legi Scripturas omnes, non Proto-canonicas tantum, quae huic canoni insertae sunt, verum etiam Biblia Deutero-Canonica, quamvis ob hebraeorum et eorum proselytarum offensionem, quadam ratione eis occultatae erant, et in auctoritatem contra eosdem non proferebantur. Insuper sit notum et canonem quinquagesimum nonum illis verbis, solummodo Scripturarum lectionem in ecclesiis respexisse, non autem earum auctoritatem, dicit enim: « Quod non oportet privatos psalmos in ecclesiis legi, neque libros, qui sunt extra canonem. » Alicubi enim prava consuetudo inoleverat in ecclesiis cantandi praeter libros et sacros hymnos, psalmos

vel cantilenas vulgares ab idiotis compositas, sicuti antiqui scriptores de hoc canone tradidere, et maxime Eusebius in epistola synodica contra Paulum samosatenum, ubi ob hoc arguitur ab episcopis idem haereticus. (1) In hoc tantum animadverterunt laodiceni patres.

Ex hac canonis apocryphi disquisitione, de quo modo videntur singula genuitatis indicia sublata esse, pro eo, quod conjiciendum esset synodum laodicenam Bibliorum Deuterorum officere auctoritati, latiorem viam nobis aperire, ut dicatur, scilicet concilium nicaenum quaedam decrevisse de lectione divinarum Scripturarum in ecclesiis, ut innuit Hieronymus in praefatione libri Judith, et ex capitulo codicis Vallicellani per clarissimum Blanchini illustrati, de quibus paulo antea habui sermonem. Nam illud concilium laodicenum, sicuti africanum utpote provincialia sectata sunt suis in constitutionibus statuta omnia, quae in conventu nicaeno Catholicae Ecclesiae gerente personam praescripta fuerunt, ut aperte innuunt patres africani. Et hac ratione conveniunt pariter, fere iisdem verbis, synodi tum laodicena dicta, carthaginensis sub Siricio papa anno Christi 397 in canone trigesimo octavo, tum altera carthaginensis sub Bonifacio anno 419, ubi legitur: « Ut praeter Scripturas (2) Canonicas nihil in Ecclesia legatur. » Tantum in hoc postremo concilio africano praeter dicta, explicitus est numerus, ac nomen omnium librorum divinorum, quando e contra implicite libri sacri censiti erant primum in constitutionibus nicaeni, cujus verba deinde in aliis repetita fuere, quod erat demonstrandum.

Jam jam doctrina de Scripturis Deutero-Canonicis veteris testamenti, prioribus ecclesiae saeculis, non varia, neque opposita fuisse, sed una eademque ubique terrarum perstitisse videtur, quod luculentius altera parte explanabitur.

(1) Euseb. Hist. Eccl. lib. VII. c. XXIV. — (2) Vocabulum γράφω *grapho* juxta ethnicos scriptores, et inspecta illius etymologia innuit, *digito*, aut *instrumento aliquid pingo*, *describo*; item γραφή *graphi* quaecumque Scriptura, et metaphorice *accusationem* exprimit, sive *judicium criminum publicorum*, teste Suida. Ex ore Christi vero, et Apostolorum suorum γραφή liber divinitus inspiratus innuitur, seu antiqui hebraeorum prophetarum libri nuncupati fuere. Et haec dictio postea ab omnibus Ecclesiae graecae patribus tum ad veteris, tum novi foederis divinos significandos libros consacrata fuit, et a latinis doctoribus in *Scriptura* vocabulum versa, et eadem interpretatione munita.

PROPOSITIO VIII.

Sententiarum epitome, quas de Scripturis Deutero-Canonicis veteris foederis Ecclesiae doctores scripto mandarunt, ab initio saeculi sexti usque ad concilii tridentini aetatem.

§. I. Hucusque studium nostrum, et sollicitudo in Ecclesiae patrum sententiis de Bibliis Deutero-Canonicis exponendis est versata, et quidquid ipsi sigillatim de hac quaestione senserunt, pro viribus nostris explicare curavimus. Nunc vero aetatem praetergressi, qua adversarii contra Scripturas Deuteras veteris foederis vocem extulere, et illud tempus assecuti, quo ipsi quasi nobiscum pariter de earum usu et divinitate, quibus ab ecclesiasticis doctoribus aestimatae fuerunt, conveniebant, prioribus curis omissis, vias planiores percurrentes, brevi syntagmate, ut ita dicam, Ecclesiae scriptorum sententias exponemus, quibus ipsi ab initio saeculi sexti ad concilii tridentini aetatem usque, Bibliorum Deutero-Canonicorum divinitatem testati sunt.

§. II. Primus nobis adstat in Ecclesia latina Cassiodorus, qui sub dimidium saeculi sexti christiana pietate et divinorum librorum studiis claruit. In adolescentia enim, curis saecularibus studuit, deinde monachus effectus totum sese divinis rebus addixit, aliique etiam curavit, ut hoc in negotio laborarent. Cum Agapyto pontifice nisus est Romae scholas publicas instituere pro sacris Scripturis addiscendis, sicuti Alexandriae hoc institutum ab antiquis temporibus servatum erat. Nos modo e suis scriptis exquirentes, quae de Scripturis Deuteris docuit, in suum librum incidimus, qui titulum effert: - De institutione divinarum litterarum. - In hoc Cassiodorus tres classes proponit, in quibus dividuntur divinae Scripturae. In prima classe deponit canonem librorum juxta divum Hieronymum, quem ipse fatetur se judaeorum menti accommodasse, et e libris eorum esse interpretatum, ut ipsorum pertinaciam redargueret. Secundae classi inseruit Canonem divinorum librorum juxta divum Augustinum, quem nos supra exposuimus. Tertiae classi adposuit Canonem juxta antiquam translationem et secundum Septuaginta.

Integra autem Scriptura divina, quae, ut ipse Cassiodorus ait, superna luce resplendet, et in ea virtus Spiritus Sancti evidenter irradiat, in novem codices, sub collatione priscorum codicum, ab

eo legebatur. Deinde enumerat libros sacros, qui unicuique codicum inserti erant: « In quinto enim codice censentur libri Salomonis quinque, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, Proverbia, Sapientiae liber, de quo Augustinus et Ambrosius nomine homiliarum nonnulla dixerunt, et presbyter Bellator expositionem assumpsisse testatus est; et Ecclesiasticus, cujus juxta Hieronymum Jesus Sirach filius auctor habetur. In sexto codice continetur liber Job.... Tobiae autem in libris quinque, Esther in libris sex, Judith in libris septem, et Machabaeorum in libris decem, expositio in latinum sermonem praedicti Bellatoris presbyteri, ut praevalet, labore confecta est, quorum tamen librorum titulos sub brevitate collegi, quando instructionis non minimum creditur esse compendium, res fusas latissime, paucis sermonibus indicare. His remediis lectoris animus introductus saluberrimam Scripturarum seriem provocatus excurrit. » Quali autem auctoritate has Deuteras Scripturas donaverit Cassiodorus suis in scriptis, breviter exponam. In Psalmo XII, de Tobiae et Judith libro haec verba hausit sic praefatus: « Nam et alibi in re certa sic ponitur (agit enim de vocabulo *forsitan*): - Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forsitan periissem in humilitate mea: - Tobias quoque Propheta sic ait: - Convertimini (1), peccatores, facite justitiam coram Domino; quis scit si velit vos, et faciet vobiscum misericordiam suam: - Et alibi scriptum est: - Et elevate (2) cum fletu oculos vestros in coelum, forsitan miserebitur nostri Dominus, et servabit nos. » In Psalmo CIII. ex Esther scribit: « Versus iste significat quod et alibi dictum est: - In voluntate tua Domine (Esther c. XIII.) universa sunt posita, et non est qui possit voluntati tuae resistere. » Psalmo CXXXIV. ex Hieremiae epistola hoc testimonium sumit: « Unde Hieremias Propheta in epistola sua judaeos commonens dicit: - Nam linguae eorum politae a fabro, ipsa autem inaurata et inargentata falsa sunt (idola) et non possunt loqui. » De Baruch insuper haec legit: « Inter homines habitasse corporaliter cognoscitur Christus, sicut Baruch Propheta praedixit: - Post haec in terra visus est, et cum hominibus conversatus est. » Libri primi Machabaeorum, verba psalmi LXXVIII. interpretatus: - Posuerunt Jerusalem pomorum custodiam: - Recordatur scribens: « Sed impiae gentis in sanctissimis locis simulacra nefanda praesumptione posuerunt, ut ibi colebatur verus

(1) Tobit. c. XIII. — (2) Judith c. VII.

Deus, ibi immundus adoraretur spiritus. Sic enim de Antiocho in Machabaeorum libro legitur:- Jussit coinquinari sancta, et sanctum populum Israel; jussit aedificari aras, et templa, et idola, ut immolarent carnes suillas. » Psalmo XXXVI. e Sapientiae libro haec probat: « Nam perire opera infidelium, non tam nostris verbis, quam Salomone dicente (1) probabimus; dicturi sunt enim in judicio: - Quid nobis profuit superbia, aut quid divitiarum jactantia contulit nobis? transierunt omnia illa tamquam umbra. » Psalmo LXXIII. 30. Ecclesiastici sententiam protulit, in ea verba: - Tu fecisti solem et lunam: - Haec omnia nomina, scribit, per exempla magis planius exponuntur. Sol sapientem significat, luna stultum, sicut scriptum est: - Sapiens (2) permanet sicut sol, stultus autem ut luna mutatur. » Haec satisfiant ad Cassiodori mentem pro Scripturis Deuteris dignoscendam.

§. III. Isaacus syrus, sub finem saeculi sexti, presbyter antiochenus ad Ecclesiastici (3) librum venit, suis in sermonibus sic praefatus: « Ne accedas, Scriptura dicens, ad Deum in duplicitate cordis, sed ad illum accede sicut qui seminat et metit. »

§. IV. Eodem tempore sanctitate et doctrina eximius et in sacris litteris magna eruditione foecundus emicuit divus Gregorius in Ecclesia *Magnus* nuncupatus. Hic primus habetur qui in regimine Ecclesiae universalis hoc nomine donaretur. Ex ejus scriptis, quae adhuc supersunt Bibliorum Deutero-Canonicorum divina est eruenda auctoritas. Ille enim in praefatione libri Regum postquam de Scriptura dixit: - Quia divinitus est inspirata; tanto sublimius, etiam praeclara hominum ingenia superat, quanto ipsi praeclari homines Deo inferiores sunt. » Capite tertio Regum, librum Sapientiae (4) appellat his verbis: « Nam etsi Scriptura dicat, quia panem omnem suavitatem habentem, et omnem dulcedinem Deus ei dedit etc. » Ejusdem libri auctoritatem lib. VII. epist. 7. ad Petrum Domitianum, et Elpidium saepe exaltat, praepositis verbis *scriptum est.* » Sirach libro (5) utitur hoc modo: « Sed quanta animadversione eos renuat, per Salomonem Dominus demonstrat dicens: - Qui offert sacrificium de substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. » Libro primo Regum cap. VII. ejusdem libri (6) verba inseruit scribens: - Unde et sa-

(1) Sap.c.V. 8. — (2) Eccl. cap. XXVII. 12. — (3) Eccl. c. I. 36. — (4) Edit. Maur. et Sap. c.XVI. 20. — (5) Tom. II. p. 68. et Eccl. c.XXXIV. — (6) Eccl. c. VII. 15.

era Scriptura admonet dicens: - Non iteres verbum in oratione.» Quam saepissime Gregorius sententiis ex Ecclesiastici et Sapientiae libris desumptis in auctoritatem utitur. In parte tertia de summi pontificis pastorali cura admonitione XXI. praeter alios sacros libros, Tobiae verba (1) ad filium suum colligit: « Ne saltem aliquid praebeant, quibus omnino conferre nihil debent, audiant quid scriptum: - Panem tuum, et vinum super sepulturam justi constitue, et noli ex eo manducare, et bibere cum peccatoribus.» Libro II. dialogorum cap. XXII. de visionum, quae noctu fiunt, possibilitate disserens, ait: «Quid est quod perscrutans rei gestae ordinem ambigis pater? Liquet profecto quia mobilioris naturae est Spiritus, quam corpus, et certe Scriptura teste novimus, quod Propheta (Habacuch) ex Judaea sublevatus, repente est cum prandio in Chaldaea depositus, quo videlicet prandio Prophetam refecit, seque repente in Judaea iterum invenit.» Lectorem attamen celare nequeo quidquid divus Gregorius in libros Moralium ex capite XXVIII. beati Job, exposuit de Machabaeorum libris; sic enim scribit: « De qua re non inordinate agimus si ex libris licet non Canonicis, sed tamen ad aedificationem Ecclesiae editis, proferamus etc. Haec Gregorii verba de Machabaeorum libris profecto quid admirationis excitant, dum antea, ut est probatum, libros Deutero-Canonicos divinae Scripturae titulo insignivit, nullamque differentiam innuit inter Priores et Posteriores. Claro autem patet dicta illa ex Hieronymi distinctione emanare, quam ipse instituit in praefatione librorum Salomonis, quamque Gregorius vel quisquis alius in hos libros Moralium transtulit. Supra satis disceptatum est qua ratione Hieronymus Canonicas Scripturas Priores appellavit seorsim a Deutero-Canonicis, quas minoris auctoritatis aestimavit. Insuper observare libet quidquid editores Maurini notarunt: « Elucubrationes scilicet exegeticas in sacram Scripturam non esse ita genuina sancti Gregorii opera, ut omnis interpolationis expertes sint.»

Paterius et Alulfus Gregorii ejusdem discipuli Biblia veteris foederis Deutero-Canonica Scripturae nomine decorata citarunt.

§. V. Initio saeculi septimi, Hispali episcopatu defunctus est sanctus Isidorus. Iste quantum scientiis ejusdem aetatis ceteris praestiterit et sanctorum librorum interpretatione, ac Ecclesiastica eruditione, e suis scriptis constat. Nos vero tantum ad rem no-

(1) Tob. c. IV.

stram suos libros perscrutabimur. Trithemius, qui texit catalogum operum suorum, sic in Scripturis ait: « In Genesim (1) scripsit librum unum, in Exodum lib. 1. in Leviticum lib. 1. in Numeros lib. 1., in Deuteronomium lib. 1., in Josue lib. 1., In Judices lib. 1., In Regum libros quatuor, in Ruth lib. 1., in Paralipomenon libros duos. In Esdram et Neemiam libros tres. In Tobiam lib. 1, in Esther lib. 1, in Judith lib. 1. In Job unum, in Psalterium unum, in Proverbia Salomonis lib. 1, in Ecclesiasten librum unum, in Canticum Canticorum lib. 1, in librum Sapientiae lib. unum, in Ecclesiasticum lib. 1, In Isaiam Prophetam librum unum. In Hieremiam lib. 1, in Danielem lib. 1, in Ezechielem unum, in duodecim Prophetas minores duodecim libros. In Machabaeos libros duos. » Hic tantum significantur libri sacri, in quibus sanctus doctor expositionem perfecit. Quae vero ei foret opinio de illorum librorum auctoritate, de scriptoribus (2) sacrorum voluminum cap. XII. hoc est excipiendum, ubi sic loquitur: « Veteris autem testamenti scriptores secundum traditionem judaeorum tradit primum, quos mihi frustra est hic enarrare, cum saepissime de eorum Canone supra mentionem feci. » In fine autem istius enarrationis addit celebratus episcopus: « Omnes hos libros idem Esdras Propheta post incensam legem a chaldaeis, afflatus Spiritu Sancto reparavit. » Et nonnullis interjectis, sequitur dicens: « Librum Sapientiae Salomonem scripsisse probatur illis, quibus ibi legitur: - Tu, inquit, me elegisti regem in populo tuo, et dixisti aedificare templum in nomine sancto tuo, et in civitate habitationis tuae: - Hoc opus hebraei, ut quidam sapientum meminit, inter Canonicas Scripturas recipiebant, sed postquam comprehendentes Christum interfecerunt, memorantes tam evidentissima in eodem libro testimonia, quibus dicitur: - Dixerunt inter se impii, comprehendamus justum, quoniam inutilis nobis, et contrarius est operibus nostris, et promittit scientiam Dei habere, et filium Dei se nominat.... morte turpissima condemnemus eum: - Collatione facta, ne nostri eis pro tam aperto sacrilegio derogarent, propheticis voluminibus reciderunt, legendumque suis prohibuerunt. Librum vero Ecclesiasticum composuit Jesus filius Sirach hierosolymitanus nepos Jesu sacerdotis, de quo meminit Zacharias, qui liber apud latinos propter eloquii similitudinem Salomonis titulo praenotatur. Praeterea Judith et Tobiam,

(1) Tom. I. p. 398. Edit. Rom. — (2) P. 883. edit. Paris.

sive Machabaeorum libros, qui auctores scripserunt, minime constat. » Et posthabitis libris novi foederis, sic conficit Isidorus: « Hi sunt scriptores sacrorum librorum divina inspiratione loquentes ad eruditionem nostram praecepta coelestia in Ecclesia dispensantes. Auctor autem earumdem Scripturarum Spiritus Sanctus esse creditur. Ipse enim scripsit, qui per Prophetas suos scribenda dictavit. » Alibi eumdem Canonem Bibliorum memoravit divus episcopus. Haec omnia vero ab eodem probata sunt, tum cum scripta sua plurimis testimoniis e Scripturis Deutero-Canonicis petitis, utpote divina auctoritate pollentibus disseminaverit. Praeterea notatu dignum est, quomodo doctor Bibliorum Deuterorum divinitatem aequo adstruit, quamvis de his libris judaeorum doctrinam bene noverat; quinimmo hic suus de librorum veterum Canone ratiocinandi modus, primum scilicet Esdrae divinum Scripturarum censum discernens, deinde alios libros extra hunc Canonem, ab Ecclesia Christi vero receptos, ceteris divinitate, et auctoritate pares nuncupans, prodesse poterit ad illas nostras priores observationes firmandas, quae circa Origenis, Hilarii, et quorumdam graecorum patrum sententias versabantur, in quas praeter heterodoxos, alii quoque offenderunt.

§. VI. Andreas cretensis episcopus multa et varii generis scripsit. Is e civitate damascena ortum duxit, et sacras litteras a Theodoro patriarcha hierosolymitano edoctus fuit, ut nonnulli autumant ineunte saeculo septimo. Quivis sermones suos investigaverit, facilius Biblia Deutero-Canonica in illorum comprobationem saepe appellasse cognoverit. Sermone in Apostolum Titum Judith verba (1) pronunciavit: «Quod si etiam vibrat arma, gladius quidem pervadet cor ejus, arcus autem in ejus manu conteretur: Αὐτὸς γὰρ Κύριος πολεμήσει ὑπὲρ ἡμῶν, i. e. Ipse enim Dominus pugnabit pro nobis. » In sermone de exaltatione sanctae Crucis symbolice descriptae in veteri testamento, inter alia symbola extulit illud ejusdem Judith et Danielis cum Habacuc in lacu leonum; scribit enim: « Elevavit aliquando celeberrima illa Judith acinacem in Holophernis dormientis caput, crucis praefigurans exaltationem; salutemque Israeli peperit. Elevavit aliquando in lacu leonum Daniel vocem ad altissimum, Crucis exaltationem praedelineans, quando prandium Propheta Habacuch attulit, in momento temporis raptus est. » Sermone primo in dormitione s. Mariae, inquit

(1) Judith c. V.

de eodem Daniele: « Nam sunt omnia Deo facilia, quemadmodum in Habacuch et Daniele novimus. » Sermone secundo in ejusdem dormitione, Tobiae (1) libri recordatur: « Sanctitate plenissimam vocat Mariam virginem, quam mundus haudquaquam valens capere, neque sermone valens explicare, velut sacramentum regis ad extremum inevulgatam servavit. » In divum Georgium ejusdem Tobiae verba retulit, censita Proverbiorum sententia: « Probe enim noverat vir sapiens eleemosynis et fide purgari peccata, quae sunt impedimenta victoriae: (2) ἐλεημοσύνη δὲ ἐκ θανάτου ὑπὲρ πάντα ῥύεται, i. e. Eleemosyna autem prae omnibus a morte liberat. » In Lazarum ode septima trium puerorum carmen memorat scribens: « Pueros tuos positos in fornace, o Salvator, non tetigit ignis, nec eis aliquid molestiae tulit. Tunc ii tres (3) quasi uno ore laudabant et benedicebant dicentes: - Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ὁ τῶν πατέρων ἡμῶν, i. e. Benedictus Deus patrum nostrum. » Ode v. ex Esther (4) haec dicit: Τῷ πνεύματί σου, Κύριε, ἀνθέστηκεν οὐδείς, i. e. Nullus Domine voluntati tuae resistit. » De vita humana, et de defunctis Ecclesiastici (5) sententiam instruit: « Καὶ ὡς ἂν τὸ τῆς γραφῆς εἴποιμι, κλαῦσον ἐπὶ νεκρῷ διότι ἐξέλιπε φῶς· ἀλλὰ μὴ θρήνει πικρῶς, i. e. Et ut illud Scripturae dicam: - Plora super mortuum eo quod defecit lux, et ne amare lamenteris. » Sermone in Circumcisionem, Sapientiae (6) testimonium attulit dicens: « Ac si haec bene habent, diei festo adgratulemur, majorem laetitiam ostendamus, solemnitatem solemnitati conserentes, ac Dei manifestantes servum, Εἴπερ ὡς τὸ λόγιον φησί· ψυχαὶ δικαίων ἐν χειρὶ Θεοῦ, i. e. Siquidem ut oraculum dicit: - Animae justorum in manu Dei sunt. » In sermone sancti Georgii, fidem illius et constantiam exaltans Andreas in tormentis perferendis sub Diocletiano, librum secundum Machabaeorum (7) in exemplum sumit: « Eo, inquam, spectaculo divino effervens spiritu Georgius, contremiscentibus renibus, quemadmodum Machabaeo illi affectusque furore secundum judicium. » His, et similibus testimoniis e Bibliis Deuteris petitis saepissime episcopus cretensis ad sermones suos roborandos utitur, quodque Theodori hierosolymitani praeceptoris seu doctrinam de re nostra manifestam facit.

§. VII. Initio saeculi octavi divus Althelmus schireburnensis, apud occidentales saxones episcopus claruit. Is litterarum sacra-

(1) Tob. c. XII.— (2) Tob. c. XII. 9.— (3) Daniel. c.III. — (4) Esther c.XIII. — (5) Eccl. c.XXII.10. — (6) Sap. c. III. 1. — (7) Mac. c.XIV.

rum peritus, et ecclesiasticae doctrinae varia scripsit, inter quae carmen de virginitate legitur, ubi de Daniele Propheta, judice, ac virgine canit:

« Scriptorum veterum liquido monumenta feruntur,
Quod Daniel semper virgo floresceret almus....
Hic quoque destruxit Beli delubra nefandi,
Flaminibus scelerum mortis discrimina passus
Atque sacerdotes populo sub fraude sacelli.
Tempore sic alio vincens virtute draconem
Horrendus atram jactabat faucibus offam,
Dum glutit piceam crudelis bestia massam,
Ilico rumpuntur multatae viscera belvae. »

Altero carmine de octo principalibus vitiis, in luxuriam irruens Judith extollit hoc modo:

« Quid referam Judith generosa stirpe creatam,
Postribulum regis temnentem pectore puro,
Et stuprum sceleris calcantem corde profanum;
Civibus idcirco mortis discrimina passis
Casta cruentatum gestavit fulva tropaeum,
Integrum servans devota mente pudorem. »

§. VIII. Anno Christi 730 scribebat Beda natione anglicus. Sub Benedicto et Ceolfrido in Cantiae monasterio abbatibus vitae sanctitati et sacris litteris cum profectu opus impendit. Plurima et vario genere scriptis mandavit, et maxime in sacrorum interpretatione librorum est versatus. Quae autem de Scripturis veteris testamenti Deutero-Canonicis scripsit brevi exponam sermone. Primum, in Tobiae librum allegoricam exegit expositionem, et inter alios Scripturae libros numeravit. De illius autem auctoritate, (1) in Cantica Canticorum libro I. haec scribit: « Quod dicit liberum nobis esse unum semper agere, cum semper utrumque possimus, contradicit Prophetae, qui Deo supplex loquitur dicens: - Scio, Domine, quia non sit hominis via ejus; nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos. » Idem, in libro de mundi aetatibus, exhibet historiam Judith locum habuisse sub Cambyse Cyri filio. In libro primo expositionis Esdrae cap. III. de altare sub Josue et Zorobabele aedificato indicat: « Nam et in libro Machabaeorum (2) de lapidibus factum probatur, ubi ab ethnicis profanatum, et post annos sex a Juda Machabaeo renovatum fuisse,

(1) Tob. c. IV. — (2) 1. Mac. c. IV.

memoratur: - Et acceperunt, inquit, lapides integros secundum legem, et aedificaverunt altare novum secundum illud, quod fuit prius. » De libro secundo Machabaeorum cap. VII. in epistola ad romanos XII. haec sumit Beda: « Deus vocat ea, quae non sunt, tanquam sint. Apertius autem in libro Machabaeorum scriptum est: - Oro te, fili, respice ad coelum et terram, et omnia, quae in eis sunt, vide, et scito, quia non erant, ex quibus fecit nos Dominus. » In prologo libri de Templo Salomonis, Ecclesiastici verba enarrat scribens: « Quantum patres sancti in hac vita indefectivae laudis, et claritatis reliquerint, dicente Scriptura: (1) - Memoria justi cum laudibus.... et corpora sanctorum in pace sepulta sunt, et nomina eorum vivent in generationes et generationes. » Alibi eumdem librum repetit (2) hisce verbis praeveniens: « Attamen ipsa memor Scripturae praecipientis: - Quanto magnus es, te in omnibus humilia. » Inter illius scripta, habetur liber, qui nomine *fragmentorum* vocatur; in hoc nonnullos Scripturae textus interpretatur, quibus inseritur illud Sapientiae (3) dictum: « Cum quietum silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine a regalibus sedibus venit. » In cap. VII. Evangelii Joannis, Beda de Susanna sic scribit: « Nonne duo falsi testes contra Susannam falsum protulerunt testimonium? et paucis interjectis, denique quum Susanna casta foemina, fidelisque conjux duobus falsis testibus arguebatur, Trinitas illi in conscientia, atque occulta suffragabatur; illi Trinitas de occulto unum testem Danielem excitavit, et duos convicit. »

§. IX. Michael Syncellus in laude Ss. Angelorum plura de hac re Scripturarum testimonia profert, quae Deuterae dicuntur: « Audiat quaeso, scribit, quisque prudens et cordatus, quid Scriptura de Dei per Angelos auxilio singulis aetatibus, ac momentis commemoret. Judas itaque Machabaeus, suo illo adversus hostes pleno generositatis praelio, Angelum Domini vidit sedentem in equo albo, etc.... Tobias porro ille justus Dei Archangelo Raphael obviam factus, atque ab eo ad Raguelem ductus Sarram ejus filiam in sponsam accepit; et paulo post se eis Angelus revelat, ac dicit ego sum Raphael, etc.... Angelus alius Ambacuc rapiens, mirabili inde ratione in Babylonem deduxit, cibos in escam Danieli inferentem. »

(1) Eccl. c. XLIV. — (2) Tom. VII. p. 101. — (3) Sap. c. XVIII.

§. X. Eadem aetate, e damascenis oriundus parentibus, hierosolymis monachus claruit. Joannes varii generis illius scripta exhibent suae sapientiae testimonium, et fuisse testantur Catholicae Ecclesiae propugnatorem. Quae autem de Scripturis Deutero-Canonicis scripsit, omnia illa e scriptis divi Epiphanii hausit, sicuti libro secundo de fide orthodoxa exurgit, ubi Canonem juxta hebraeorum doctrinam censuit. Alibi tamen suis in sermonibus Biblia Deutera ut divina in auctoritatem colligit, quemadmodum copiose in libro de sacris parallelis est videre. In praefatione enim hujus libri, Ecclesiastici (1) verba hoc modo describit: « Quin etiam sicut canitur in sententiis, quae versibus descriptae sunt: - Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient. » Libro IV. de fide orthodoxa cap. XVII. verba Baruch ita appellat: « Prophetiae duplex genus, quaedam dicuntur ut futura, et quaedam ut praeterita, ut: - Hic Deus noster, post haec in terra visus est, et cum hominibus conversatus. » Ibidem autem e Sapientiae (2) libro haec legit: « Ὅτι μὲν οὖν ψυχαὶ δικαίων ἐν χειρὶ θεοῦ, καὶ οὐ μὴ ἅψεται αὐτῶν ὁ θάνατος, φησὶν ἡ θεία γραφή, i. e. Quoniam ergo animae justorum in manu Dei, et non tangit eos mors, dicit divina Scriptura. » Libro XVIII. de locis parallelis Danielis verba (3) narrat: - Insontem et justum non occides. » Ut videtur, Joannes damascenus Scripturis Tobiae, Judith et Machabaeorum parum institit. Sed huc referenda sunt, quae de Ecclesia hierosolymitana supra censuimus.

§. XI. Ineunte saeculo octavo, divus Bonifacius natione anglus Moguntiae archiepiscopatu defunctus est. Suis in epistolis, quas varie scripsit, et in earum responsis, Scripturae Deutero-Canonicae memorantur. Hae epistolae occurrunt in Bibliotheca (4) patrum. Epistola XIX. ad Ethibaldum regem, ei verba Sapientiae denunciat: « Noli talium impiorum ad perditionem exempla sequi. Tales enim, juxta prophetiam Scripturae sacrae (5), sunt, qui angustiaverunt justos, et qui abstulerunt labores eorum; in die judicii dicturi sunt: - Erravimus a via veritatis et justitiae lumen non illuxit nobis, etc. » Et multis de hoc libro memoratis, ad Ecclesiasticum (6) transit dicens: « Et alias: - Numerus dierum vitae hominis, si multum centum anni, quasi parvula gutta, de mari magno deputatus est: - Haec enim omnia, secundum auctoritates

(1) Eccl. c. XXIV. — (2) Sap. c. III. 1. — (3) Daniel. c. XIII. — (4) De la Bigne saec. 8. — (5) Sap. c. V. — (6) Eccl. c. XVIII. 8.

sacrae Scripturae, rerum collatione simillima sunt.» Epist. XXXVIII. Eangyth abbatissae ad eumdem Bonifacium praeter Sapientiae librum, mentionem facit de Daniele in medio leonum, ad quem misit Dominus Prophetam Habacuc.

§. XII. Paschasius Ratbertus corbejensis abbas initio saeculi noni sanctitate et doctrina excelluit. Inter illius scripta numeratur liber de veritate Corporis et Sanguinis Domini in Eucharistia contra Bertramum presbyterum. Nos hic disquisitiones nostras sectati, in commentarium illius incidimus supra Matthaeum, ubi lib. I. cap. I. Ecclesiastici Scripturam (1) propheticam appellat dicens: « Sed omnipotens Deus praescius futurorum, sicut Propheta testatur: - Qui est conspector omnium saeculorum. » Cap. II. de reverentia locutus ergo corporis et sanguis Domini mysterium, eumdem librum revocat: « Unde et Salomon, immo per eum Spiritus Sanctus jubet: - Cum sederis ad mensam potentis, ut comedas cum principe diligenter attende, quae apponuntur tibi, quoniam talia te oportet preparare. » De vita beati Adelhardi e libro (2) Machabaeorum haec excipit: « Iste namque est, carissimi, mihi pater, fratrum amator et populi Israel; hic, qui multum orat pro suis, charitate perpetuus. » Lib. II. in Matthaeum cap. I. « Quia Verbum, inquit, factum est, et habitavit in nobis: - Inde profecto illud Baruch expletur vaticinium, quod in terra visus sit, et cum hominibus conversatus. » In eumdem Matth. lib. VI. c. 10. e libro Sapientiae (3) refert: « Nam quatuor modis in Scripturis arundo, vel calamus dicitur.... aliquando dicitur nitor gloriae sanctorum, ut: - Fulgebunt justi, et sicut scintillae in arundineto discurrent. » Praefatione in Hieremiae thraenos, de canticis Scripturae divinis scribens, illud Tobiae (4) memorat: « Et sicut per quemdam augustius de coelesti Hierusalem praedicatur: - Lapide praetioso, et mundo omnes plateae ejus sternentur, et per omnes vicos ejus alleluja cantabitur. » In eodem libro Danielis verba (5) ex Cantico trium puerorum censet in illa verba Hieremiae: - Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei: - Nec dubium, quin haec plenius in illi extrema captivitate judaeis acciderit, quando nullus Prophetarum inter eos remansisse creditur, sicuti Daniel deplorans dicit: - Domine non est in tempore hoc princeps et dux et Propheta, neque holocaustum,

(1) Eccl. c. XXXVI. — (2) 2. Mac. c. XV. — (3) Sap. c. V. 1. — (4) Tob. c. XIII. — (5) Dan. c. III.

neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, etc. » Ibidem paulo post de Susanna legit: « Tales itaque plangit, quales in Daniele super Susannam insaniisse legimus, de quibus dicit: - Inveterati dierum malorum, nunc venerunt peccata, quae operabamini. » Haec doctrina Paschasii de Bibliis Deutero-Canonicis.

§. XIII. Hrabanus vel Rabanus Maurus, natione germanus, Alcuini angli disciplinam suscepit. Monasticam vitam iniit, ubi abbas fuldensis in eadem Germania omnium monachorum consensu est creatus. Hoc munere functus est, donec ad ecclesiae moguntinensis archiepiscopatum fuit evectus. Libros multos edidit singulari eruditione refertos; maxime vero sacris Scripturis navavit operam, ac in easdem commentarios, juxta litteralem sensum, et spiritualem intelligentiam, conflavit. Obiit anno Christi 356. Juxta Trithemium post se reliquit Rabanus in integras divinas Scripturas commentaria, ac praeter libros Proto-Canonicos, expositiones quoque edidit in Ecclesiasticum decem libros complectentes, quos Otgario archiepiscopo dicavit. In Tobiam scripsit librum unum, in Judith septem libros compegit, in librum Sapientiae tres; ac duos libros Machabaeorum tribus voluminibus interpretatus est. Praeter hoc ex ejusdem commentariis excipitur ipsum, ut divinam Scripturam accipere Baruch librum, dum ait in Ezechielem libro VII. « Unde et alio loco scriptum est: (1) - Et misisti iram tuam, quae devoravit eos, quasi stipulam. » Pariter memorat additamenta Esther et Danielis in Hieremiam lib. XVIII. « Sicut Propheta Daniel (2) in oratione sua testatur dicens: - Domine, non est in tempore hoc dux et Propheta. » Capite primo, libri secundi Machabaeorum, eosdem libros Canonicos vocat, et in praefatione libri primi, sacros libros pariter appellat. Ubique insuper scriptis suis inseruit Bibliorum Deutero-Canonicorum testimonia, quae praeivit formulis divinis scriptis congruentibus, *juxta quod scriptum est; Scriptura dixit*, etc. De libro porro Sapientiae (3) in prologo haec scribit: « Hujus libri dictio est suavissima, et revera nominis sui dignitate resplendens, atque ad instruendam Ecclesiam Dei utilissima, licet supra memoratus divinae legis interpres Hieronymus dicat eumdem librum apud hebraeos nusquam haberi, nec inter Canonicas Scripturas apud antiquos recipi, et Judith, Tobiae et Machabaeorum libros, quos

(1) Tom. IV. p. 243. Ed. Coloniae Agripp. et Bar. c. II. — (2) Daniel. c. III. et tom. IV. p. 139. — (3) Tom. III. p. 362.

et moderno tempore inter Scripturas sacras sancta enumerat Ecclesia, legitque eas in publico, sicut ceteras Scripturas Canonicas, et frequenter quoque orthodoxi doctores eisdem sententiis in dogmatibus suis utuntur, etc. » Tandem in libro quinto (1) de sacris Scripturis, hoc modo de Bibliis Deuteris, enumeratis libris juxta Canonem hebraicum, subdit: « Quartus ordo est apud nos veteris testamenti eorum librorum, qui in Canone hebraico non sunt, quorum primus Sapientiae liber est, secundus Ecclesiasticus, tertius Tobias, quartus Judith, quintus et sextus Machabaeorum; quos licet judaei intra apocrypha separent, Ecclesia tamen Christi eos inter divinos libros honorat et praedicat. » Haec ex Rabano excerpta satisfiant.

§. XIV. Theodulphus aurelianensis episcopus scripsit multa, inter quae nonnulla carmina, quae hucusque temporis in Ecclesia canuntur. In Bibliotheca patrum illius extat carmen, (2) quod praeposuit in fronte Bibliorum, quae describi fecit. Hoc in carmine censentur Scripturae veteris foederis omnes, quas inquirimus. Sic enim incipit:

« Quidquid ab hebraeo stilus atticus, atque latinus
Sumpsit, in hoc totum codice lector habes:
Quo loca prima tenet Genesis primordia mundi
Diluviumque canens, gestaque magna patrum. »

Numeratis vero libris omnibus, qui in Canone hebraeorum habentur, ad Deuteros transit his verbis:

« Post liber est positus, cui dat Sapientia nomen,
Quod Christi adventus, morsque patescit ibi.
Protinus aptatur liber Ecclesiasticus isti,
Quo pia jura sonant, lausque beata patrum.
Hinc pia pauperies, pietas et optima, beato
Est, Tobi, libro rite notata tuo.
Scribitur insignis Judith mox foemina facti,
Incestus cecidit, qua feriente, furor.
Hinc gemini libri ponuntur Machabaeorum,
Gesta, quibus fratrum quatuor alma sedent. »

Et postquam novi testamenti Scripturas censuerit, sic de his lectorem monet:

« Sunt hic jura Dei tenebris nudantia mundum,
Splendidiora astris, candidiora nive.

(1) Tom. I. — (2) De la Bigne saec. IX.

Justa jubent, injusta vetant, mala cuncta recidunt,
Virtutes gignunt, probra fugent vitia. »

§. XV. Sub saeculi noni dimidium claruit Haymon halberstatensis episcopus. Plurima edidit juxta Trithemium, inter quae numerantur in Tobiam liber unus, et alter in Judith, quos libros una cum Sapientiae, Ecclesiastici et Machabaeorum scriptis sacros fatetur.

§. XVI. Paulo ante saeculi ejusdem finem e vita decessit Hincmarus remensis, qui varii generis scripta posteritati mandavit, ac Biblia Deutero-Canonica eisdem inseruit. De gula enim scribens (1) ab Ecclesiastici libro haec eruit: « Et item sacra Scriptura: - Vinum in jucunditatem creatum est, et non ad ebrietatem ab initio. » Alibi Sophiae (2) libro utitur: « Quia Spiritus unicus et multiplex, stabilis et mobilis; ut in libro Sapientiae scriptum est, per organum hominis sibi arctissimum omnia praefert. » De oblationibus pro mortuis in bello haec tradit: « Quod pro his qui in bello fideliter bellantes ceciderunt, oblationes eleemosynarum, orationum et sacrae hostiae fiducialiter offerri debeant, Scriptura demonstrat (3) dicens: - Vir fortissimus Juda, collatione facta, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans. » Paulo post, quod reges regum Domino serviant, ex Scripturis probat: « Sicut servivit, inquit, Darius idolum frangendum in potestatem Danieli dando, et inimicos ejus leonibus ingerendo. » De Susanna loquitur in libro de divortio, interrogatione v. « Unde et Susanna, cum falso adulterii crimine accusaretur, et publico judicio condemnata, et publico legitur absoluta. » In benedictione Judith Caroli filiae cum rege anglorum desponsatae memorat Judith (4) sanctae gesta dicens: « Despondeo te uni viro virginem castam, atque pudicam futuram conjugem, ut sanctae mulieres Sarra, Rebecca, Rachel, Esther, Judith; et paulo post, Deus, ait, qui unguento famulae tuae Judith ad liberationem servorum tuorum vultum exhilarasti. » De operibus misericordiae, (5) seclusis aliis Scripturae testimoniis, ex Tobia probat: « Hinc bonus pater innocentem filium admonet (6) dicens:

(1) Edit. Lutetiae tom. II. p. 51. et Eccl. c. XXXVIII. — (2) Ibidem p. 451. et Sap. c.VII.23. — (3) 2.Mac. c.XII. — (4) Tom. I. p. 750.— (5) Tom II. p.62. — (6) Tob. c. IV.

- Si multum fuerit tibi, abundanter tribue, si exiguum fuerit, tamen exiguum libenter impertiri stude. »

§. XVII. Assemani tom. III. Bibliothecae Orientalis mentionem facit de Abulpharagio patria assyrio nestoriano, qui vixit saeculo Christi decimo. Ab Aegypto in bibliothecam vaticanam ait allatum esse quoddam scriptum Abulpharagii, arabico sermone, quod Paradisus christianorum inscribitur. In hoc continentur breves de utroque testamento quaestiones, nimirum in Pentateuchum, in Josue, in Judices, in primum et secundum Samuelis, in primum et secundum Regum, in Job, in Psalmos, in Sapientiam et Ecclesiasten, in Canticum Canticorum, in Ecclesiasticum et Ruth.

§. XVIII. Radulphus monachus flaviacensis in divinis Scripturis maxime excelluit initio saeculi decimi. Praeter alia, libros viginti scripsit in Leviticum, e quibus Biblia Deutero-Canonica divinitus inspirata excerpere licet. Libro quarto in Leviticum Baruch (1) verba ita legit: « Post vocationem suam, decedentibus tenebris, et vero mane illucescente, sub Dei praesentia in aeternum fulgebit lucerna charitatis. Unde scriptum est: - Stellae quoque dederunt lumen in custodiis suis. Vocatae sunt, et dixerunt adsumus, et luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit eas. » Paucis interjectis ad Sapientiam confugit scribens: « Notum autem, teste (2) Scriptura, quia justorum corporibus in pace sepultis, animae quoque eorum in manu Dei sunt. » Libro quinto in eamdem Scripturam, Ecclesiastici testimonium sumit praedicens: « Qui proximis misericordiam facere studuerunt, sibi ipsis prius debuerant juste vivendi misereri. Unde scriptum est: (3) - Miserere animae tuae placens Deo. » Ibidem libro XIV. cap. 1. Tobiae librum compellat: « Habemus etiam in terris magnae nobilitatis originem, juxta illud Tobiae (4) cum uxore locuti: - Filii, inquit, sanctorum sumus, et non possumus ita conjungi, sicut et gentes, quae ignorant Deum. Pariter in Leviticum libro XVI. cap. 5. in illa verba: « De manu alienigenae non offeretis panem Deo: - Videmus, scribit Radulphus, hoc praeceptum, sicut et multa cetera, a judaeis non observatum. Legimus namque in diversis historiis a regibus alienigenis transmissa donaria, et in templum suscepta. In Machabaeorum (5) legitur: - Igitur cum sancta civitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optime custodirentur, pro-

(1) Bibliot. Patr. et Bar. III. 84. — (2) Sap. c. III. — (3) Eccl c. XXX. — (4) Tob. c. VIII. 5. (5) 2. Mac. c. III. 1.

pter Oniae pontificis pietatem, fiebat, ut ipsi reges et principes locum summo honore dignum ducerent, et templum maximis muneribus illustrarent. »

§. XIX. Oecumenius graecus, qui vixit saeculo x. de fide Patriarcharum veteris testamenti verba faciens, inter eosdem memorat Machabaeos, (1) e quorum Scripturis haec verba excepit: « Dictum est autem de Machabaeis, qui contemnebant redimi ab inducto illis supplicio. » Ex Ecclesiastici libro haec profert: « Unde et illud dictum (2) est: - Fili, si accedas ad servitutem Dei praepara animam tuam ad tentationem. » Ibidem appellat ad Danielis Canticum trium puerorum his verbis: « Et hoc confirmatur ab oratione trium puerorum dicentium: - Ita fiet coram te hodie hostia nostra, et perficiatur post te. »

§. XX. Petrus Damianus Ravennae ortus, saeculum Redemptionis undecimum illustravit doctrina, et pietate adeo, ut legationibus variis et muneribus a summis pontificibus sit insignitus. Illius scripta legenti obviam erit qua animi constantia Ecclesiae Catholicae doctrinam propugnavit et unitatem. Volumina multa variis de rebus tractantia edidit. Nos vero ex illis, quae nunc extant exquirentes, Scripturis Deutero-Canonicis omnibus utpote divinis eumdem sua scripta disseminasse noverimus. Etenim sermone XIV. de s. Marco Evangelista, e Tobia (3) haec accipit: « Nam et cum Paulus dicat Apostolus: - Ego si hominibus placere vellem, Christi servus non essem (et alibi) Scriptura prohibeat: - Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. » Judith librum (4) memorat in epistola ad Rodolindam et Sufficiam: « Judith etiam illa sancta vobis vivendi sit norma, et vidualis continentiae disciplina; de qua videlicet Scriptura testatur his verbis: - Quia in superioribus domus suae fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, et habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitae suae. » De contemptu saeculi cap. XIX. de ornamentis, Esther in exemplum (5) sumit: « Horum quidem Esther speciem tenuerat, cum dicebat: - Tu scis Domine necessitatem meam, quod abominer signum superbiae et gloriae meae, quod est supra caput meum. » In libro primo epistolarum ad summum pontificem, Sapientiae testimonium exaltat scribens: « Con-

(1) Edit. Lutetiae tom. II. p. 406. et 2. Mac. c. VII. — (2) Tom. II. p. 442. et Eccl. c. II. 1. — (3) Edit. Paris. tom. II. p. 31., et Tob. c. IV. — (4) Tom. I. p. 134. et Judith. c. VIII. — (5) Tom. III. p. 114. Esth. c. XIV.

summatus enim in brevi, sicut Scriptura loquitur, (1) explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius. » Epistola III. ad virum clarissimum, Sirach (2) verba memorat: « Praeterea, inquit, sicut genitoribus maledicens dignus est mortis ultione percelli, ita, qui reverenter obtemperat, meretur divinitus benedici; scriptum est enim: - Honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio a Domino, et benedictio illius in novissimo maneat. » De contemptu saeculi juxta Baruch (3) sententiam arguit: «Reprimatur ergo quilibet frater nunc in angusto suae remotionis ergastulo, ut infinitae magnitudinis domus sibi paretur in coelo. Hieremias ait: - O Israel quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus, magnus, et non habet consummationem, excelsus et immensus. » In epistola XX. ad Honorium II. antipapam scribens: « Multum sane te laetificat, inquit doctor, (4) quod hujusmodi te pontifices elegerunt, placentinus, videlicet et vercellinus, qui nimirum multum petulci, ac proletarii, sicut norunt disputare de specie foeminarum, sic utinam potuissent in eligendo pontifice perspicax habere judicium. Ecce iterum duo senes illi, de quibus locutus Dominus, quia: - Egressa est iniquitas de Babylone a senibus judicibus, qui videbantur regere populum. Ecce iterum Susanna in judicium accusata producitur. Ecce falsum innocenti crimen intenditur, et sanguis innoxius condemnatur. » Opusc. XIII. cap. 13. « Quod facilius exprimere possumus siquod in secundo Machabaeorum (5) libro prohibetur historialiter gestum ad memoriam deducamus. Ait ergo Scriptura: - Cum in Persidem, inquit, ducerentur patres nostri, sacerdotes, qui tunc Dei cultores erant, acceptum ignem ab altari occulte absconderunt in valle, ubi erat puteus altus et siccus, et in eo contutati sunt eum. » E multis Damiani testimoniis pro libris Deuteris, lecta sufficiant, quaeque eadem fatetur esse ex illis Scripturis, quarum epist. v. monachos ad solertem inquisitionem hortatur causa earum mysteria penetrandi.

§. XXI. Theophilactus archiepiscopus bulgarorum circa annum 1071 vixit, teste Baronio. In nonnullos Scripturae libros commentaria exegit, quae interdum objiciunt testimonia e Bibliis Deutero-Canonicis petita. Sic enim Ecclesiastici sententiam (6) praeve-

(1) Sap. c. IV. 10. — (2) Tom. I. p. 123. et Eccl. c. III. — (3) Tom. III. p. 32. et Baruch c. III. — (4) Tom. I. p. 18. et Dan. c. XIII. — (5) Tom. III. p. 131. et 2. Mac. c. I. — (6) Edit. Venetiis, et tom. I. p. 115.

nit: « Quoniam et dictum est: - Abominatio est peccatori pietas, et reprehensiones impio sunt flagella. » Alibi Judith hac ratione compellat: « Etenim sapientissimam Judith (1) cognovi ego soli Deo cantantem: - Dixisti et facta sunt, excogitasti, et ecce extiterunt. » Danielis additamenta legit ex cantico trium puerorum: (2) « Justus es Domine in omnibus, quae fecisti nobis. » Sapientiae quoque librum eadem auctoritate donat, ac Ezechielem et Psalmos ubi scribit: « Nonne et Scripturam (3) testantem audis, quod tribulatio per Angelos malos immittatur: - Et Deus ipse non vult mortem impii, neque laetatur in perditione viventium: - David, Ezechiel, et Salomon haec mihi testimonia subministrant. » Attamen Theophilactus, ut e suis scriptis conjici potest, aliquantum a veritate, et ab Ecclesia Catholica in aliis distare videtur.

§. XXII. Initio saeculi decimi secundi claruit Rupertus teutónicus tum linguarum hebraicarum peritia, tum in Sacrarum Scripturarum interpretatione maxime commendandus. Plurima illius scripta ostendunt quantum in sacris eloquiis fuerit versatus atque praesertim, quod ad rem nostram facit, Scripturas Deutero-Canonicas prioribus insertas eadem auctoritate divina praeditas animadvertit. De victoria verbi Dei (4) libro v. cap. 23. e libro Tobiae hoc argumentum adstruit: « Hic jam illud, quis forte objicit, quod in Israel quoque, qui translatus est, nonnulli Deo placentes fuerunt, et non potest negari. Nam, exempli gratia, Tobias ex tribu et civitate Nephtali, illa captivitate captus et captivus fuit sanctus, et vitae laudabilis, sicut de eo scriptum est: - Quia cum captus esset in diebus Salmanasar regis assyriorum, in captivitate tamen positus, viam veritatis non deseruit, quam adeo firmiter tenuit, ut dignus existeret novo miraculo. » De eadem re, lib. VIII. ex Esther (5) haec legit, mystice locutus de Aman, qui gentem universam perdere volebat, penes quam erant promissa: « Sicuti idem Mardochaeus ad Deum orans dicit: - Et nunc tua volunt mutare promissa, et delere haereditatem tuam, et claudere ora laudantium te, atque extinguere gloriam templi, et altaris tui. » In caput secundum Joannis, libro secundo, e libro Sapientiae (6) arguit: « Nec eum columba illa, quae super Dominum apparuit, donorum suorum aliqua ex parte respexit,

(1) Judith c. IX. et tom. III. p. 583. — (2) Tom. III. p. 379. — (3) Tom. III. p. 553., et Sap. c. XIII. — (4) Edit. Venetiis, et Tob. c. I. — (5) Esth. c. XIV. — (6) Sap. c. I.

sicut scriptum est: - Spiritus enim sanctus disciplinae effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus, quae sunt sine intellectu. » Ad Ecclesiasticum saepissime (1) sese confert, et illius verba sumit hoc modo: « Dicente Scriptura: - Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. » In Joannem libro XIII. cap. 18. de Susanna haec refert: « Verumtamen judaeis judicatum quemquam non licebat occidere, nisi romano praeside judicationem confirmante. Nec vero mirandum, quod in babylonica captivitate Susannam illis inconsulto Babyloniorum principe lapidare licuisset. » Alibi censet Baruch oraculum: « In terra visus est, et cum hominibus conversatus. » In cap. XIII. Apocalypsis Joannis lib. 8. postquam Danielis testimonium protulit circa Babyloniorum regni gloriam et exaltationem, e libro Judith eadem repetit scribens: « Itemque in libro Judith scriptum est: - Praeceperat enim Holopherni (2) Nabuchodonosor rex, ut omnes deos terrae exterminaret, videlicet ut ipse solus diceretur Deus ab iis nationibus, quae subjugari potuissent. »

Tandem idem Rupertus commentatus librum secundum Machabaeorum, scribens ad Cunonem patrem Coenobii sigebergensis luculentius ei opinionem suam de his Scripturis aperit, in libro X. de victoria verbi Dei: « Hic jam ut aliquatenus ad devotissimam exactionem tuam assurgere possim, qua cupis et petis, ut litterae seriem, quae subobscura videtur, tibi elucidet sermo intentus, atque studiosus in verbo Dei, descendere libet ad illud, quod quondam audivimus inter scholares parvuli, ubi lectionem suscipientes, materiam, intentionem, atque utilitatem hujus proemii; operae pretium est distinctis expedire capitulis, ut tali ordine aliquatenus elucescat, quod in ista littera dicit Spiritus ille, qui in omni Scriptura divinitus inspirata praesens est, et loquitur ecclesiis (agit de litteris, quae libro secundo Machabaeorum insertae sunt). Existimo quod materia, intentio, atque utilitas Scripturae hujus quamlibet brevis, tales sint, ut a sapientibus digne debeant audiri, qui non sunt sapientes in oculis suis, qui ut sapientes fiant, stulti dignantur fieri, idest discipuli esse priusquam fiant magistri. Haec igitur tria, quae proposuimus dicturi simul et audituri, primum materiam quaerimus, vel proponimus, circa quam maxime versatur Scriptura secundi hujus Machabaeorum libri. » Haec sunt quae de hoc libro exposuit Rupertus, et alibi

(1) Tom. I. p. 286. et Eccl. ç. XIII. — (2) Judith c. III. 13.

de omnibus Scripturis haec addit: « Sed Spiritu Sancto, spiritu intellectus thesaurum illis Scripturarum aperiente, mirabiliter eruditi, jure a nobis omnes suscipiuntur, et audiuntur tanquam os Dei, et nefarium nobis est dubitare in aliquo de omnibus quaecumque scripserunt ii. »

§. XXIII. Vir sane apostolicus, saeculo Ecclesiae decimo secundo, excelluit Bernardus abbas claravallensis. De eo nihil est quod opus impendam in illius laudibus texendis, quas merito in coelo fuit, et terra adeptus. De re nostra inter multa et varii generis scripta nullum reliquit, quod recta Scripturas Deutero-Canonicas spectaret. Attamen exceptu ex eisdem scriptis facile est, quali auctoritate existimaverit istos libros. Nam Ecclesiastici verba (1) memorat hac ratione: « Legi de quodam, dicente Scriptura: - Quoniam in fide, et lenitate ipsius sanctum fecit illum. » In libro Sententiarum, de justitia haec ait: « Diligendo justitiam transit ad secundum gradum, et audit illud Sapientiae (2) praeceptum: - Diligite justitiam, qui judicatis terram. » Sermone III. de Annuntiatione dominica, contra judaeos Susannae historiam narrat: « Sed qui gloriamini in lege, per legis praevaricationem Deum inhonoratis. Ingemuit Susanna, et ait: - Angustiae sunt mihi undique. » Super Cantica sermone LIV. ex Baruch addit: « Sane non invenio alibi ubi in sole posuerit tabernaculum suum, idest in luce, et in manifesto suam dignatus sit exhibere praesentiam ipsius lucis inaccessibilis habitator, nisi utique in terris. Denique in terris visus est, et cum hominibus conversatus. » De eadem re sermone XIII. de Judith et Machabaeis mentionem facit: « Josue, Jephte, Gedeon, Sampson, Judith quoque quamquam foeminae gloriose in diebus suis triumphaverunt de hostibus. Judas Machabaeus (3) multis et ipse inclitus victoriis, denique: - Facta est, inquit, non gloria sed laetitia magna in populo. »

§. XXIV. Petrus a Natale, Gallae ad Ligerim oppido cognomento blesensi natus, bathoniensis in Anglia archidiaconus et cantuariensis archiepiscopi cancellarius, qui desinente saeculo XII. vixit, auctor est opusculi cujusdam de divisione, et scriptoribus librorum sacrorum. Divisioni, quam in tres ordines ab hebraeis fuisse institutam dicit, subjungit quartum hunc ordinem: « Quartus inquit, est apud nos veteris testamenti ordo eorum librorum, qui in Canone hebraeorum non sunt, quorum primus Sapientiae

(1) Edit. Paris. p. 12., et Eccl. c.XLV. — (2) Sap. c. I. — (3) 1. Mac. c.IV. 58.

liber 2. Ecclesiasticus, 3. Tobias, 4. Judith, 5. et 6. Machabaeorum libri, quos licet judaei inter apocryphos separent, Ecclesia tamen Christi inter divinos libros et honorat et praedicat. »

§. XXV. Saeculi XIII initio, sanctitate excelluit Antonius, e civitate ubi obiit, de Padua appellatus. Suis in mysticis expositionibus in Scripturae libros colligit etiam Sapientiae librum, et Ecclesiasticum, Danielis et Esther additiones, Tobiae librum, Judith et Machabaeorum ambos, quos ipse ad sacrarum Scripturarum Canonem pertinere fatetur, dum sic ait: « Sacra autem pagina (1) a Spiritu Sancto, ut ait Hugo, revelata et per sanctos viros, ut ait beatus Petrus, subministrata, dicit Salvatorem nostrum humano generi panem multiplicem exhibere. »

§. XXVI. Ineunte saeculo decimo tertio, Hugo de sancto Caro e burgundionum gente S. R. E. cardinalis commentaria in vetus et novum textum juxta litteralem et mysticum sensum accurate exegit. Prae manibus vero scripta divi Hieronymi continuo habuit. Explanationibus, ut dixi, suis Scripturas quoque Deutero-Canonicas ditavit, de quarum auctoritate haec nobis mandavit. In prologo Ecclesiastici de vocabulo *apocrypha*, quo usus est Hieronymus, haec scribit, numeratis juxta hebraeos veteris foederis libris: « Apocryphorum vero duo sunt genera. Quaedam sunt, quorum et auctor, et veritas ignorantur, ut est liber de infantia Salvatoris, et liber de Assumptione B. Mariae Virginis, et hos non recipit Ecclesia. Alia sunt quorum auctor ignoratur, sed de veritate non dubitatur, ut est liber Judith et Machabaeorum, Sapientiae liber et Ecclesiasticus, liber Tobiae et Pastor; et hos recipit Ecclesia, non ad fidei dogmatum assertionem, sed ad morum instructionem. » In prologo libri Josue Canonem librorum veteris testamenti hoc carmine describit:

« Quinque libros Moysi, Josue, Judicum, Samuelem,
Et Melachim, tres praecipuos bis sexque Prophetas
Hebraeus reliquis censet praecellere libris.
Quinque vocat legem, reliquos vult esse prophetas.
Post Agiographa, sunt Daniel, David, Esther et Esdras;
Job, Paralipomenon, et tres libri Salomonis.
Lex vetus his libris perfecte tota tenetur.
Restant apocrypha, Jesus, Sapientia, Pastor,
Et Machabaeorum libri, Judith, atque Tobias.

(1) Edit. Paris. p.228.

Hi quia sunt dubii, sub Canone non numerantur.
Sed quia vera canunt, Ecclesia suscipit illos. »

§. XXVII. Circa eamdem aetatem Thomas aquinas claruit sanctitate et sapientia adeo, ut totum orbem scriptis suis recta, et ut ita dicam, coelesti doctrina confertis quaquaversus inserserit. Sanctus doctor in omnibus suis libris colligit libros omnes sacrorum Bibliorum Deuteris cum Prioribus insertis, absque ulla differentia, et ubique harum Scripturarum Dei testimonium agnoscit, et saepius scripsit: « Spiritum Sanctum esse principalem auctorem sacrae Scripturae, in qua nihil falsi extat. »

§. XXVIII. Sanctus Bonaventura natione italus, sancto Thoma familiarissime usus, pari doctrina et sanctitate in Ecclesia Christi excelluit. In plurimis et variis voluminibus, quae edita ab eo fuerunt, numeratur liber, qui *expositio in Exameron* nuncupatur. In hujus libri sermone decimo quarto, de mysterio disserens sacrae Scripturae ante legem, sub lege, et post legem, et de figuris, objicit nobis Canonem Divinorum Bibliorum hoc modo: « Tempus Prophetiae, inquit, a Samuele incepit, quod habet similiter tria mysteria. Primum inunctionis regum, (antea autem dixerat de libris Mosaicis, Judicum et Ruth) ut in libro Regum et Paralipomenon. Secundum fuit revelationis Prophetarum, ut in Psalmis et duodecim prophetis minoribus, et quatuor majoribus. Tertium restaurationis principum et sacerdotum, et illud est Esdrae, Neemiae, et Machabaeorum. In quarto tempore sunt tria mysteria, primum Redemptionis hominum in Evangelio, secundum diffusionis charismatum in actibus Apostolorum, et epistolis Pauli et Canonicis, ubi ostenduntur septem dona Spiritus Sancti. Tertium reserationis Scripturarum in Apocalypsi; post quod non potest esse aliud. Job autem et Esther, Tobias, Judith, cohaerentes sunt aliis, quia Job cohaeret Legi et Prophetis; alii tres cohaerent libris restaurationis. Haec sunt duodecim ligna pullulantia in paradiso. In quolibet istorum sunt duodecim lumina trium intelligentiarum Scripturarum. » Quando autem beatus Bonaventura Scripturarum veterum delegit testimonia ad fidei dogmata roboranda, vel mores corrigendos Biblia Deutero-Canonica una cum Proto-Canonicis inseruit tanquam Scripturas divinitus inspiratas, sicuti obviam fuerit ejusdem opera legenti.

§. XXIX. Ex Assemani Bibliotheca Orientali de Gregorio Barhebraeo monophysita haec didici. Teste eodem scriptore vixit Barhebraeus, vel alio nomine Abulpharagius, saeculo XIII. Commen-

taria in sacram Scripturam conflavit, quae ab eo syrorum lingua *horreum mysteriorum* nuncupantur. Postquam ipse Bibliorum versionem, ut primo loco dixi, alexandrinam *Phscito* interpretationi praetulit, et exactum et omnibus numeris absolutum, et apostolicum, aegyptiacum textum nuncupavit; deinde sequitur ordo librorum sacrorum, quem suis in commentariis servavit Barhebraeus: « Primo commentatus est Pentateuchum, deinde libros Josue, Judicum, Samuelis primum et secundum, Psalmos, primum et secundum Regum, Proverbia, Ecclesiasticum, Ecclesiasten, Canticum, Sapientiam, Ruth, Susannae historiam, Job, Isaiam, duodecim Prophetas minores, Hieremiam cum Threnis, Ezechielem, Danielem cum historia Bel et draconis. » Hoc in censu vero desiderantur duo libri Paralipomenon, Esdras et Neemia, Esther, Tobias, Judith et Machabaeorum historia. Praeterea addidit Assemani, ipsum, inter hellenicos interpretes divinorum librorum, memorasse divum Joannem Maronem librum Sapientiae esse commentatum.

§. XXX. De-Lyra Nicolaus in vetus et novum testamentum exegit commentaria, vel potius *post-illas*, quae singulis Bibliorum versibus adposuit. In hoc opere Scripturas quoque Deutero-Canonicas est interpretatus. Attamen fatendum est non aequo explanasse verba divi Hieronymi in prologo librorum Salomonis de his libris: « Sic et haec volumina, inquit, legat Ecclesia ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. » Hac in sententia discernere ipse velle videtur Proto-Canonicas Scripturas a Deutero-Canonicis, reputans in Prioribus Scripturis nihil inveniri falsi, sed omnia et singula divinitus esse inspirata, et e contra de Deuteris Bibliis hoc dici non posse; quae interpretatio nimis dura apparet et inepta, siquidem neque Hieronymus, ut suo loco dixi, hanc explanationem suis illis verbis nexuit, neque doctores ecclesiastici Hieronymi interpretes et sectatores hanc differentiam excogitarunt. Minime vero est in Lyrano mirandum quidquid ipse de nostris Scripturis scripsit, ille enim, ut vulgata opinio est, origine judaeus, ac postea christianus Fratrum Minorum institutum amplexus est, ubi in sacram Scripturam celebratum opus perfecit. De hoc insuper mihi notare placet, quod ex adversariis quidam scripsit: « In Scripturas Lyrani notationes quam accuratissimae habentur, et ipse praecipue litteralem sensum inspicit, cui tamen aliquando scholarum subtilitatem inserit. In sui laudem quoque animadver-

tendum est, eumdem ob illarum expositionum soliditatem lectoribus admirationi esse, et quodammodo in Lutheri institutione, suorumque commilitonum ad reformationis operam profecisse. » Initio saeculi decimi quarti claruit Lyranus.

§. XXXI. Paulo post Robertus Holkoth natione anglus, dominicanus lectiones tresdecim, et biscentas in Sapientiae librum composuit. In hujus libri expositione probare conatur divinum esse hunc librum, neque Philonem esse illius auctorem: « Primo ex verbis Matthaei cap. XVII. ubi dictum est: - Morte turpissima condemnemus eum: - Quod Sapientiae liber praedixerat; deinde ex Irenaeo, ex Ambrosio, Augustino vel etiam a judaeis in honorem habitum esse testatur. » Exposita fuerunt ab eo etiam capita septem Ecclesiastici, quem eadem auctoritate ditavit. Morte vero praeventus hujus Scripturae commentarium explere non potuit. Eodem tempore Gorranus natione gallus scripsit in varios Scripturae libros commentaria, in quibus numeratur illud in Ecclesiasticum, et in quatuor evangelia ubi scriptis Deutero-Canonicis usus, divinitus inspirata ea esse fatetur.

§. XXXII. Assemani tomo III. Bibliothecae Orientalis scripta syriaca memorat, quae edita sunt ab Ebed-Jesu nestoriano, genere chaldaeo, qui vixit saeculo decimo quarto. In censu librorum veteris testamenti haec habet: « Legis libri quinque, Genesis, liber Exodi, liber Sacerdotum, Numeri, et liber Deuteronomii. Deinde liber Josue filii Nun, post hunc liber Judicum, et Samuel, et liber Regum, et liber Dabarjamim, et Ruth, et Psalmi David regis, et Proverbia Salomonis, et Cohelet, et Sirat Sirim, et Barsira (idest liber Ecclesiastici), et Sapientia magna, et Job. Isaias, Hosea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, et Hieremias, Ezechiel et Daniel, Judith, Esther, Susanna, Esdras et Daniel minor, epistola Baruch, et liber insuper Machabaeorum, et liber Tobiae et Tobit. » Haec e syriaco textu translata sunt. Praeter hos, alios libros addit Ebedjesu hebraeorum, quos minime a sacris et divinis discernit. Hic census ab eo *carmen admirabile* vocatur, in quo, ut ait: « Libros divinos et omnes compositiones ecclesiasticas proponit lectoribus. »

§. XXXIII. Joannes Gerson scribebat initio saeculi decimi quinti. Plurimis suis, et vario genere scriptis inspersit testimonia promiscue sumpta e Scripturis Proto-Canonicis simulque omnibus Deutero-Canonicis veteris foederis, de quarum auctoritate sic lo-

quitur in tractatu de Communione sub utraque specie: « Quoniam sacra Scriptura debet considerari quasi sit una propositio copulativa connectens singulas partes, et unam confirmans per alteram, elucidans et exponens; quoniam si propositio aliqua sacrae Scripturae posita assertive per auctorem suum, qui est Spiritus Sanctus, esset falsa, tota sacrae Scripturae, sicut dicit Augustinus, vacillaret auctoritas. »

§. XXXIV. Alphonsus abulensis episcopus in Canone, et interpretatione sacrorum librorum omnino sese scriptis divi Hieronymi accommodavit, et quando de Scripturis Deuteris scripsit, Hieronymi verba in librum Judith: « Cujus auctoritas ad roboranda illa, quae in contentionem veniunt, minus idonea judicatur » Interpretatus haec addit: « Sacra autem Scriptura, etsi Prioribus minorem, eis tamen auctoritatem accommodat. » Haec leguntur in prologo Paralipomenon. Anno Domini 1440 vitam degebat abulensis.

§. XXXV. Dionysius carthusianus natione belga, eadem fere aetate abulensis innotuit et sanctitate et doctrina. Scripsit juxta Bellarminum in omnes Scripturae libros, omnesque pariter Priores et Deuteros veteris testamenti Scripturam sacram cognominavit et in sua scripta intulit. Articulo enim 28 in Job, Judith Scripturam protulit dicens: « Juxta illud Judith: (1) - Non ulciscamur nos pro his, quae patimur, sed reputantes peccatis nostris haec ipsa supplicia minora esse etc. » Articulo quarto in eumdem Job Tobiae librum advocat praefatus: « Quemadmodum scriptum est in Tobia: - Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, idest Tobiae, ut posteris daret exempla patientiae ejus, sicut et sancti Job. » Articulo 28 ex Sapientia (2) dicit: « Unde in libro Sapientiae scriptum est: - Cum sis justus, o Domine, omnia juste disponis. » Articulo 25 de Machabaeis narrat: « Sic in secundo Machabaeorum (3) libro legitur venerabilis illa septem fratrum mater filiis suis dixisse: - Nescio quomodo in utero meo apparuistis; neque enim animam et spiritum donavi vobis. » Ibidem Ecclesiastici caput primum sumit: « Hinc quoque in Ecclesiastico (4) scriptum est: - Timor Domini corona justitiae. » Articulo 14 Baruch sequitur testimonium in illis verbis: « Juxta illud Baruch: (5) - Quia non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam. » In praefatione vero libri Judith, cum incidisset in

(1) Judith c. VIII. — (2) Sap. c.XII. — (3) 2. Mac. c.VII. — (4) Eccl. c.I.11. (5) Baruch c.III. 28.

Hieronymi verba: « Legat quidem Ecclesia ad informandos mores, non ad confirmationem eorum, quae veniunt in contentionem, idest eorum, ait, credendorum, de quibus inter Catholicos et incredulos extat disputationis contentio, sed ad morum informationem. » Sequitur deinde sanctus doctor Hieronymi verbis innixus de libro Judith: « Sed quia hunc librum synodus nicaena, in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse » Canonicitatem Tobiae et Judith demonstrare volens ait: « Sanctae Scripturae vocantur Canonicae; ergo et liber Judith, et Tobiae, juxta nicaenum concilium inter Canonicas Scripturas habendus est. »

§. XXXVI. Ineunte saeculo decimo quinto sanctitate ac doctrina conspicuus scribebat sanctus Antoninus Florentiae archiepiscopatu fungens. Varia scripto mandavit, in quibus censetur Chronicon, et Summa Doctrinalis utriusque Theologiae, speculativae nimirum, et practicae, sive moralis. Omnes illius libri Scripturarum testimoniis conferti sunt tum illarum, quae dicuntur Proto-Canonicae, cum earum, quae Deutero-Canonicae appellantur, quas hic numerare vanum esset. Noverat quidem divus Antoninus quas Scripturas hebraei recipiebant et christiani, quaeque ab ipsis judaeis respuebantur, a christifidelibus vero acceptae. Et hoc notat maxime in suo Chronico de libris Machabaeorum; ait enim illos libros a judaeis non accipi, accipere vero Ecclesiam Christi. Attamen animadvertenda sunt quae sanctus titulo XVIII. cap. 6. (1) de Dilatione praedicationis scripsit in illa Hieronymi verba: « Sed tamen synodus nicaena in numero sacrarum Scripturarum legitur computasse. » Hoc dicit, sequitur Antoninus, Hieronymus in libro de Judith, et idem de aliis quatuor videtur dicendum; et de hoc habetur distinct. XV. Sancta Romana etc. Et idem etiam dicit Thomas secunda quaestione, et Nicolaus de Lyra super Tobiam, scilicet quod isti non sunt tantae auctoritatis, quod ex dictis eorum posset efficaciter argumentari in his, quae sunt fidei sicut ex aliis libris Scripturae sacrae; unde forte habent auctoritatem talem, qualem habent scripta patrum approbata ab Ecclesia. » His verbis quodammodo officere divinae Bibliorum Deuterorum auctoritati videtur Antoninus, quippe qui Lyranum in hoc secutus est, quem superius vidimus ab aliis longe sensisse de nostris Scripturis, ex quo Antoninus ipse ausus est illa verba addere: « Unde forte habent auctoritatem talem, qualem habent scripta patrum appro-

(1) Summa sac. theologiae, pars tertia. Ed. Venetiis in 4.

bata ab Ecclesia. » Alibi vero sanctus Episcopus de Canone divinorum Bibliorum egit, in quarto speculo de Potentia Intellectiva, §. 8. ex quo fortasse mens divi Antonini melius expenditur. Scribit enim: « Est Scriptura divina, quae quidem praesupponitur ad Deum intuendum. In isto speculo pro tanto videtur Deus, pro quanto locutio ejus est locutio Dei. In ipsa enim audimus Deum loquentem, et de se nos docentem. Ex auditu autem, et lectione videt quis intellectu, quod prius non videbat; habet autem istud speculum tres partes, secundum quod ipsa Scriptura veteris testamenti et novi trifariam dividi potest; in libros legales annectendo eis et historiales, in libros sapientiales, et libros prophetales; et in qualibet harum parte videmus Deum cum perfectionibus suis licet obscure. » Deinde numerat omnes Scripturarum libros veteris, et novi foederis juxta universalem Canonem, promiscue illos juxta suam divisionem describens, nihilque exponit discrepantiae inter Priores, ac Deuteras utriusque testamenti Scripturas, prout supra notaverat.

§.XXXVII. Gennadius constantinopolitanus de Primatu papae ad librum Sapientiae hoc modo appellat: « An non audistis Sapientiam dicentem: - Tunc stabit justus in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt. » De Purgatario cap. III. eumdem librum perspicuo ut divinum reputat scribens: « Nec ut a damnatione tantum liberetur, sed ut coelestis habitationis capax evadat, secundum oraculum: (1) - Tanquam aurum in fornace probavit illos, quasi holocausti hostiam accepit illos. » De primatu pariter pontificis, Ecclesiastici (2) testimonium suscipit: « Honorifica, inquit Deus, sacerdotes tuos. »

§. XXXVIII. Picus mirandulanus, desinente saeculo decimo quinto, mirabili ingenio praestans, brevi vitae spatio, quo vixit, vario genere scripta edidit. Nostra de quaestione theoremate quinto agit, scribens: « Vetus et novum testamentum divinarum litterarum credendum, et singulis sententiis eorum esse adhaerendum. Vetus et novum testamentum appello libros illos, qui ab Ecclesia Catholica in Canone Bibliorum recepti sunt; tametsi vetus testamentum proprie illud vocatur, quod datum est in monte Synai, ut ait Augustinus, sed juxta Ecclesiae consuetudinem testamentum vetus illud vocamus, quod a Prophetis, et sanctis viris ante adventum Christi in carne editum est.... In enumeran-

(1) Sap. c. III. 6. — (2) Eccl. c. VII.

dis autem libris hujus testamenti, quod ita appellavimus ex consuetudine Ecclesiae, distinguentes ipsum a novo, de quo sumus acturi, varii varia prodiderunt, suntque apud nos in auctoritate libri multi ejus voluminis, qui nihilominus ab hebraeis non recipiuntur. » Bene noverat Picus Scripturas Deutero-Canonicas ut divinas habere Ecclesiam idem ac Proto-Canonicas, attamen Lyrano obsecutus, et nonnullis Hieronymi testimoniis, quae parum discrevit, visus est quodammodo Scripturarum Deuterarum veteris foederis auctoritati detrahere. Prologum enim Galeatum divi ejusdem Hieronymi interpretatus, illiusque Canone censito librorum divinorum numero viginti et duorum, addit: « Hi sunt quos pro Canonicis haberi ab hebraeis commemorat sanctus doctor, quamquam a nostris aliter numerentur. » Deinde proponit alios Deutero-Canonicos juxta Hieronymi ibidem verba. Quamvis insuper idem Picus, Ecclesiae judiciis, vel decretis necessario credendum esse, probet, et veteri novoque testamento, ac singulis eorum sententiis adhaerendum, quae omnia Ecclesia ipsa universa recepit, probavit, quaeque credenda, observandaque mandavit; attamen visus est Picus non satis Hieronymi verba animadvertisse, sicuti suo loco notatum est, et firmiter, vel nimis strictim, et inconsulto Hieronymi ejusdem adhaesisse sententiis non aliter, quam Lyranus et nonnulli, qui eadem fere aetate vixerunt, quae omnia paulo post Reformationi adjumento fuere; quaeque simul patres tridentinos movere, ut in concilio iidem rursus decretum renovarent de sacro librorum Canone, quemadmodum antiquitus in Ecclesia ratus acceptusque fuerat, uti paulo post erit dicendum.

XXXIX. Priusquam vero ab his cessem disquisitionibus, notare par erit, graecam ecclesiam schismate a longissimo aevo praeoccupatam omnes Scripturae libros Deutero-Canonicos sacros habere ac venerari, illiusque scriptores saepissime suis operibus inseruisse harum Scripturarum testimonium. Hoc autem inter alios animadvertit Ackerman sua Introductione ad libros sacros veteris foederis, usibus academicis accommodata, Viennae 1825.

PROPOSITIO IX.

Disquiritur Scripturarum Deuterarum veteris foederis auctoritas, quam Concilia, pontificiae, et synodales epistolae illis contulerunt a saeculi sexti initio, ad concilii tridentini aetatem usque.

§. I. Ad illam aetatem recedentes, qua nos destitimus nuper ab investigandis conciliorum, et summorum pontificum sententiis pro Bibliis Deutero-Canonicis, eodem ordine, quo incepimus, in divum Theodorum papam I. incidimus, qui suis in epistolis synodicis utitur testimoniis e Scripturis istis petitis. In epistola prima ad Paulum patriarcham constantinopolitanum Sapientiae (1) verba extulit scribens: « Audivimus, dilecte frater, per timorem periculum nostrum, audiamus per spem repromissum consolationum solatium: - Ego sum, inquit Deus, pars haereditatis tuae.... et iterum: - Potentes potenter tormenta patientur. » In epist. XIII. divi Martini papae ad ecclesiam thessalonicensium de Pauli damnatione, Ecclesiastici sententiam (2) repetit dicens: « Quoniam igitur scriptum est, fratres: - Quis miserebitur incantatori a serpente percusso, et omnibus qui appropiant bestiis? Et sic qui comitatur cum viro iniquo, et obvolutus est in peccatis ejus. » In actis synodi romanae lateranensis sub eodem Martino habetur elocutio Maximi sanctissimi episcopi aquilejensis, ubi Susannae historiam memorat: « Ideoque, inquit, cum beata et nos exclamemus Susanna contra iniquos sacerdotes in defensione memoratorum sanctorum conciliorum dicentes: - Aeterne Deus occultorum cognitor, qui nosti omnia antequam fiant. »

§. II. Divus Gregorius tertius de diversis criminibus ad Tobiae librum confugit his verbis: « Quia scriptum est: - Fili in judicando esto misericors. » Zacharias pontifex ad diversos episcopos Galliae et Germaniae formula *scriptum est* (3) usus Ecclesiastici sententiam profert: « Filii Sapientiae Ecclesia justorum, et natio eorum obedientia et charitas. » Alias hujus libri utitur auctoritate sicuti et Sapientiae. In concilio Cloveshoviae secundo, anno 746. canone XXVI. de eleemosyna sic: « Quia, juxta Scripturam, (4) elee-

(1) Labbei anno 642., et Sap. c. VI. — (2) Eccl. c. XII. — (3) Labbei saec. 8. Eccl. c. III. 6. 1. — (4) Eccl. c. XXIV.

mosyna, quae fit ex substantia pauperum, quasi qui mactat filium in conspectu patris sui. » In exemplari synodicorum Theodori patriarchae hierosolymorum, quod habetur in actione quarta concilii nicaeni secundi legitur ex Sapientia: « Isti enim (sancti) ipsi cellaria Dei, et habitacula munda, sanctique spiritus purissima specula facti sunt: Ἀλλὰ καὶ αἱ ψυχαὶ αὐτῶν ἐν χειρὶ Θεοῦ πεφήνασιν ὡς γέγραπται, i. e. Sed et justorum animae in manu Dei sunt, sicut scriptum est. » In canone XVI. ejusdem concilii, Ecclesiastici dicta repetuntur: « Completur in eis quod scriptum est: - Abominatio peccatori Dei cultus. » In epistola Gregorii Papae III. ad Germanum constantinopoleos patriarcham, e Danielis cap. XIV. haec leguntur de idolo Bel: « An rursus a nobis sacrificia Bel in Babylone, et dracon in Palaestina oblata sunt? » Deinde de Judith ait: « Et hoc mirum non est; si enim Bethulia per manum Judith israelitidis salvabatur, cujus opus Holophernis peremptio fuit, et hanc salvatricem Israel, qui per idem tempus fuerunt, praedicavere. » Pluries ejusdem synodi patres inter se eorumdem librorum testimonia extulere. In canone primo concilii cabilonensis habetur: « Decrevimus juxta sanctorum canonum constitutionem, et sacrarum Scripturarum doctrinam, ut episcopi assidui sint in lectione, et scrutentur mysteria verborum Dei.... ita videlicet ut illas Scripturas notissimas habeant, quae Canonicae appellantur, et earum sensum per patrum tractatus inquirant. » Quaenam sint istae Canonicae Scripturae, non hic decernitur; ast cum in canone XXXVI. ejusdem concilii proferantur Ecclesiastici verba: (1) « Juxta illud: - Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna extinguit peccata. » Jure dici posset Scripturas Priores cum Deuteris in illo primo canone commendatas esse.

§. III. Priusquam ad saeculi noni ecclesiastici aetatem adveniamus, haud mihi abs re videtur notare quidquid Joseph Blanchinius veronensis inter codices palatino-vaticanos invenit quodam in volumine signatum n.277. In hoc legitur sententia papae Leonis de Scripturis apocryphis. Idem Blanchinius suis amicis scribens divo Leoni Magno hunc foetum derogare videtur, et potius alteri pontifici ejusdem nominis tribuit. Aliqua ratione ut nonnulli autumant, ad saeculum octavum refertur, quo Leo tertius varia de disciplina ecclesiastica decreta protulit, uti e suis actibus excipitur. Quomodocumque sit res, hoc scriptum semper magnam au-

(1) Eccl. c. III. 6. 33.

ctoritatem nostro argumento conferet, ad traditionem de librorum divinorum Canone comprobandam: « Incipit sententia (sic codex) papae Leonis de Scripturis apocryphis. Curandum est, et sacerdotali diligentia maxime providendum, ut falsi codices, et a sincera veritate discordes, in nullo usu lectionis habeantur. Apocryphae Scripturae, quae sub nominibus Apostolorum multarum habent semina falsitatum, non solum interdicendae sunt, sed etiam penitus auferendae, atque ignibus concremandae. Quamvis quaedam sint in illis, quae videantur speciem habere pietatis, nunquam tamen vacuae sunt venenis, et per fabularum illecebras hoc latentes operantur, ut mirabili narratione seductos laqueis cujuscumque erroris involvant. Unde si quis episcoporum vel apocrypha habere non prohibuerit, vel sub Canonicorum nomine eos libros in ecclesia permiserit legi, qui priscilliani sunt adulterina emendatione vitiati, haereticum se noverit judicandum, quoniam qui alios ab errore non revocat, se ipsum errare demonstrat. Legitur autem omnis Scriptura divina sancti Canonis ab initio anni, usque ad finem in ecclesia sancti Petri hoc ordine. Tempore veris, hoc est septem diebus ante initium Quadragesimae usque ad octavam diem ante Pascha, leguntur quinque libri Moysi, cum Jesu Nave et Judicum; et septem dies ante Pascha liber Isaiae; unde ad Passionem Christi, cum venit, lamentationes Hieremiae. Diebus autem Paschae, epistolae Apostolorum, et actus eorumdem, atque Apocalypsis usque Pentecostem. In tempore autem aestatis, Regum, Paralipomenon libri usque ad medium Autumni, hoc est xv. kalendas Novembris. Deinde libri Salomonis et Mulierum, atque Machabaeorum, et liber Tobi usque ad kalendas Decembris. Ante autem Natalem Domini Nostri Jesu Christi, Isaiae, Hieremiae et Daniel usque ad Epiphaniam. Postea quidem Ezechiel et Prophetae minores, atque Job usque idus februarias. Psalmi omni tempore; Evangelium et Apostoli similiter. Tractatus vero sancti Hieronymi, Ambrosii, ceterorum patrum, prout ordo posuit, leguntur. Explicit. »

§. IV. Concilium aquisgranense saeculi noni initio habitum saepe suis decretis adnectit Scripturas Deutero-Canonicas, praemissis formulis *juxta illud,* vel *ut scriptum est;* ac alias de institutione sanctimonialium cap. v. ait: « Nescientes illud propheticum: (1) - Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et prae-

(1) Eccl. c. II. 1.

para animam tuam ad tentationem. » In secunda synodo aquisgranensi anno 836 habita capite tertio de ministerio regis disseritur, et postquam Job et Proverbiorum liber expositus est de hac re, Sapientiae libri effertur sententia: (1) « Et in Sapientiae libro : - Diligite justitiam qui judicatis terram, sentite de Domino in bonitate. » Capite XIII. de educatione liberorum dicitur: « Attendite etiam Tobiam, de quo legitur allocutus esse filium suum : - Omnibus, inquit, diebus vitae tuae habeto Deum in mente, et cave ne aliquando consentias peccato, et praetermittas praecepta Dei nostri. » Capite XVIII. ejusdem concilii, libro secundo ad Pipinum regem Aquitaniae, Machabaeorum historia exponitur: « Idem igitur Deo sacratum templum ab externis gentibus constat esse veneratum, et multiplicibus donis honoratum, sicut habes de Hiram rege Tyri et de Seleuco rege Asiae, de quo libro secundo Machabaeorum (2) legitur : - Igitur cum sancta civitas habitaretur omni pace, leges etiam adhuc optime custodirentur propter Oniae pontificis pietatem. » Plurima hoc in loco ex eadem Scriptura sumpta sunt, uti ex sequentibus capitibus patet. Capite XXX. de Judith disseritur: « Quod vero Deo oblata, quae utique sancta vocantur ab his, quibus officium non est, auferri immo contingi fas non sit, verba Judith (3) loquentis ad Holophernem patenter innuunt, quae ita inquit : - Denique hoc ordinant, ut interficiant pecora sua, et sanguinem eorum bibant, et sancta Domini sui, quae praecepit non contingi, in frumento, vino et oleo haec cogitaverunt impendere et volunt consumere, quae nec manibus debeant contingere ; ergo quoniam haec faciunt, certum est quod in perditionem dabuntur : - Et si forte quaerat quisquam ex qua auctoritate Judith haec verba protulerit, legat diligenter Leviticum et ceteros veteris testamenti libros etc. » Sententiae istae, quibus a concilio confirmantur ea, quae regi Pipino ab eodem suggeruntur, sunt ex illis Scripturis divinis, quarum primo et secundo capite a patribus praescribitur lectio. Nicolaus Papa I. suis in encyclicis ad episcopos et ad fideles in causa Photii (4) saepe saepius Scripturarum Deuterarum utitur testimoniis, et eas se profitetur habere ut oracula divina una cum Proto-Canonicis Bibliis. In Breviario synodi octavae de cultu sacrarum imaginum contra Photium omnes patres concilii verba Chrysostomi protu-

(1) Sap. c. I. 1. — (2) 2. Mac. c. III. — (3) Judith c. XI. — (4) Labbei anno 860.

lerunt: « Pro veritate laicos et sacerdotes loqui, et certare contra impios, juxta Scripturam dicentem: - Ad mortem usque pugna pro veritate, et Dominus pugnabit pro te. »

§. V. Concilii troslejani in pago suessonico habiti sub Heriveo remensi episcopo, Christi anno 909 caput primum de regibus eorumque officiis testimonium exhibet e libro Sapientiae: (1) « Attendant, inquit, reges, quid Sapientia dicit: - Diligite justitiam qui judicatis terram.... Audite reges, alibi, et intelligite, discite judices finium terrae, praebete aures vos, qui continetis multitudines et placetis vobis in turbis nationum: - Existunt et alia multa sacrarum Scripturarum testimonia regio nomini et officio convenientia. » Capite XIII. ejusdem de mendacio sic ex eodem libro arguit: « Attestante nimirum Scriptura: - Os quod mentitur occidit animam. » Capite VI. de oblationibus et decimis Ecclesiae debitis, utpote probatis e Scriptura Mosaica de Abrahamo et Jacobo, additur: « De sancto quoque Tobia legitur: - Quia pergebat ad Hierusalem, ad templum Domini, et ibi adorabat Dominum Deum Israel, omnia primitiva sua, et decimas fideliter offerens: - Ecce habes quae imiteris sanctorum patrum exempla. » Cap. VII. de rapinis, Ecclesiastici verba relata sunt:(2) « Sane, scribitur, statuta Ecclesiae antiquae praecipiunt eorum, qui pauperes opprimunt, dona a sacerdotibus esse refutanda, et merito cum sint apud Dominum abominabilia, testante super hoc Scriptura: - Qui offert, inquit, sacrificium de substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris. » Capite IX. de accusationibus disserentes patres, Susannae historiam protulerunt: « Sed quia in historia Susannae duo testes, qui idonei videbantur, et in historia Nabutae, verum et in historia passionis Domini nostri duos testes dixisse testimonium legimus, etc. »

§. VI. In synodo attrebatensi a Gerando episcopo celebrata anno 1025, cap. IX. de eo quod poenitentia post mortem prosit, Machabaeorum libri secundi attulit auctoritatem: « unde jure a sacris doctoribus purgatorius ignis esse dicitur, quod per eum peccata aliqua purgantur, prout viventes, aut eleemosynis, aut sacrificiis, aut certe, sicut antea diximus, vicaria poenitentiae solutione obtinere. Unde et Paulus ait (hoc loco adest mendum et desiderantur Apostoli verba) deinde sequitur: - Quia vir fortissimus Judas, collatione facta, misit Hierosolymam duodecim millia

(1) Sap. c. 1. — (2) Eccl. c. XXXIV.

drachmas argenti, offerre eas pro peccatis mortuorum, juste et religiose cogitans de resurrectione.... Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur: - Constat igitur, ut diximus, talium operum pretio defunctos posse a peccatis absolvi. » In epistola prima cap. IV. Leonis papae IX. anno 1050 Sapientiae Scriptura occurrit his verbis: « Catholica vero Ecclesia (scribit ad Michaelem patriarcham constantinopolitanum) promissiones tuas, Domine, retinens quotidie gaudet compleri in doctoribus suis illud Sapientiae: - Fulgebunt justi et tanquam scintillae in arundineto discurrent. » Ad eumdem epist. VI. eum hortatus ne Romanae sanctae et apostolicae Ecclesiae veluti matri maledicat, scribit: « Unde in Ecclesiastico (1) dicitur: - Quam malae est famae, qui fugit patrem, et est maledictus a Deo, qui exasperat matrem. » Paulo post eadem verba repetit praefatus: « Contra quem Sapientia Dei in Ecclesiastico sic intonat, etc. » Gregorius VII. epistola XXI. libri septimi ad Herimannum episcopum metensem Sapientiae testimonium profert: « Timeant reges aliique principes, ne quanto se ceteris hominibus hac in vita praeferri gaudent, tanto amplius aeternis incendiis subjiciantur. Unde scriptum est: - Potentes potenter tormenta patientur. » In concione synodali Urbani papae II. saeculo desinente undecimo, e Machabaeoram libris (2) haec leguntur: « Verum ne est (deplorat Urbanus calamitates Terrae Sanctae) quod dicitur: - Vae nobis, ut quid nati sumus videre corruptionem populi nostri, et contritionem civitatis sanctae, et sedere illic, cum dantur in manibus inimicorum sancta? » Altero sermone ejusdem in concilio claramontensi ad eumdem librum venit praelocutus: « Jam nunc ergo auctoritate loquamur prophetica: « Accingimini et estote filii potentes, quoniam melius est nobis mori in bello, quam videre mala gentis nostrae, et sanctorum. »

§. VII. Sub duodecimi saeculi dimidium ad Henricum regem Angliae Alexander tertius pontifex scribens, haec ait: « Te carissimum filium sincerius in Domino diligamus, cui in hoc grave periculum imminere videmus, et quoniam scriptum est: - Clama ne cesses, per Isaiam, etc. et alias per Salomonem in Ecclesiastico: (3) - Piger homo de stercore boum lapidari jubetur: - Duritiam tuam, sicut hactenus, contra justitiam etc. » In concilio turonensi 1163 sermo habitus ab Arnulpho, ejusdem libri haec ver-

(1) Eccl. c. III. — (2) 1. Mac. c. 2. — (3) Eccl. c. XXII 2.

ba exprimit: « Vae autem soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem. » Concilii lateranensis tertii canon XXI. de treguis servandis Sirach (1) verba protulit: « Si quis autem hoc violare praesumpserit, ordinis sui periculo subjaceat, et quoniam: - Funiculus triplex non facile rumpitur: - Praecipimus, etc. » In epistola Gregorii papae VIII. ad omnes christifideles, sic de Machabaeis: « Attendite qualiter Machabaei zelo divinae legis accensi pro fratribus liberandis extrema quoque pericula sunt experti, et non solum substantias, sed et personas pro fratrum salute docuerint ponendas, exhortantes ad invicem, atque dicentes: - Accingimini et estote filii potentes etc. » Ad Philippum belvacensem episcopum Coelestinus papa III. haec ex Ecclesiastico expendit: « Victor ergo sapientia vincendus est, quia sic legitur: - Sapientia vincit malitiam. »

§. VIII. Sermone Innocentii papae III. anno 1215. de concilio generali lateranensi habito, ex Ecclesiastico (2) haec probat: « Dormiendum est quoque nobis ab omni concupiscentia praesertim a concupiscentia rerum, quae procedit ex avaritia, scriptum est enim: - Nihil est avaro scelestius, et nihil iniquius, quam amare pecuniam. » In fine ejusdem alterum Sapientiae testimonium censet: « Propter illud: - Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum. » In epistola Gregorii papae X. ad Henricum leodiensem episcopum anno 1271 sic eum hortatur ad poenitentiam: « Aut quomodo (grex tuus) a contagione expiabitur, qua tu ejus medicus es infectus?: - Non enim, juxta Ecclesiasticum, (3) mundabitur aliquid ab immundo. Et Paulo post, juxta Sapientiae scriptum haec dicit: « Clamat enim quae non mentitur Scriptura, (4) et quid clamat?:- Quod exiguo debetur misericordia; sed potentes potenter tormenta patientur, et grave judicium imminet his, qui praesunt. » In synodi Exonii congregatae praefatione legitur e libro (5) Sirach: « Venit magnus medicus, quia ubique jacebat aegrotus, de cujus medicina dicitur in Ecclesiastico: - Unguentarius facit pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis. »

§. IX. Constitutiones synodi nicosiensis anno 1313 habitae a Petro ruthenensi episcopo testimonium exhibent ab Ecclesiastico (6) petitum: « Utere quasi homo frugi, ait sapiens, iis, quae tibi

(1) Eccl. c. IV. — (2) Eccl. c. X. 10. — (3) Eccl. c. XXXIV. (4) Sap. c. VI. 7. — (5) Eccl. c. XXXVI. — (6) Eccl. c. XXXI.

apponuntur, ut non cum manduces multum, odio habearis. » In alteris constitutionibus Joannis episcopi nicosiensis anno 1320 e Machabaeorum libro secundo de anniversariis pro defunctis solemniter celebrandis hoc sumit dictum : « Idem statuimus et ordinamus, quod anniversaria quae pro defunctis celebrantur, debeant solemniter celebrari ad hoc, ut viventes inducantur exemplo pro defunctis oblationes offerre, cum : - Sit salubris cogitatio pro defunctis exorare. » In actis tertii concilii regis et ecclesiae gallicanae, Parisiis celebrati anno 1398. haec de Machabaeis (1) dicta sunt a Petro Plaoul suo in orationis limine : « Propitius sit nobis Deus, non est nobis utile relinquere legem, et justitias Dei, ut eamus altera via, verba ista metuendissimi Domini mei faciunt ad propositum per hunc modum. Antiochus rex tenebat Hierusalem, et populum Israel in subjectionem et fecit in civitate elevari idolon, publicari et praecipi, ut unusquisque veniret ad adorandum idolon, et inducti sunt plures israelitae ad hoc, aliqui per pecunias, aliique per minas. Mathatias autem, et filii ejus non ierunt adorare; quod audiens Antiochus misit ad eum legatos pro inducendo ut adorarent, dicentes : - Tu eris amicus regis, et amplificabit te auro, argento et multis muneribus etc. »

§. X. In concilio constantiensi anno 1417 theologus Mauritius de Praga, capite primo clamat ex auctoritate divi Augustini fieri nullo modo posse, quod sacrarum Scripturarum auctoritas ex aliqua sui parte mentiatur, et ostendens quod auctoritas Scripturae praeferenda sit omni consuetudini inter alios Scripturae libros, Ecclesiasticum (2) compellat : « Non contradicas verbo veritatis, ne de mendacio in eruditione tua confundaris. » Ex eadem Scriptura, Jacobus episcopus laudensis eodem in concilio locutus alterum profert testimonium : « Attende quod cor durum mala habebit in novissimo, et qui amat periculum, peribit in illo. » Oratio habita in concilio Basileae anno 1437. ad convertendos bohemos aliquando Ecclesiastici (3) auctoritati innititur, utpote Scripturae divinae : « Dicitur enim : - Maledictus a Deo, qui exasperat matrem. » Et postea de vita aeterna Tobiae librum repetens illius verba praedicat : « Inquit Tobias : (4) - Filii sanctorum sumus, et vitam expectamus, quam Dominus daturus est illis, qui spem non mu-

(1) 1. Mac. cap. II. — (2) Eccl. cap. XL. — (3) Eccl. cap. III. 18. — (4) Tob. c. II. 18.

tant. » Alibi Biblia Deutero-Canonica hac in synodo citantur. Quod autem nos ibi animadvertere debemus, oratio est Joannis de Ragusio de communione sub utraque specie, in qua praeclara nobis dicta proponuntur de re nostra : « In primis quidem, inquit, manifestum est Bibliam, quae est fundamentum totius fidei nostrae et ecclesiasticae disciplinae, robur, et auctoritatem accepisse, et acceptatione et approbatione Ecclesiae universalis, secundum reparationem Esdrae scribae ante tempora Christi. Insuper manifestum est multos in eodem volumine libros contineri, qui apud judaeos in auctoritate non habentur, sed inter apocryphos computantur; qui tamen apud nos in eadem veneratione et auctoritate habentur, sicut et caeteri et hoc utique nonnisi ex traditione et acceptatione Ecclesiae universalis Catholicae, quibus contradicere nullo modo pertinaciter licet: » Cum omnis Scriptura (antea dixerat) veteris testamenti et novi contenta in volumine Bibliae edita sit ab auctoribus suis, Spiritu Sancto inspirante. » Hoc in concilio per acceptationem harum Scripturarum, nullis patrum obstantibus, earum probatur divina origo et testimonium, sicuti antea pluries statutum fuerat.

§. XI. Fere eodem tempore conciliuni Ferrariae inchoatum est alterum, quod postero anno, ea loca invadente peste, Florentiam translatum est, ex quo florentinae synodi nomen accepit. Ad hoc concilium praeter occidentales convenerunt alexandrinae, antiochenae et hierosolymitanae ecclesiae legati. Praecipuum autem negotium, quod ibi actum est, de concordia ecclesiae latinae cum graeca, illud instabat, de processione scilicet Spiritus Sancti, de additione seu explicatione illa in symbolo facta *Filioque*, de azymo et fermentato, de Purgatorio, ac beatorum fruitione, denique de primatu Romanae Ecclesiae. In his porro omnibus articulis sanciendis, atque in elocutionibus, ac disputationibus patrum, Scripturae veteris foederis Deutero-Canonicae in testimonium advocatae sunt. Collatione enim XXII. ubi probatur processio Spiritus Sancti a Patre, additur: « Et hoc constat ex textu divinae Scripturae, ubi Sapientia, vel Scriptura loquens de divina Sapientia (1) ita dicit: - Emanatio quaedam est claritatis omnipotentis Dei, et imago bonitatis illius. » Pariter probatur ex divina Scriptura (2) quod prodire idem sit ac procedere: « Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita. » Haec testimonia insuper, neque latinis, neque

(1) Sap. c. VII. — (2) Eccl. c. XXIV. 5.

graecis obstantibus saepe in medium prolata sunt. Ibidem de Purgatorio contra graecos, Machabaeorum libri in auctoritatem sumpti sunt. Sic patres concilii incipiunt: « Declaratur primo hoc ex veteri testamento in libro Machabaeorum, ubi dicitur: - Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. » Non abs re erit hic quoque animadvertere quidquid in continuatione operum (1) Natalis Alexandri legitur de Canone divinorum librorum, qui eadem in synodo sancitus est. Bartholomaeus Carranca Dominicanus, et archiepiscopus toletanus summam conciliorum publici juris fecit, quae pluries et vario volumine fuit edita. Decreto ad armenos inseruit alterum decretum, veluti esset unum et idem, quod ad Jacobitas direxit Eugenius IV. quod reapse ab eo non erat faciendum; namque discernitur decretum ad Jacobitas, quod adstruit auctoritatem librorum Deutero-Canonicorum, et incipit: « Cantate Domino, quoniam magnifice fecit » ab altero, quod ad armenos spectat, et initium sumit ab illis verbis: « Exultate Deo adjutori nostro. » Decretum ad armenos datum fuit anno 1439, ad Jacobitas porro alterum anno 1441. In hoc autem Scripturis Canonicis accensentur nostrae Deutero-Canonicae, et sic se habet: « Sacrosanta Romana Ecclesia Domini, et Salvatoris nostri voce fundata.... unum atque eumdem Deum veteris, et novi testamenti.... profitetur auctorem, quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante, utriusque testamenti sancti sunt locuti sunt, quorum libros suscipit ac veneratur, qui titulis sequentibus continentur. Quinque Moysis, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duobus Paralipomenon, Esdra, Neemia, Tobia, Judith, Esther, Job, Psalmi David, Parabolae, Ecclesiaste, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticum, Isaia, Hieremia cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetae, et Machabaeorum duo. » Quidquid autem Rainoldus anglus contra hoc decretum scripserit, utpote qui illud apocryphum et non genuinum existimaverit, parum vel nihil nobis officit, cum antea, ut a me notatum est, illo in concilio auctoritas Deuterarum Scripturarum divina suscepta, et approbata fuerit.

Adhuc vero temporis progressi, sepositis et conciliorum et pontificum ac patrum hac in re singulorum opinionibus, atque testimoniis, quae e Scripturis Deuteris veteris testamenti selegere

(1) Parte I. p. 34.

ad fidei dogmata comprobanda, laborem nostrum insumamus tantum in investigatione illorum fidei patrum et doctorum, qui in synodum tridentinam convenere, ut argumentum nostrum, inter alia multa, pertractarent contra quorumdam impiorum impetum, qui in Ecclesia Dei pseudo-christorum et pseudo-prophetarum personam gerentes, fidelium seductionem conati sunt.

PROPOSITIO X.

Concilii tridentini de Scripturis Canonicis decretum, atque causarum, quibus hoc decretum ultro sessione quarta firmatum est, explanatio.

§. I. Jam jam quoddam monstrum e tartari sinu in terrarum orbe apparebat horrendum; jam nova pugna Ecclesiae Dei instabat terribilis, jam vox maligna Lutheri resonabat auribus, qui pulvis et cinis superbit, ac in superbia elatus, humilitatis matris suae, quam ab infantia edoctus erat, misere obliviscitur. Haec, omnis peccati initium ei satisfecit, ut cor suum a recta via et a sancta institutione, quam annis multis in integrum servaverat, infelix averteret, ac tantis malis viam pararet, quae e longa aetate totius Ecclesiae excidium minata sunt, et nunc minantur, nisi firmiter fundatae. Adolevit hoc monstrum, et quasi gangraena nullo detentum obstaculo in occidentales plagas serpebat, multorumque animos ad hoc paratos inveniens, qui illud enutrirent, partim doctrinae specie allectos, partim morum ecclesiasticorum relaxatione tritos, alios vilibus negotiis elatos, ac prae his omnibus obtinuit sacerdotum ignorantia, quae tunc temporis nimium Redemptoris ovile occupabat. Attamen hoc impetu neque Christi verbum desiit, quod de suae Ecclesiae firmitate et diuturnitate in Evangelio praestitum fuit: « Et ego vobiscum sum usque ad consummàtionem saeculi. »

§. II. Modo vero, variis in fidei articulis, quae ab hac haeresi excussa fuere, illud inerat contra Bibliorum Deutero-Canonicorum divinitatem, quippe quod, juxta illorum opinionem, veterum patrum doctrinae obsistebat. Hoc rerum statu, Ecclesiae Christianae necesse fuit ut torrentis impetum cohiberet, qui hortum Salvatoris conclusum vastabat. Oecumenica synodus Tridenti opportuno collata est. Priusquam vero hoc negotium subeamus explanandum, lectorem monebimus non multis annis ante concilium tridentinum, synodum senonensem, etiam dictum parisiensem contra lutheranorum haereses, et pro reformatione Ecclesiae celebratam esse sub cardinali Antonio a Prato. Hoc in concilio voluere patres, christianos ab haeresibus suborientibus praemunire, ac ceteris exceptis, quae hic acta sunt, canone quarto, ubi decreverunt Scripturae auctores divinitus inspiratos esse, hoc ad-

diderunt: « In enumerandis igitur Canonicae Scripturae libris, qui praescriptum Ecclesiae usum et auctoritatem non sequitur, sacrum carthaginense concilium tertium, Innocentii et Gelasii decreta et denique definitum a sanctis patribus librorum catalogum respuit.... is veluti schismaticus et haereseon omnium incentor et fautor a tanta temeritate reprimatur. » Cum vero haec synodus haereticorum audaciam comprimere non valeret, necessario ad concilium generale perventum est, ubi de rei veritate decerneretur. Antea vero patribus visum est stabilire, quae ad Scripturas sacras et traditionem pertinebant, utpote fundamentum, in quo cetera fidei dogmata contra errores firmanda essent; et ob hoc in sessione quarta de libris divinitus inspiratis, et de traditione actum est. Hoc in loco quidquid cardinalis Pallavicini sua in historia concilii ejusdem de hac sessione narravit, paucis verbis recensebo. Sic enim scribit: « Optimum sibi (legato scilicet) factu videri, ut primum recenserentur ac reciperentur libri Canonici sacrarum Scripturarum, quo certo constaret, quibus armis esset in haereticos dimicandum, et in qua basi fundanda esset fides Catholicorum, quorum aliqui super ea re misere angebantur, cum cernerent in eodem libro a plurimis sancti Spiritus digitum adorari, alios contra digitos impostoris execrari. Hoc statuto, tria in peculiaribus coetibus proposita sunt. Primum, an omnia utriusque testamenti volumina essent comprobanda; alterum, an ea comprobatio per novum examen peragenda. Tertium a Bertano, ac Seripando propositum, an expediret sacros libros in duas classes partiri, alteram eorum, quae ad promovendam populi pietatem pertinent, et illius ergo, solum ab Ecclesia recepti tanquam boni; cujusmodi videbantur esse Proverbiorum, vel potius Ecclesiastici, Sirach et Sapientiae libri, nondum ab Ecclesia probati tanquam Canonici, tametsi frequens eorum mentio haberetur apud sanctum Hieronymum et Augustinum, aliosque veteres auctores; alterum eorum, quibus etiam fidei dogmata innituntur. Sed ea divisio, tametsi ab aliquo auctore prius facta et tunc a Seripando promota per libellum eruditissimum ea gratia conscriptum, quo cuncti libri Canonici rite expenderentur, uti revera firmam rationem non praeferebat, ita nec sua specie patres allexit, vix nacta laudatorem; quare nihil ultra disputatum est. » Supra a me dictum fuit, quomodo Hieronymi verba sint explicanda, et qua ratione ista divisio hodie parum, vel nihilum sit necessaria. Ex tribus vero quaestionibus propositis, in prima fuere citra discor-

diam, partem affirmantem secuti, pro qua Cervinus cardinalis in peculiari prius, deinde in generali coetu disseruit: « Aliquot, ajebat ille, sacrarum litterarum libros, non ab haereticis solum sed ab aliquo Catholicorum in dubium vocari; incompertum quidem esse, undenam ea dubitatio exorta fuerit, sed verisimile videri illam exhaustam esse ex haereticis cloacis, sedulo studentibus tanquam falso calumniari legitima testimonia, quibus falsitatem suam redargui sentiunt. Ad diserte comprobanda ea volumina, quae Canonica censerent, invitari patres exemplo et canone postremo Apostolorum ac trullano concilio, in quo illorum pleraque censentur, et laodiceno eadem plane connumerante, ac tertio carthaginensi, quod libros Judith, Tobiae et apocalypsis inter divinos agnoscit. Consimilem etiam syllabum fuisse confectum a Ss. Athanasio et Gregorio nazianzeno, a quarta synodo toletana, ab Innocentio ac Gelasio romanis pontificibus, ac denique concilio florentino. » Hoc in loco historicus omnia concilia simul sumpta censuit, quae de Canone divinorum Bibliorum decreverant, quin ulla inter ea differentia notaretur. Quando vero actum fuit in synodo de examine, quo comprobanda erant sacra volumina, valde disputatum fuit inter patres, dum quidam sentiebant nulla ratione esse de ea re contendendum, cum jam praeactis conciliis Scripturae ut divinitus inspiratae statutae essent, alii vero contra, rem ponderandam esse asserebant, ut plus magisve confirmaretur fidei dogma, quod in privato consessu coram Cervino, id promovente, praevaluit. Arguebat enim ipse adhibendum esse examen, non solum quo veritas comperiatur, sed quo etiam confirmetur. Debere patres non se ipsos tantummodo alere coelestis sapientiae pabulo, sed esse pastores, quin et pastorum pastores; proinde sui esse muneris illos idoneos reddere, exhortari in doctrina sana, eosque qui contradicunt arguere, injunctum esse Catholicis a postremo lateranensi concilio, ut argumenta cuncta dissolvant objecta fidei nostrae mysteriis, cum plane necesse sit omnem hujusmodi argumentationem, quippe veritati oppositam, quoddam esse sophisma, ideoque dissolubile. Docuisse sanctum Thomam: - Quemadmodum theologi non est christianae fidei principia comprobare; ita ipsius esse partis eadem adversus oppugnatores tueri. - Id autem a summo illo doctore perfectum aurea Summa contra gentes. Pariter hoc probatur exemplis patrum antiquorum in suis, ac multis disceptationibus, quas cum haereticis habuerunt. »

§. III. Nunc ad primum propositum reversi, quod Scripturarum Canonem respicit, sequitur idem praeclarus historicus de concilii definitione: « Re ad eam suffragationis formam redacta, de cunctis sacrae Scripturae libris concorditer convenere, ac in sessione quarta, anno 1546 decreverunt his verbis: - Sacrosancta Oecumenica, et generalis tridentina synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem tribus apostolicae sedis legatis, hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut sublatis erroribus, puritas ipsa Evangelii in ecclesia conservetur, quod promissum ante per Prophetas in Scripturis sanctis, dominus noster Jesus Christus Dei Filius proprio ore primum promulgaverit, deinde per suos Apostolos tanquam fontem omnis, et salutaris veritatis, et morum disciplinae omni creaturae praedicari jussit, perspiciensque hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt, orthodoxorum patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris, quam novi testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentia suscipit et veneratur. Sacrorum vero librorum indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa synodo suscipiuntur. Sunt vero infra scripti, Testamenti veteris, quinque Moysi, idest, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae primus et secundus, qui dicitur Neemias, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium davidicum centum et quinquaginta Psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetae minores, idest Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, duo Machabaeorum primus et secundus. Testamenti novi, quatuor Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, Joannem; actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti; quatuordecim epistolae Pauli Apostoli, ad romanos, duae ad corinthios, ad galatas, ad ephesios, ad philippenses, ad colossenses, duae ad thessalonicenses, duae ad Ti-

motheum, ad Titum, ad Philemonem, ad hebraeos. Petri Apostoli duae, Joannis Apostoli tres, Judae Apostoli una, et Apocalypsis Joannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et Canonicis non susceperit, et traditiones praedictas sciens et prudens contempserit, anathema sit. » (1)

§. IV. De hoc concilii decreto, quid nobis erit respondendum? fortasse aliter synodus tridentina decernere debebat? Dicat aliquis, quid novi Ecclesia contulit hac definitione? Videtur ne ipsa ab apostolica et antiqua doctrina decessisse? Jure ne hoc decretum protulit? Antea satis aperte et singillatim omnium patrum sententias audistis. Est ne insuper aliqua synodus, vel oecumenica seu provincialis quae harum Scripturarum divinitati mentita sit? Adest ne quisquam summus pontifex, qui in suis vario genere epistolis encyclicis divinam harum inspirationem negaverit, vel illarum auctoritatem neglexerit, vel minoris quam Proto-Canonicas fecerit? Coram omnibus rei veritas adstat. Quaenam est ergo novitas illa, de qua synodus incusatur? Patres in hac sessione traditionem secuti, et alias synodos et pontificum decreta excipientes, eadem contra haereses firmarunt. Recta enim scripsit Bossuet agens de Eucharistiae Sacramento: (2) « Quid amplius novi addidit tridentina synodus nostrorum patrum decretis, nisi quidquid necesse erat ut magis, vel satius exponeretur id, quod adversarii obscurare conabantur, sicuti leviter sentient, qui nostrarum con-

(1) Meis porro disquisitionibus, (quod notatu valde dignum est) in quibus hucusque laboravi pro divinitate librorum Deuterorum veteris testamenti expendenda, minime circa novi foederis Scripturas Deutero-Canonicas sum versatus. Sed hujus tractatus omissio non abs re facta est, dum nostrae aetatis adversarii indicium satis apertum conferunt, se velle scilicet in his incedere juxta Catholicae, et Romanae Ecclesiae Doctrinam, illa Apostolorum scripta, vel fragmenta, ut divina auctoritate praedita, confitentes, omnino ab his secluso vocabulo *apocrypha*, quo a Canone sacro antea ab his respuebantur. Hac ratione huic labori peperci. Quod si quisquam horum Bibliorum divinam auctoritatem probari cupiverit, qua ab Ecclesia antiqua donata fuere, mihi quodammodo indicaverit; et ego ei obsecutus promitto, ubi praesentis studii tres partes edidero, me hoc secundum opus lubenter subiturum.

Item, si quis hoc percurrens scriptum, aliquid invenerit obscurum, quod nonnihil difficultatis pariat, et sibi non satisfecerit, illud auctori dignetur revelare, cum in altera parte locus patefiet de eadem re disserendi.

— (2) Tom. III. histor variat. lib. XV.

tentionum historiam norunt? » Si quandoque scriptor privatus horum Bibliorum auctoritatem negaverit, quod non facile probari potest, nunquid Ecclesia universalis cujusdam privati doctrinae erroneae obsequi deberet potius, quam approbare doctorum veterum suorum consensum, et sui vicarii audire vocem, qui a Deo constitutus est pastor agnorum et ovium, et electus ad confirmandos fratres suos? Idcirco scandalum illud, in quod offenderunt Ecclesiae Romanae infensi ob illius decretum pro Deuterarum Scripturarum divinitate, potius super nos ipsos convertatur, observantes eos a Catholica fide deficere, illius unitatem in mille partes secare, et parvulos christifideles, omni doctrinae firmitate sublata, huc illuc errantes decipere. Sed nos super firmam petram constituti, eorum perditionem magis, quam scandalum lamentati, vitam illam expectamus, quam Deus daturus est illis, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.

§. V. Praeterea neque hujus decreti auctoritatem imminuit quidquid senserunt aliqui, abesse scilicet ab hac sessione episcoporum omnium consensum, qui postea Tridentum convenere, ut istud aliaque ecclesiastica negotia discuterent. Nam ante hoc concilium fateri necesse est, pontificis maximi Pauli III. voluntatem fuisse, non particulare nec provinciale concilium congregandi, sed oecumenicum, quo errores omnes de medio tollerentur, et episcoporum omnium, qui in orbem terrarum dispersi erant, unanimis eorum fides comperta foret. Hoc planius firmatur per eumdem Paulum tertium in Bulla indictionis hujus synodi. Datum Romae 1542. XI. kalendas Junias, ubi sic ait: « Deinde animo repetentes majores nostros, sapientia admirabili, et sanctitate praeditos, saepe in summis christianae reipublicae periculis remedium optimum, atque opportunissimum, oecumenica concilia et episcoporum generales conventus adhibuisse; ipsi quoque animum ad generale habendum concilium adjecimus; exquisitisque principum sententiis, quorum nobis videbantur utilis in primis et opportuna ad hanc rem esse consensio. » Et nonnullis sepositis addit: « Spem prope certam habentes fore ut, cum illic in nomine Domini essemus congregati, ipse sicut promisit Dominus in medio nostrum affuturus et bonitate ac misericordia sua omnes temporum procellas, omniaque pericula spiritu oris sui facile depulsurus esset. » Et cum selectum fuisset Tridentum, civitas ubi patres convenirent, in qua oecumenicum concilium ad proxime venturas kalendas Novembris haberetur, subdit: « Idoneum locum illum statuen-

tes, quo ex Germania quidem, aliisque Germaniae finitimis nationibus facillime ex Gallia, Hispania, ceterisque provinciis remotioribus non difficiliter episcopi et praelati convenire possent, etc. » Hujusmodi se habet Pauli III. pontificis mens in synodi indictione. Nunc vero audiamus quae Pius quartus suis litteris de confirmatione hujus oecumenici concilii scripsit ad perpetuam rei memoriam: « Benedictus Deus et Pater Domini Nostri Jesu Christi, etc. Ad plurimas et perniciosissimas haereses extirpandas, ad corrigendos mores, et restituendam ecclesiasticam disciplinam, ad pacem et concordiam christiani populi procurandam, indictum jam pridem in civitate tridentina oecumenicum et generale concilium a piae memoriae Paulo tertio, praedecessore nostro, et sessionibus aliquot habitis, coeptum fuerat; ab ejus autem successore in eamdem urbem revocatum, post alias sessiones celebratas variis impedimentis et difficultatibus objectis, ne tum quidem peragi potuerat.... Nos autem post susceptum Sedis apostolicae regimen, tam necessarium ac salutare opus, sicut pastoralis sollicitudo monebat, divinae misericordiae fiducia perficere aggressi.... Cum autem ipsa sancta synodus pro sua erga Sedem apostolicam reverentia, antiquorum etiam conciliorum vestigiis inhaerens, decretorum omnium suorum, quae nostro et praedecessorum nostrorum tempore facta sunt, confirmationem a nobis petierit, decreto de ea re in publica sessione facto (scilicet ultima hujus synodi) nos, ex legatorum litteris prius, deinde post reditum eorum, ex iis, quae synodi nomine diligenter retulerunt, postulatione ipsius concilii cognita, habita super hac re cum venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus deliberatione matura, Sanctique Spiritus in primis auxilio invocato, cum ea decreta omnia catholica et populo christiano utilia ac salutaria esse cognovissemus ad Dei omnipotentis laudem, de eorum fratrum nostrorum consilio et assensu, in Consistorio nostro secreto illa omnia, et singula auctoritate apostolica hodie confirmavimus, et ab omnibus christifidelibus suscipienda, ac servanda esse decrevimus; sicut harum quoque litterarum tenore ad clariorem omnium notitiam confirmamus, et suscipi observarique decernimus. » Hisce positis, concilium tridentinum ab initio ad finem usque oecumenicum ab Ecclesia aestimatum fuit ac sancitum, et hac sanctione, auctoritatem universalem singulis suis in decretis ab omnibus christifidelibus adeptum est, et quamvis nonnullae synodales sessiones ab initio suffragiis omnium episcoporum, qui ceteris ses-

sionibus adfuere, non cumulatae sint, attamen sancta synodus in ultima sessione voluit ut recitarentur et legerentur omnia, quae diversis temporibus definita sunt quoad dogmata et morum reformationem, quibus lectis, patres concilii per apostolicae Sedis legatos a beatissimo romano pontifice statutorum omnium confirmationem petiere, quibus Pius quartus annuens omnes illos fidei articulos accipiendos, observandos et firmo corde credendos voluit, ut nuper a me relatis apparet.

§. VI. Quanta insuper hujus decreti esset auctoritas et fides, quam ei praestitere concilii patres et fideles omnes imposterum, et qua ratione applicanda sit illius sanctionis vis, juvet hic describere, quae synodi aliae provinciales de hac sessione quarta tridentina agentes, decrevere. Synodus dioecesana ecclesiae et episcopatus angamalensis antiquorum christianorum s. Thomae in montanis de Malabar Indiae Orientalis ab archiepiscopo metropolitano goensi Indiae, ac partium orientalium primate, auctoritate Clementis papae VIII. anno Domini 1599 collecta, de librorum divinorum Canone haec habet cap. XIV: (1) « Unum similiter, eumdemque Deum auctorem fuisse veteris et novi testamenti, idest Prophetarum et Evangelii; nam testamenti utriusque scriptores afflati Spiritu Sancto scripserunt. Itaque recipit Ecclesia omnes libros Canonicos testamenti utriusque, infallibilem in se veritatem continentes, atque a Spiritu sancto dictatos; videlicet e testamento veteri quinque Moysis libros, Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium etc. » Ac pariter descriptis aliis veteris testamenti et novi Scripturis, sicuti exhibentur a synodo tridentina, subjungitur: « Qui libri cum omnibus suis partibus sunt Canonici et infallibilem in se continent veritatem. » His addere quoque liceat quidquid sancitum fuit in concilio hierosolymitano anno 1672. praeside Dositheo Hierosolymorum patriarcha. (2) Definitionem integram enunciabimus: « Ecclesiae Catholicae regulam sequentes, sacram Scripturam eos omnes appellamus libros, quos a laodicena synodo Cyrillus Lucaris, ipso quidem corrogante, probatos recenset; iis insuper additis, quos insipienter, inscite, aut magis malitiose vocavit apocryphos, Sapientiam scilicet Salomonis, librum Judith, Tobiam, draconis historiam, historiam Susannae, Machabaeos et Sapientiam Sirach. Eos enim cum ceteris genuinis

(1) Mansi supplement. Conciliorum Tom. VI. p. 19. — (2) Suppl. Natalis Alexand. c. VI. parte I. p. 40.

sacrae Scripturae libris, seu germanas ejusdem Scripturae partes censemus esse numerandos. Quoniam, quae sancta Evangelia, aliosque Scripturae libros, ut genuinos tradidit, antiqua consuetudo, seu magis Ecclesia Catholica, et istos haec ipsa seu sacrae Scripturae partes procul dubio tradidit, quatenus istos qui neget, et illos recusaverit. Sin vero a cunctis haud recenseri omnis fortasse videantur; isti nihilo secius a synodis, nec non et a multis cum antiquissimis, tum nominatissimis Catholicae Ecclesiae theologis recensentur, et sacras inter Scripturas numerantur; quos omnes et nos judicamus esse Canonicos, et sacram eos esse Scripturam confitemur. »

§. VII. En tandem et sessionis tridentinae mens et patrum, aliorumque doctorum, qui eis successere de eadem re consensus universalis adeo, ut nulli liceat ab illius statutis decedere. In hoc enim illius Ecclesiae judicium objicio, quae prae ceteris antiquitatem jactat, et doctrinam a suis fundatoribus praedicatam, strictim adhaerendo sectatur, quae vera et divina, juxta sui auctoris divinitatem, singulis aetatibus, qui eam reciperent, servarent et integram posteris ad hanc usque diem traderent, nacta est; antiquitatem illius dixi, et stabilitatem, nam nulli vestrum latet, vix tercentos annos evolutos, ex quo matris vestrae doctrinam abjecistis, viam veritatis deseruistis, ut erroribus in quibus misere tabescitis, perpetuo laboraretis. Recordemini, huic Ecclesiae damnandi, ac absolvendi potestatem inesse, atque ad hanc spectare jus, humanas doctrinas scrutandi, approbandi quatenus fundatoris menti conformentur, vel aliter detestandi et obstruendi illud os, quod impie loquitur contra illius dogmata. Vester quoque judex est ille scriptor antiquus Eusebius, (1) quem vos elata voce celebratis. Idem namque istius Ecclesiae firmitatem his dictis extollit: « Nam cum ipse (Christus) non tantum fore praedixerit, ut quod suae voluntatis apud omnes populos monimentum extaret, tradita ab eo doctrina, ubi degeret humanum genus, longe lateque praedicaretur, verum etiam divina praesumptione illam ipsam, quae aliquanto post ejusdem numine ex omnium gentium societate conflata est, quaeque nec dum eo tempore, quo vitam inter homines homo ipse degebat, coaluisse videbatur, Ecclesiam nullis unquam viribus expugnandam ac ne ab ipsa quidem morte superandam . . . . . Ἑστάναι δὲ καὶ μένειν ἄσειστον, ὡς ἂν ἐπ'

(1) Libro I. Praepar. Evang. c. III.

ἀσείστῳ, καὶ ἐῤῥάγη πέτρα τῇ αὐτοῦ δυνάμει βεβηκυίαν τε καὶ ἐῤῥιζωμένην ἀποφηναμένου· ὑπὲρ πάντα λόγον, τὸ τῆς προῤῥήσεως ἀποτέλεσμα εἰκότως πᾶν ἄθυρον ἀποφράξοι ἂν στόμα τῶν ἀναισχυντῶν, ἀναιδῶς παρεσκευασμένων, . . . ἥτε ὀνομαστὶ προθεσπισθεῖσα ἐκκλησία αὐτοῦ ἕστηκε κατὰ βάθους ἐῤῥιζωμένη, καὶ μέχρις οὐρανῶν ἀψίδων εὐχαῖς ὁσίων, καὶ θεοφιλῶν ἀνδρῶν μετεωριζομένη, δοξασομένη τε ὀσημέραι, καὶ εἰς ἅπαντας τὸ νοερὸν καὶ ἔνθεον φῶς τῆς ὑπ' αὐτοῦ καταγγελθείσης εὐσεβείας ἀποστράπτουσα, οὐδαμῶς τε τοῖς ἐχθροῖς ἡττωμένη, καὶ ὑποείκουσα, ἀλλ' οὐδὲ ταῖς τοῦ θανάτου πύλαις ὑποχωροῦσα· διὰ μίαν ἐκείνην, ἣν αὐτὸς ἀπεφήνατο λέγειν, εἰπών· ἐπὶ τὴν πέτραν οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς : i.e. stare autem et manere inconcussum illius robur praenuntiavit, utpote quae illius vi et potestati, sic tanquam immoto, ac nullis omnino machinis perrumpendo scopulo, altis defixa radicibus niteretur. Hujus sane praedictionis veritas exitu comprobata, hiantem ac procacem hominum istorum buccam omni ratione justius obstruxerit, qui vulgo nihil non intemperanter, et impudenter effutiunt.... Praeterea, quam nominatim ipse divinitus praenunciavit, Ecclesia jam profundis nixa radicibus, hominumque sanctorum ac Deo dilectorum precibus, votisque sublata ad coelestium usque orbium fornicem caput attollit, ac novis quotidie dignitatis incrementis aucta, spiritali ac divino praedicatae ab illo pietatis fulgore passim ita corruscat, ut non suis tantum hostibus, sed ne ipsis quidem mortis foribus, vel tantillum debilitata concedat, quae quidem omnia per unam illam vocem ab eo prolatam, dum dixit: - Super petram aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam. »

EXPLICIT PARS PRIMA.

INDEX

ELOCUTIO *De linguarum hebraeae et graecae usu* . pag. v

Quid sibi velint in Scriptura vocabula *Proto-Canonicum*, et *Deutero-Canonicum* . . . . . » 1

SYNOPSIS *Sententiarum, quae contra Scripturas Deutero-Canonicas veteris foederis ex Hornaeo in suo libro, qui « Introduction to the critical study and Knowledge of the holy Scriptures » nuncupatur, tomo primo, pag.* 495, *excerptae sunt* . . . . . » 7

PROPOSITIO I. *De Canone Apostolorum; seu in novi foederis Scripturis disquisitiones, quae ad libros veteris testamenti Deutero-Canonicos spectant.* . . . . . » 13

PROPOSITIO II. *Doctrina Ecclesiae Romanae et Latinae de Scripturis Deutero-Canonicis. A saeculo primo usque ad sextum* . . . . . » 25

PROPOSITIO III. *De Ecclesia latina africana, seu carthaginensi, illiusque doctrina circa Scripturas Deutero-Canonicas e primis Ecclesiae Christi aetatibus usque ad saeculum sextum* . . . . . » 63

PROPOSITIO IV. *Ecclesiae alexandrinae documenta pro Scripturis Deutero-Canonicis, a saeculo Christi primo, usque ad sextum* . . . . . » 84

PROPOSITIO V. *Quanta auctoritate donata fuere Biblia Deutero-Canonica veteris foederis in Syrorum orientali, et occidentali ecclesia primis quinque Christi Jesu saeculis; ac primum de Bibliorum versione simplici, ejusque antiquitate, ac auctoritate disquiritur.* . . . . . » 110

PROPOSITIO VI. *Ecclesiarum hierosolymitanae, et graecae expenditur de Scripturis Deutero-Canonicis veteris foederis doctrina, non seclusis rationibus, quibus dictae ecclesiae ab aliis quodammodo secedunt, ac de vocabuli*

ἀπόκρυφα apocrypha *variis significationibus. Demum totum argumentum nostrum hic persolvitur* . . . . » 132

PROPOSITIO VII. *Bibliorum Deutero-Canonicorum investigatur auctoritas, quam consecuta sunt in conciliis, in epistolis synodicis, et encyclicis summorum pontificum a prima christianorum aetate, usque ad saeculum sextum*. . . . . » 172

PROPOSITIO VIII. *Sententiarum epitome, quas de Scripturis Deutero-Canonicis veteris foederis Ecclesiae doctores scripto mandarunt, ab initio saeculi sexti usque ad concilii tridentini aetatem* . . . . . » 198

PROPOSITIO IX. *Disquiritur Scripturarum Deuterarum veteris foederis auctoritas, quam concilia, pontificiae, et et synodales epistolae illis contulerunt a saeculi sexti initio, ad concilii tridentini aetatem usque* . . . . » 226

PROPOSITIO X. *Concilii Tridentini de Scripturis Canonicis decretum, atque causarum, quibus hoc decretum a patribus ultro sessione quarta firmatum est, explanatio* . » 237

IMPRIMATUR — Fr. Dom. Buttaoni Ord. Praed. S P. A. Magister.

IMPRIMATUR — Joseph Archiep. Colossen. Vicesg.

SESSIO QUARTA

CONCILII TRIDENTINI VINDICATA

SEU

INTRODUCTIO IN SCRIPTURAS DEUTERO-CANONICAS

VETERIS TESTAMENTI

IN TRES PARTES DIVISA

PER SACERDOTEM

ALOISIUM VINCENZI SAMMAURENSEM

IN ROMANO ARCHIGYMNASIO LITTERARUM HEBRAICARUM PROFESSOREM.

ROMÆ,

TYPIS S. C. DE PROPAGANDA FIDE

1844.

Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.

HIER. AD DAMASUM.

PROPOSITIO I.

De Canone divinorum Bibliorum a Flavio censito, de Philonis aegyptii in hac re opinione, ac de aliis hebraeorum scriptis ad hanç usque aetatem; et haec omnia accuratis observationibus, quoad fieri potest, traduntur.

§. I. Fide hucusque Ecclesiae Christianae Catholicae ostensa erga Deutero-Canonicas veteris Testamenti Scripturas ex illius ortu ad hoc usque aevum, necesse quoque erit ut opiniones animadvertamus, easque propulsemus, quas hebraei post illorum reprobationem suis scriptis, vel voci mandantes de hoc Canone extulere; et ob hoc blasphemiis in christifideles irrumpunt, ut ait Hieronymus. Ideoque maximi ponderis, ex quo potissimum pendet veritatis trophaeum, argumentum est, quod coram judaeis suisque in hac sententia commilitonibus, et Ecclesiae Catholicae hostibus ejusdemque voci surdis, enucleandum subit (1).

§. II. Ex hebraeis, qui primus huic dogmati obsistat, adest Josephus Flavius, qui obeunte saeculo Christi primo scribebat. Is, inquam, inter judaeos doctus, veterum Scripturarum libros numeravit, ac insuper discrepantiam quamdam illis adposuit, ut modo excipiemus e suis scriptis; in cujus verbis expendendis admodum attentionis meos lectores postulo, eosque rogo, ut sana, ac placida mente nullaque praesumptione ducti me sequantur. Interea autem haec sunt Flavii dicta, quae libro primo cap. VIII. contra Apionem protulit: « Itaque apud nos nequaquam innumerabilis est librorum multitudo dissentientium, et inter se pugnantium, sed duo dumtaxat et viginti libri totius temporis historiam complectentes, qui merito creduntur divini. Ex his quinque quidem sunt Moysis, qui et leges continent, et seriem

(1) In prima hujus operis parte adversariorum propositiones censui, ac expendi, quae pag. 8. §. I. et pag. 9. §. II. expressae sunt ab Hornaeo. In hac secunda parte rationes proferuntur, quibus hebraeorum doctrina de Canone sacro refellitur; deinde accedunt adminicula omnia, quibus comprobatur auctoritas horum Bibliorum. In tertia autem agitur de singulis libris, vel additionibus Deutero-Canonicis seorsim sumptis, ac ibidem discutientur omnes sententiae a celebrato auctore contra has Scripturas excerptae, sicuti in epitome primae partis descripsi.

rerum gestarum a conditu generis humani, usque ad ipsius interitum, atque hoc spatium temporis tria fere annorum millia comprehendit. A Moysis autem interitu ad imperium usque Artaxerxis, qui post Xerxem regnavit apud persas, Prophetae qui Moysi successere, res sua aetate gestas tresdecim libris complexi sunt; quatuor vero reliqui hymnos in Dei laudem, et praecepta vitae hominum exhibent. Ἀπὸ δὲ Ἀρταξέρξου μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου, γέγραπται μὲν ἕκαστα, πίστεως δὲ οὐκ ὁμοίας ἠξίωται τοῖς πρὸ αὐτῶν, διὰ τὸ μὴ γένεσθαι τὴν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν. i. e. Ab Artaxerxe autem usque ad nostram aetatem, scripta sunt quidem singula, fide vero non pari reputata sunt illis, quae antea fuerunt, eo quod non fuerit Prophetarum accurata successio.» Hoc in censu non effertur cujusquam libri sacri nomen; attamen e suarum Antiquitatum Hebraicarum historia satis erui potest. In his verbis Flavii fere tota quaestio nostra continetur, idcirco nobis sedulo sunt expendenda.

Primum, animadvertamus oportet Josephum Flavium palaestinum fuisse, et, ut in sua vita de seipso ait, e pharisaeorum secta, illorum scilicet, qui in accurata legum patriarum scientia, et custodia inter alios videbantur excellere. « Jamque annos undeviginti natus vitam instituere exorsus sum convenienter pharisaeorum sectae, quae proxime accedit ad sectam, stoicam a graecis dictam.» Qui legit intelligat. Quales insuper essent pharisaei isti, et qua ratione secernerentur ab aliis hebraeis, ex historia evangelica facile ediscimus, cum Salvator noster saepissime de ipsis, et ad ipsos loquitur, eosque arguit ut superbos, vanarum traditionum amatores, prae aliis severam doctrinam, sed non secundum scientiam, ostentantes, quorum fermento Jesus Christus idem discipulos suos abstinere jubet.

Secundo, ubi Flavius ait illis verbis: « Ceterum ab imperio Artaxerxis ad nostram usque memoriam, sunt quidem singula litteris mandata », non parum argumenti nobis attulit; aliorum enim librorum existentiam innuit praeter illos viginti duos, quos supra numeravit, quomodocumque horum verborum significationem et auctoritatem explicare velimus. Hoc modo historicus asseruit hebraeos ab imperio Artaxerxis, et ultra, sua gesta litteris tradidisse, et posteritati mandasse, quod alibi quoque firmavit. Atque ex his illorum saltem error ostenditur, qui ajunt Deutero-Canonicas Scripturas primis Ecclesiae Christianae aetatibus editas fuisse.

Tertio, prologum libri, qui sub nomine Sirach, vel Ecclesiastici habetur, aeque ponderando, excipere licet, hujus libri ex hebraeo in graecum sermonem, interpretem nullam instituere differentiam auctoritatis inter eos libros, qui ante, et post Artaxerxem exarati fuere. Tantum is innuit, per legem, et Prophetas, ac per alios, qui illis successere, veram sapientiam Israeli demonstratam esse, et demonstrari: « Avus enim meus, inquit, postquam se amplius dedit ad diligentiam lectionis legis, et Prophetarum, et aliorum librorum, qui nobis a parentibus nostris traditi sunt, voluit et ipse scribere aliquid horum, quae ad doctrinam, et sapientiam pertineant, ut desiderantes discere, et illorum periti facti, magis magisque attendant animo, et confirmentur ad legitimam vitam.» Quidnam discriminis hoc in libro inveniri poterit, qui nonnisi legis mosaicae commentarium divina caritatis praecepta perhibens, continet, quae interpres idem, ut sedulo legantur rogat, et aliis explicentur, qui juxta legem vivere cupiunt? Fatetur insuper Sirach autographum hujus libri hebraice scriptum fuisse; et hoc parem addit auctoritatem illis, qui antea hebraeorum lingua scripti sunt, libris; et ubi hujus libri momentum novit Sirach, multo labore in graecorum linguam transtulit ad instituendos mores eorum, qui secundum legem Domini proposuerint vitam agere, quod is minime fecisset, agnoscens hunc librum haud esse divinum, sicuti Moysis lex, prophetae sunt aliique scriptores Spiritu Sancto afflati; cum satis aperte innuat se scribere voluisse ad populum Israelem edocendum, quemadmodum patres sui perfecerant, uti revera sacri scriptores Proto-Canonici Moysis doctrinam secuti, et ceterorum, qui praecesserant, concionem habentes, hebraeos docebant, posterisque scripta mandabant; quod magis constiterit, cum singillatim de hoc libro suo loco egerimus. Neque autem contra haec facit, quod dixit in prologo Ecclesiastici sacer hujus libri interpres, de defectu verborum sua in translatione veniam petens; nam ibidem ab interprete respicitur tantum verborum significatio, et vis, quae deficiunt cum transferantur ex una ad alteram linguam, scilicet ex hebraeo in graecum sermonem; nullo modo vero rerum sensus, qui integer perstat ut in originali, sicuti ibi dicitur: « Nam deficiunt verba hebraica quando fuerint translata ad alteram linguam.» Haec conferantur cum Hornaei Appendice §. I. N. 3. part. I.

Quarto, quomodo, juxta adversariorum opinionem, historicus

noster Scripturis Deutero-Canonicis auctoritatem derogare praesumit, quando actu probat historiae veritatem, quae his continetur libris, de quibus agitur? Nonne totis viribus contra Apionem Flavius suae gentis gestorum veritatem demonstrare conatur, docens hebraeos, ut infra dicetur, prae graecis solertes, ac fideles fuisse, in suis actis describendis, ac servandis? Quomodo poterit Flavius additionibus Esther fidem negare, quae extra Canonem hebraicum leguntur, dum historiae suae easdem inseruit, sicuti in nostris Septuaginta habentur? Scribit enim (1): « Aliquanto autem post, cum Bagathous, et Theodestes, vel Tharras in eo essent, ut insidias regi struerent, Barnabasus alterius eunuchi servus, genere judaeus, iis intellectis, rem ad patruum uxoris regis defert. At Mardochaeus per Estherem regi insidiatores prodidit. Rex vero territus veritatem invenit, et eunuchum quidem cruci fixit; Mardochaeo vero, ut qui salutis ipsi auctor fuerat, tunc quidem nihil praestitit; tamen nomen ejus a commentatoribus in annales referri jussit, ipsumque in regia manere, inter regis habitum amicos maxime necessarios.» Septuaginta vero, et Vulgata nostra haec habent: « Morabatur autem Mardochaeus eo tempore in aula regis cum Bagatha, et Thara eunuchis regis, qui janitores erant palatii; cum intellexisset cogitationes eorum, et curas diligentius pervidisset, didicit, quod conarentur in regem Artaxerxem manus mittere, et nuntiavit super eo regi, qui de utroque habita quaestione, confessos jussit duci ad mortem. Rex autem quod gestum erat, scripsit in commentariis; sed et Mardochaeus rei memoriam litteris tradidit, et praecepit ei Rex, ut in aula palatii moraretur, datis ei pro delatione muneribus.» Quisquis harum narrationum unitatem percipit. Praeterea ibidem historicus censet exemplar epistolae regiae, quam misit Aman ad principes provinciarum super caedem judaeorum, ac etiam ejusdem edicti revocationem, ambaeque epistolae quasi ad litteram respondent textui alexandrino, vel Vulgato Deutero-Canonico, prout legimus. Insuper Machabaeorum historiam in fine XII, et XIII. libri Antiquitatum narravit. Quod vero maximi faciendum, liber ille est, *de imperio rationis* nuncupatus, ubi juxta institutionem, appositis Jacobi, Josephi, Davidis, Danielis in lacu leonum, trium puerorum in fornace exemplis, Machabaeorum denique

(1) Tom. I. pag. 568. Edit. Amstelod.

gesta recenset, ibique toto animo Eleazari suorumque filiorum, matrisque cum filiis, magnanimitatem extollit eamdem, ac patriarcharum, quos antea memoravit, dum alacriter potius mortem subeunt, quam patrum divinas violare leges. Ita vero, veterum heroum nullum per Flavium adponitur discrimen in texenda historia, quam ubique veram noverat, et dum ipse gesta Machabaeorum actis Jacobi, Danielis, Davidis jungit, eorum Scripturas pariter eadem auctoritate exornat.

Quinto, si strictim historici hebraei sententiam decernere velimus dum ait: « Ceterum ab imperio Artaxerxis ad nostram usque memoriam, sunt quidem singula litteris mandata, sed nequaquam tantam fidem meruerunt », nihil omnino redarguit partes Bibliorum Deutero-Canonicas, Danielis scilicet fragmenta, sive Susannae historiam, idoli Bel, Baruc librum, gesta Tobiae; cum hi eventus longe ante Artaxerxis imperium locum habuerint; ideoque, juxta Flavii verba, isti libri divini aestimarentur, quemadmodum alii viginti duo, quia ante Artaxerxem collati fuere. Num aliter dicendum erit, auctoritatem divinam Scripturarum Deuterarum imminuere Josephum voluisse eo, quod istae Scripturae tantum lingua graeca traditae fuerint, nequaquam vero in vetustissimo sermone hebraico, quo scripta permanserant Biblia Proto-Canonica, seu illi viginti duo libri, quos numeravit? Quod si ita esset, ratio quidem haec levis, et nullius, ut ita dicam, momenti ab omnibus accipienda foret, tantumque hebraicae nationis praejudiciis concedenda adeo, ut Dominus Prophetas suos solum litteris hebraeorum scribere cogeret, e quibus inde enasceretur illorum Bibliorum divina auctoritas. Isti libri enim viginti duo reapse characteribus hebraeorum descripti erant, et sunt adhuc; ceteri vero, de quibus agitur, litteris graecis legebantur, et eorum hebraici codices fere ignoti tunc temporis, et hebraeis, et christianis erant. Sed ex iisdem Flavii verbis alia erui possunt, quae contra eum faciunt. Antea enim dixit totius (praeteriti) temporis historiam complecti illos viginti duos libros; sed falsum hoc probatur e sua historia Antiquitatum; nam viginti duo libri hebraeorum desinunt in historia Estheris, vel aetate Artaxerxis, quae per annos circiter quadringentos a Flavii aevo distabat. Si aliter vero assentimur ei, dicentes scripta hebraeorum post Artaxerxem minorem habere auctoritatem, auferendae essent ex illis viginti duobus libris Scripturae Paralipomenon, quarum auctor biscentum

annos scripsit post Esdram, aut paulo minus, ni fallor, post Artaxersem illum, de quo ipse mentionem facit, ut alibi disseremus.

Sexto, si sedulo citata historici verba animadvertantur dicentis : « Ceterum ab imperio Artaxerxis sunt quidem singula litteris mandata, fide vero non pari iis reputata sunt quae antea fuerunt, eo quod non fuerit Prophetarum accurata successio », in alium scopulum incidit Flavius. Nulla est enim ei recta arguendi ratio dum ait Scripturas sacras post Artaxerxis aetatem editas minorem auctoritatem praeseferre, eo quod non fuerit Prophetarum accurata successio. Quisquis sapit, judex sit hujus rei, et quicumque novit rationem, qua divina revelatio homines agat, et Dei spiritus eorum menti instet. Historia forsitan, vel aliud scriptum quodcumque, ut divinum appelletur, et caelesti omnino inspiratione ditatum credatur, necesse erit, ut humana auctoritas illud suffulciat, et virorum multitudo, qui uni alteri ordinatim succedant, ad rebus, quae enarrantur, conferendum testimonium ? Si, juxta hebraeum scriptorem, haec una ratio esset, ad librorum Deuterorum auctoritatem imminuendam, admodum tenuis mihi videtur, ne dicam insulsa, ac indigna auctoris, qui in synagoga judaica doctoris et interpretis divinae legis nomen jactat. Ubi historicus mihi concessit, has Scripturas divinas esse, quod e suis eisdem dictis eruitur, neque ipse negat, nescio quid differentiae inter has subintroire possit, dum omnes pariter e divino fonte et eadem veritate emanant. Vel si alio modo sentit historicus, sanctorum Bibliorum divinitatem e successione Prophetarum vel scriptorum exoriri, qui sedulo rebus, quae ob eorum oculos acciderant, describendis vacarunt; in hoc, inquam, suae mentis rectitudinem probare nequeo, cum mihi Scripturarum divinitatem objiciat ex hominum cura, et diligentia, neque e simplici Dei providentia, qui, ut sibi placet, ad creaturas loquitur, eas suis in actibus dirigit, suis cogitationibus praesto adstat, ac diversis temporibus, varioque sermone, homines, omnino eorum curis, ac studio sepositis, eos ad scribendum vocat.

Septimo, satis constat judaeos, quamvis debiles, instabiles, et ad legis transgressionem pronos, attamen varie divina manu percussos ad priorem legum, et religionis observantiam reversos esse; et ob hoc in eis a Moyse usque ad Salvatoris

adventum pura servata est, et integra eorum disciplina, sacrificia scilicet, oblationes, ritus omnes divinitus praescripti; neque unquam desiit, nec fuit immutata patrum suorum religio, quantumvis in varias orbis regiones dispergerentur. Eodem enim tempore hebraei in medio eorum sacerdotes, et Prophetas aliosque duces, ubicumque degerent sive in Assyria, vel in Aegypto, seu in Palaestina, sive liberi, sive captivi forent, habuere, qui eos regerent, eorum gesta describerent, omniaque componerent ad singulas tribus spectantia; quod idem fatetur Flavius, uti, paulo ante praedicta verba, scripserat: « De nostris vero progenitoribus, ait, quod eamdem (mitto dicere an potiorem) quam praedicti graeci scilicet, et aegyptii aliique habuerunt in conscribenda historia curam, pontificibus et Prophetis id muneris injungentes, quodque usque ad nostra tempora, cum multa diligentia hoc ipsum servarunt, et, si oportet audentius dicere, etiam servabitur.» Si igitur israelitae inter se constanti animo suorum patrum eamdem religionem praestiterunt, eumdem spiritum, eamdemque rationem etiam post Artaxerxis aetatem, cur privandi erint eo excelso munere, quo priores decorati fuere, auferendo, inquam, eis divinam Spiritus Sancti communionem, cujus progenitores eorum fuere participes? Quare illarum post Artaxerxem Scripturarum parvi pendere auctoritatem? Si hebraei reapse tunc temporis a mosaica lege defecissent, novamque doctrinam praedicassent, aequa esset sententia, inter illos desiisse propheticum Spiritum, qui alios veteres agebat; sed hoc non probatur. Vel alio modo, si quis diceret post Christi resurrectionem, et pervicacem illorum incredulitatem Prophetarum verbis, divina oracula haud in medio eorum permansisse, facile sentirem; sed ante hos dies, minime credam, absit; gens enim sancta erat, populus electus. Nos vero extitisse Prophetas in populo Israel colligimus ex divi Joannis Evangelio (1) de Caipha, qui cum esset pontifex anni illius, prophetasse illum ait dicentem: « Nec cogitatis quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente.» Item Matthaeus capite XI. scribit: « Omnes enim Prophetae et lex usque ad Joannem prophetaverunt.» Quae verba, juxta latum sensum vocabulo

(1) Joan. Cap. XI. 49. 50.

Propheta concessum, ut altero loco dixi, clarum, ac stabile praebent testimonium, Spiritum prophetiae nunquam in populo hebraeo desiisse. Deutero-Canonici ergo scriptores hebraeorum fuerunt divinitus inspirati, sicuti Proto-Canonici usque ad Joannem Baptistam, qui fuit Prophetarum ultimus, et novi foederis principium, ut ait Origenes Homilia XXII. in hunc locum. Qua ergo audacia ex historico hebraeo argui potest ab adversariis, judaeorum scripta post Artaxerxis aevum, minorem et non divinam praeseferre auctoritatem (1) ?

Octavo, Josephus idem cum ante praedicta verba innuisset Prophetas, sacerdotes, et alios scriptores, res gestas, monumentaque populi hebraeorum collegisse, et tradidisse posteritati summo studio ad sui aetatem usque, ibidem subjungit eosdem Prophetas, et pontifices, quibus hoc munus mandatum erat, ex divina revelatione res conscripsisse ubicumque ipsi fuerint, puta in Aegypto, Babylone et alibi; ideoque videntur illius dicta: « Non autem fide digna reputata sunt pari iis, quae antea fuerunt » non omnino Bibliorum Deuterorum divinitati officere, sed potius quaedam tenues esse animadversiones pharisaeorum, in quibus natus erat et edoctus Flavius, qui cum a communi hebraeorum institutione variarent, hoc quoque inter sacras Scripturas discrimen commenti sunt. De hoc porro pharisaeorum judicio circa Sacrarum Scripturarum differentiam nullo modo est mirandum, dum singulis patet alias etiam sectas, quae una ante Christi adventum inter hebraeos irrepserant, samaritanos scilicet, et essenos, et sadducaeos, aliter a communi, et vera doctrina de divinis Scripturis sentire; novimus enim samaritanos, essenos, ac sadducaeos pluris facere quinque Moysis libros, quam alios Prophetarum; pari modo Flavius, utpote pharisaeus, esdrinum illum Scripturarum Canonem prae aliis extulit, quae postero tempore ab hebraeis descriptae fuerunt. Ideo quisquam viderit nobis minime standum esse Flavii auctoritati; namque non totius et universae synagogae ibi probatur doctrina, sed tantum cujusdam sectae hebraeorum, quae ab aliis ejusdem aetatis

(1) Quae autem hoc loco et alibi edissero non tantum contra hebraeos vertenda sunt, sed adversus illos quoque, qui hebraeorum doctrinam sectati malunt traditionibus vanis, et infirmis argumentis obsequi, quam Ecclesiae Christianae, ubi nati sunt, et enutriti, doctrinam tutius accipere, sicuti patres eorum veteres edocti sunt accipientes ab illis, qui anathematizantes hebraicas institutiones, Christum induerunt.

differebat, habetur opinio; et haec tanti facienda est, quanti samaritanorum et sadducaeorum de eadem re sententiae fiunt. Et si haec, inter hebraeos maxime illos de quibus loquor, doctrinae discrepantia ante Salvatoris adventum invaluit, dum illis adhuc credita erant eloquia Dei; quanto magis hoc erit dicendum post illorum reprobationem, e qua, eorum mente tenebris obducta, veritates revelatae non amplius ob oculos eorum splenduerunt, et Scripturae quoque variis divinae auctoritatis gradibus ab eis ditatae sunt. Consulas ob hoc librum illum antiquum *Misna* nuncupatum, ubi praecipuarum hebraicarum institutionum commentarium quoddam texitur, et attigeris varias hujus generis sententias et controversias inter synagogae magistros ortas.

§. III. Eadem aetate, nisi potius paulo ante, Philo aegyptius vivebat, genere judaeus, ac pariter pharisaeorum et essenorum erroribus imbutus. Is suorum scriptorum nullibi notitiam praebet Canonis Veteris Testamenti, sed variis in locis nonnullas e Scripturis sacris sententias excerpsit, de quibus egit Hornemann suo libro inscripto - Observationes ad illustrationem doctrinae de Canone Veteris Testamenti ex Philone. Hafniae 1785.- Iste summa cura omnia Philonis scripta perlegit, et meditatus est, ut illius opinionem ostenderet de divinorum Bibliorum numero. Veteris foederis libros in tres classes dividit Hornemann ex Philone. Classis prima tradit libros Scripturae, quos Philo idem claris indiciis divinos esse affirmavit, Pentateuchum scilicet, Josue, Samuelis primum, Esdram, Isaiam, Hieremiam, Oseam, Zachariam, Psalmos, Proverbia. Secunda classis capit Biblia, quae absque ulla eorum divinae originis notitie in testimonium vocavit; et censentur Judicum liber, Job, Regum primus, ac Psalmi nonnulli. Tertia classis exhibet libros, de quibus nulla mentio habetur apud Philonem, et isti dicuntur Neemias, Ruth, Esther, duo Paralipomenon, Daniel, Hieremiae lamentationes, Ecclesiastes, et Canticum Canticorum; quibus nobis subjungendum est eumdem philosophum neque Scripturas Deutero-Canonicas explicite memorasse. Ast in ejusdem Philonis scriptis ponderandis, mihi is sentire videtur divinam inspirationem in quinque libris Moysis tantummodo contineri, quum ab eo divinitus inspirati nuncupentur. Cetera Biblia, quae post Moysen edita sunt, uti Prophetae, et Agiographa, ea reputat quasi emanationes et interpretationes priorum quinque

ejusdem Moysis, ac etiam minoris auctoritatis ea facit; ideoque raro eorumdem testimonio utitur, ac plura juxta Hornemann omnino omittit; e quibus conjici nequit quid pro, seu contra Deutero-Canonicas Scripturas senserit. Neque hoc mirandum, spectatis iis, quae nuper censita sunt de Flavio, de auctore Misna, ac de aliis judaeorum sectis. Sensus mysticus, et moralis praecipuam Philonis librorum constituunt partem, parum propheticas sententias, earumque complementum animadvertit, historiam hebraeorum post Moysen fere neglexit, nullamque de Machabaeorum gestis mentionem fecit.

Ceterum vero patet eumdem Philonem, suis in quaestionibus de Sapientia divina locutum, plurimum affinitatis protulisse Sapientiae, et Ecclesiastici Scripturis non sensu tantum, verum etiam verbis, quamvis nullibi memoretur liber, neque auctor, quem illis dictis spectaret. In tractatu - De emigratione Abrahami - divinam extollens Sapientiam, haec ait: « Sapientia sicut lux instrumentum videndi est, sed seipsam quoque videt; haec Dei archetypon splendor, cujus effigies, et imago est.» Haec verba incidunt in alteram libri nostri, vulgo *sapientia Salomonis* dicti, sententiam: « Candor lucis aeternae, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius.» Praeterea in eodem libro, de ipsa Sapientia arguit: « Potentia Dei haec est, per quam disposuit, ordinavit, ornavitque omnia, quae propria bonitas est, aliena ab invidia et malevolentia; gratiarum vero mater est, per quas cuncta ex non esse ad esse perduxit.» Quae verba conformantur Ecclesiastici dictis cap. XXIV. « Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei, fructus honoris, et honestatis; ego mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei; in me gratia omnis viae, et veritatis, in me omnis spes vitae, et virtutis.» Tandem tractatu de eo, quod deterius potiori insidiari soleat, scriptum est, ait ipse, in libro: « Solum bene sperantem esse hominem: . . . proindé boni viri felicem sortem nacti spem et gaudium aut habeant, aut certe expectent bona; mali vero, quorum Cain est sodalis, in moerore, et timore degentes, praesentia, imminentia mala miserrimam portionem possideant, gementes ob molestias, quas habent prae manibus, prae metu autem ingruentium, trementes et horrentes.» Haec sumpta videntur e capite IV. et V. libri Sapientiae, et speciatim e verbis illis: « Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui

se angustiaverunt, et abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore terribili, et mirabuntur in subitatione insperatae salutis, dicentes intra se, poenitentiam agentes, et prae angustia spiritus gementes etc.» Haec de Philone aegyptio satis.

§. IV. Hanc aetatem praetergressi incidimus in vetustum hebraeorum librum *Misna*, de quo supra dixi, sub saeculi secundi finem, ut vulgo habetur, conflatum. Hoc porro scriptum mosaicae legislationis interpretationes varias e veteribus scholae hebraicae magistris collectas capit. Ibidem nonnulla inseruntur ex Machabaeorum historia. In Tractatu - De principio anni - cap. III. ut apud Surenhusium (1), hoc effertur: « Sex mensibus nuncii egrediebantur; mense Nisan propter Pascha, et mense Kislev pro festo חנוכה *Chanuca* i. e. dedicationis templi », quod tempore hiemali a Machabaeis institutum fuit, (ut ex Evangelio quoque eruitur), quando praestantissimus Judas Hasmonaeus, seu Machabaeus vicit duces Antiochi, profligatis militibus, et urbe recuperata, templum quoque repurgavit, idolum excussit, et aram cum templo rursus dedicavit. De eisdem Machabaeis aliud testimonium patens ex eadem *Misna* legitur in tractatu - De mensuris cap. VI. n. 5. (2) de quatuor conclavibus templi, ait: « Ad occasum brumalem erit conclave agnorum oblationis; ad ortum brumalem conclave Panum propositionis מזרחית עפונית בה גנזו בני חשמונאי את אבני המזבח ששקצום מלכי יון צפונית מערבית בה יורדים לבית הטבי לה, i. e. ad ortum aestivum (conclave) in eo collegerunt filii hasmonaeorum lapides altaris, quod profanarant reges Graeciae; ad occasum (denique aestivum conclave), e quo in balneum descendebant.» « Haec verba, ait Surenhusius, cuinam Scripturae loco referenda erunt, nisi seleucidis graeciae regibus, qui ab Alexandri Magni obitu regnum suum in Syria stabilierunt? Sicuti hic loquendi modus in libris Machabaeorum servatur passim, si quis capitis primi verba inspiciet, et maxime hos versiculos 46. 47. *Misna* illustrantes conferat, quos ea de causa huc transcribendos duxi: - Et cogitavit Judas de altari holocaustorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret, et incidit illis consilium bonum, ut destrueret illud, ne forte illis esset in opprobrium, quia contaminaverunt illud gentes, et demoliti sunt illud, et reposuerunt lapides, idest altaris contaminati, et destructi, in

(1) In Misna tom. 2. p. 315. — (2) Surenhus. tom. 5. p. 329.

monte domus in loco apto quoadusque veniret Propheta, et responderet eis : - Id factum tribuitur hasmonaeis, quos quidem eosdem cum Machabaeis fuisse in confesso est. Nam vocabulum *Hasmonaeus*, quod valere potest ac praepositi et praefecti reverendi, tribuitur illis, qui hoc fecerunt opus. Sic interpretantur Rabbi Joseph Davidis filius, Abenesra; et David Chimchi libro radicum appellat *Hasmonaeos* principes gradu eminentes, duces magnos.» Hoc quoque Bartoloccius clare demonstrat in sua Bibliotheca Rabbinica.

§. V. Ex hoc aevo ad posteras aetates accedentes, synagogae hebraicae magistros plurimos invenimus, qui suis varioque genere scriptis in Biblia Proto-Canonica, egerunt aliquando et de Deuteris Scripturis mentionem, quamvis minoris auctoritatis ab eis fiant, vel potius divina auctoritate priventur. Nunc tantum quidquid ex illorum scriptis excerpere potuī de hoc argumento, in medium proferam.

De libro Tobiae Bartoloccius in sua Bibliotheca Rabbinica (1) haec disseruit: « Tam ille, qui in chaldaeo a s. Hieronymo in latinum translatus est, quam alius, qui hebraice circumfertur, quod opus alienum a pura lingua hebraea respuitur a Ganz, tribuitur autem operae Munsteri, vel alicujus ex discipulis suis; isti quamvis inter judaeos pro legitimis non habeantur, sed ambo a Canone librorum Canonicorum excludantur; attamen historia Tobiae, quae in libro nostro a Hieronymo translato, et ab Ecclesia pro Canonico recepto, continetur, pro vera historia a judaeis habetur, cujus veluti verae et piae meminit auctor *Scialsceleth Hacabbala* (2), et ante eum *Juchasim*; quamvis de tempore, quo haec acciderant, non concordant; porro auctor *Juchasim* haec habet: - ובזמן הזקיה היה מעשה טוביה הזדיק, i. e. Et in tempore Ezechiae fuit factum Tobiae justi: » Idipsum habet Rabbi David Ganz ad annum 209. quarti millenarii. Ab Auctore *Scialsceleth* de Tobia narratur: ספר טוביה אומרים שהיה בימי גלות בבל וכוונתו לשפר צדקותיו ונבואותיו ומראת מלאך רפאל אליו ומשבח הזיווג והצדקה, i. e. Librum Tobiae dicunt fuisse in diebus captivitatis babylonicae; et intentionem illius ad narrandum eleemosynas ejus, et prophetias et apparitionem Angeli Raphael ad eum, et laudem conjugii, et eleemosynae. » Xistus

(1) Tom. 2. p. 857. — (2) Bartol. ibid. p. 68. et p. 136.

Senensis in Bibliotheca (1) narrat hebraeos inter sancta scripta colligere historiam Tobiae, sed extra arcam servare.

§. VI. De libro Ecclesiastici ac de illius auctoris nomine, juxta celebratum Bartoloc. in tomo primo, scriptor *Scialsceleth Haccabala* titulum istius proprium indicavit hisce verbis : « ספר איקליסאסטיקו אומרים שחברו יהושע בן סרוק, i. e. Librum Ecclesiastici dicunt composuisse Jesum filium Saruq » qui idem est ac ben Sirach. Rabbi Azarias de eodem scribit : ואמרתי בן סירא מחבר הספר לאפוקי בן סירא נכדו שהוציא חבור זה של זקנו ההוצה כנראה בהקדמתו שמה, i. e. Et dixi Ben-sira, qui composuit librum, ut excluderem Ben-sira nepotem suum, qui evulgavit compositionem avi sui, ut apparet in praefatione ibi : « Antiquitus liber Ecclesiastici, (ita ait Bartolocc.) inter agiographa scripta connumerabatur ab hebraeis, ut colligitur e Talmude cod. בבא קמה *bavà qamà* cap. VIII., ubi ex hoc libro nomine *Chetuvim*, i. e. *agiographorum*, refertur haec sententia : Omnis avis cum specie sua habitat, et filii hominum in similitudinem illi ; hoc est, unusquisque diligit sibi similem : haec dicta nullibi reperiuntur in sacris codicibus hebraicis ; sed in libro Ecclesiastici cap. XIII., 19. eadem sub hac formula leguntur : Omne animal diligit simile sibi, sic et omnis homo proximum sibi : - Patet igitur hunc librum apud priscos hebraeos inter sacros codices relatum fuisse. De eo insuper fit mentio in *Berescit Rabbà* (2), ubi juxta hebraicum legitur : Rabbi Eleazar in nomine Ben-sira dixit : - in magno vel alto prae te ne quaesieris, in forti prae te ne scruteris : Ista in divina nostra Ecclesiastici Scriptura cap. III. occurrunt sic : Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scruteris : - Dubium autem exoritur, an loca, quae in Ghemara habentur sub nomine Ben-sira sint intelligenda de hoc nostro, quia in codice *Sanhedrim* prohibetur lectio libri Ben-sira his verbis : « Est traditio in libris haereticorum. Rabbi Joseph dixit, in libro Ben-sira etiam prohibitum est legere : - quia, juxta glossam, sunt in eo verba hyperbolica, et venit super eos, ut otiosam reddant legem : - Cum vero in libro nostro Ecclesiastici nihil otiosum, aut vanum inveniatur, liquido apparet hanc prohibitionem non intelligi de libro Ecclesiastici, sed de alio libro, qui sub nomine Ben-sira apud hebraeos circumfertur ; et ob hoc Rabbi

(1) p. 640. Ed. Paris. — (2) Sect. VIII. p. 10. col. 1. ed. Amstelod.

Ascer in compendio suarum conclusionum sub nomine פסקי הראש *pischè harosc*, quae ad calcem codicis *Sanhedrim* in Talmude reperiuntur, ait : - Qui legit in libris haereticorum, aut in libro Ben-sira, non habebit partem in saeculo futuro ; antea autem idem Rabbi Ascer dixerat juxta sententiam Rabbi Joseph, qui prohibet librum Ben-sira, quia in eo sunt verba vana, et otiosa, ut ex. gr. densibarbus, stultus, stupidus, et raram habens barbam, callidus, qui sufflat in calice non sitit ; quae verba non leguntur in Scriptura Ecclesiastici ; et forsitan de aliquo alio libro sub nomine Ben-sira intelligit Ghemarà, quem, cum apocryphus esset, interdixerunt talmudistae ; seu, ut arguit auctor *Scialsceleth*, doctissimum esse dicens auctorem Ben-sira, et scripsisse libros proverbiales ; immisceri tamen potuisse facile multa vana, et otiosa, et idcirco jure prohibitam fuisse ejus lectionem.» Non continere tandem librum Ecclesiastici istas vanitates palam habebitur suo loco, cum singillatim de hoc Scripturae libro peregerimus. Rabbi Azarias de *Rubeis*, et in libro *meor henaim* de eodem mentionem facit cap. XXII. : « Et haec solutio, secundùm meam sententiam, quoniam duo fuerunt seniores justi etc. . . . גם בסוף ספר בן סירא ידעת שאיננו נדחה מחכמינו אלא ביד אחת, i. e. Etiam in fine libri Ben-sira novisti, quoniam non ipse rejectus est a sapientibus nostris, nisi manu una.» Wolfius idem (1) fatetur librum Ecclesiastici lectum fuisse, ac citatum a talmudicis ; et hic probare conatur, nescio an jure, libros, qui a Rabbinis *chetuvim* vocantur, non semper eadem significatione, ut divinas Scripturas sumi, verum etiam *chetuvim* eos dici libros, qui digniores lectu ceteris aestimantur, inferiores tamen illis, qui divinitus sunt inspirati.

§. VII. Xistus Senensis (2) de judaicis scriptoribus ait : « Librum Judith non solum Ecclesia Christiana, ut divinum recipit, sed ipsi pariter hebraei inter fide dignas historias tenent collocantes una cum libro Tobiae inter sancta scripta, quae apud eos extra arcam servabantur. Pseudo-Philo judaeus in volumine Chronographiae suae scriptum asserit Judith librum a Joachim sacerdote magno Jesu sacerdotis magni filio, qui in eo descripsit Judith Bethulianae ex tribu Ruben rarae incomparabilis foeminae victoriam, et obsessae patriae liberationem,

(1) Tom. 1. p. 259. — (2) pag. 640. ed. Paris.

quae per ipsam facta est anno decimo tertio Artaxerxis Prisci, qui Assuerus et Nabuchodonosor in Scriptura divina cognominatur, quique cum collega suo Syro primus medis, persis, et assyriis imperavit, ut primo Esdrae libro, et Danielis volumine legitur. » Hospinianus quidem in suo tractatu de festis judaeorum ex auctoritate Funcii anno mundi 3453. « Refert Joachimum, de quo Nehemia cap. XII. qui vices parentis Jesu in ejus absentia gesserit in summo pontificatu administrando annis octo, quique historiam Judith, et Esther conscripserit, festum etiam *Purim* instituisse, et anniversariam liberationis memoriam quotannis agendam. » De eadem historia juxta Wolfium mentionem facit Seldenus libro tertio de synedriis hebraeorum. Meminit ejusdem rei, et liber Ghedalias in *Scialsceleth*, et Ganzius. Rabbi Nissim in capite secundo, tract. de *Schabbath* eamdem memorat his verbis: « Filia Jochanam ducem hostium caseo cibavit, et eum inebriavit, et sic postea praecidit caput ejus, et fugerunt omnes. Propterea mos est in festo *Canuchà* vesci caseo. » Etiam si parum auctoritatis conferat ista narratio, ne dicam insulsam, tamen inspecta nostra quaestione, ad historiae veritatem confirmandam inservit.

§. VIII. In Canone Scripturarum juxta hebraeos, Xistus Senensis ex Rabbi Isaac Ben-schala de Machabaeis narrat: « Judas Mathathiae filius cum adversus Antiochum judaeorum hostem esset praelium initurus, dedit militibus suis, ceu belli tesseram, sententiam illam Moysis מי כמוך באלוים יהוה quis sicut tu in diis Domine: jussitque eam singulis ordinum vexillis, tanquam certae victoriae omen inscribi per quatuor has litteras מ כ. ב. י., quae initiales sunt praedictarum quatuor dictionum et earum sensum ex integro significant. .... Et postea paulatim militaris consuetudo obtinuit, ut hujus tesserae auctor Judas, ejusque posteri *Machabaei* cognomine appellarentur. » Bartolocc. (1) edidit textum hebraeum historiae Machabaeorum, quae velut epitome nostrae Machabaeorum Scripturae habetur hoc titulo מגלת אנטיוכוש i. e. volumen Antiochi, quod sic incipit: ויהי בימי אנטיוכוש מלך יון מלך גדל וחזק היה וחקיף בממשלתו וכל המלכים ישמעו לו: i. e. Et fuit in diebus Antiochi regis Graeciae, rex magnus, et fortis fuit, et validus in dominatione sua, et omnes reges obediebant ei. » Hoc

(1) Tom. I. p. 383.

vero volumen cum nostris variet Scripturis, tantum gestorum veritatem extollit. Apud eumdem Bartoloccium ibidem de Machabaeis in libro nuncupato *divré malché beth-sceni* i. e. Chronologiae regum (tempore) secundae domus pag. 37: editionis frobenianae dicitur, quod iste Eleazar fuerit filius Mathathiae frater regis Judae Machabaei; narratur ibi praelium commissum inter Judam et Antiochum Eupatorem his verbis: « ושם מת אלעזר בן מתתיה אחי המלך יהודה שראה סכין של זהב על פיל אחד וחשב כי על אותו הפיל היה אופטור המלך רכב כי עשרים פילים היו לו במחנה, ויתחזק אלעזר ויך בגבורי ימין ושמאל עד שנגע אל הפיל: Et ibi mortuus est Eleazar filius Mathathiae frater regis Judae, qui viderat gladium aureum super elephantem unum et cogitavit quod super illum elephantem equitaret rex Eupator, quia viginti elephantes erant in castris, et invaluit Eleazar, et percussit viros graecos ad dexteram, et ad sinistram usque dum pertingeret ad elephantem. » Rabbi Salomon Jarchi in illis verbis Psalmi 80: Domine Deus exercituum quo usque iratus fueris super orationem servi tui? etc. hanc interpretationem tradit: « עד־מתי עשנת לישראל בצרות מאד שהרעו יון מלכי i. e. Quousque iratus fueris i.e. de angustiis regum Graeciae, qui male affecerunt valde Israelem. » Et paulo post, easdem tribulationes, quas passi sunt hebraei ea aetate sub graecorum imperio, memorat Jarchi. Wolfius tandem de Machabaeis (1) haec tradit. « Citatur liber primus a Rabbi Azaria, et etiam ab Abarbanele; locum hunc repetit Ganzius in *Zemach David* anno 3590. hoc modo: « In libro *meor enaim* cap. 33. scribit nomine Isaac Abravanel finem regni graecorum, et initium regni Hasmonaeorum fuisse in terra sancta anno 1480. juxta computum graecanicum; sic quoque extat in libro primo Hasmonaeorum, quando Antiochus Epiphanes coepit affligere, vel destruere Israel anno 143. graecorum regni, et aggravavit manum suam super eos, cum posuerit abominabile suum, vel idolum desolans in sanctuario anno 145. et post tres annos, idest anno 148. respexit Dominus afflictionem populi sui et ejecit eum, et abiit ab eis in ira, et excandescentia, et fuit anno 149. mortuus est in infirmitatibus, quae non visae sunt sicut ipsae prae malo, vel cruciatu earum. » In festis judaeorum censentur etiam ista. In mense

(1) Bibl. Rab. tom. II. p. 204.

Adar die decimatertia celebratur a judaeis festum de morte Nicanoris, ut e Machabaeorum libro II. cap. XV. excipitur: « Habere autem celebritatem tertia decima die mensis Adar, quod dicitur voce syriaca, pridie Mardochaei diei. Die tertia mensis Caslev agitur dies solemnis in memoriam idolorum, quae destructa fuerunt, et extra templum ejecta ab Hasmonaeis, ut legitur in Machabaeorum libro I. cap. 4:-Et statuit Judas, et fratres ejus, et universa ecclesia Israel, ut agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum per dies octo, a quinta et vigesima die mensis Caslev cum laetitia, et gaudio. » Denique judaei utrumque librum Machabaeorum inter sacros habent, teste Erasmo in praefatione, quam versioni latinae libelli de Machabaeis, qui Josepho adscribi solet, a se adornatae, praemisit.

§. IX. De libro Sapientiae, teste eodem Wolfio tom. II. haec ab hebraeis narrantur: « A judaeis librum istum appellari dicit. חוכמתא רבתא ד. ש. ל. מ. ה., idest Sapientia magna Salomonis. Chaldaicae extitisse credendum putem Rabbi Moysi Nachmanidae, quia eum suis se oculis vidisse, in praefatione ad commentarium in lege, testatur; immo talis visus est Rabbi Azariae in *Meor-enaim*, ut dubium se profiteatur, utrum translatus sit liber, an ab ipso Salomone, lingua tamen syriaca, quam alii dicunt chaldaicam, exaratus. Verba illius ita se habent: « ממנו קרוב הוא אצלי אם לא נעתק שחובר מאת המלך שלמה בלשון ארמי לשלחן אל איזה מלך אשר בקצה המזרח i. e. De eo probabiliter mihi videtur quod si non translatus (liber) est, compositus sit a rege Salomone aramaice, mittendus ad quemdam regem, qui in extrema orientis parte (habitabat). » Huetius in Demonstratione Evangelica prop. IV. affirmat, Rabbinos aliquot Salomonem istius libri auctorem appellare. Idem Azarias addit rationem, cur in Canone non sit relatus liber iste, quia scilicet hebraei eos tantum libros recognoverint, qui scripti sunt a Prophetis per Spiritum Sanctum lingua sancta. Animadvertas lector, et hebraicae ex his verbis disce doctrinae momentum. Apud Isidorum hispalensem legitur nonnullos judaeos recepisse librum Sapientiae, ut Scripturam Canonicam.

§. X. De libro Baruch haec Wolfius tradit: « Mirum visum esse nempe nonnullis, quod libro quinto *Constitutionum Apostolicarum* capite ultimo, tradatur Baruch librum a judaeis in synagogis suis quotannis cum Thraenis Hieremiae legi, quod alii

cum Dallaeo pro falso habuerunt; alii vero de hellenistis quibusdam accipiendum putarunt.» Profecto Wolfio et Dallaeo hoc testimonium parum satisfacit, utpote quod suae doctrinae obsistat. De libro eodem Rabbi Azarias scribit. «ברוך המקובל לנוצריים בלתי מקובל אצלינו: i. e. Baruch qui receptus est a christianis, non recipitur a nobis.» Immanuel tamen Aboab in sua Nomologia refert: «Sapientes antiquos dicere Baruch filium Neriae discipulum Prophetae Hieremiae virum fuisse perfectissimum tam practice, quam theoretice, atque ideo promeritum prophetiae donum. Et vel sic tamen illud non obtinuit, quamdiu fuit in terra sancta ob pravam temporis conditionem. Cumque ideo, quod spe sua excidisset, multum conquereretur, reprehendi eum per Prophetam jussit Dominus. Hieremiae cap. XLV.» Circa tandem Susannae, Beli, et draconis historiam, ab eodem Wolfio asseritur acceptam esse a veteribus quibusdam, scilicet Habacuch Ben-Jesu, quod idem factum quoque est ab interprete graeco, ut ait Hieronymus in Danielem, ista scilicet non contineri in hebraico, sed partem esse Prophetae Habacuch filii Jesu de tribu Levi.» E scriptis quoque Origenis eruitur judaeos huic historiae minime esse mentitos. Quae de Scripturis Deuteris et earum usu, scripto mandarunt judaei, describenda studui, quorum tamen auctoritas de Canone sacrorum librorum instituendo tanti fiat, quantum haec postrema verba expostulabunt.

§. XI. Synagoga hebraica neque ante Christi adventum, nec post, instituere potuit Canonem veterum Scripturarum. Ante Christum utique, nullus Propheta, nullum synedrium, nulla synagoga stricte loquendo decernere valebant numerum sacrorum librorum, etiamsi Spiritus Sancti inspirationem in se ipsis probarent, et optime discernerent Scripturas divinas ab illis, quae ita non se habebant; minime vero, dicam, numerum Scripturarum statuere, dum iidem haud noverant Prophetas, qui in populo Dei futuri essent ante Messiae adventum, neque res memoratu dignas, quae Spiritus Sancti afflatu scribendae essent a posteris. Sed hoc tantum fieri poterat in adventu Messiae ejusdem, quem ipsi a longe spectabant, et ad quem referebantur eorum vaticinia, ritus, sacrificia, aliaque ejusmodi mystica in lege Moysis sancita; quippe quod Christus idem esset complementum legis, ut ipsi fatentur. De illius enim adventu vaticinatus Daniel inquit in eo implendas esse visionem, et pro-

phetiam, ac in ejus morte defutura (1) hostiam et sacrificium. Ubi autem advenit Christus, tunc in populo Israel Prophetae, qui Messiam praenunciarent, desiere. Et idcirco in Cruce Jesus exclamavit (2): Consummatum est, explevi scilicet omnia, quae imperavit mihi Pater, satis justitiae illius feci; et quidquid Prophetae praedixere, meique muneris fuit, absolvi. Cum vero consummatae essent Scripturae, visiones, prophetiae, quae testimonium perhibebant de eo, tunc jure institui poterat numerus veterum Bibliorum, eo quod nullus Propheta post Christum, qui de eo vaticinaretur, adfuturus esset. Ante hos dies vero nullus e Prophetis hebraeorum hoc praesumpsisset, dum non esset ipse Christus, sed tantum vir missus a Deo fidem perhibens de Christo, qui venturus erat. Errant idcirco admodum profecto, qui ajunt Esdram numerum divinorum librorum statuisse ac adeo determinasse, ut nullus inveniretur Propheta post se. Non enim erat ipse Christus.

Postquam vero venit Christus, et sui eum non receperunt, hebraei eo minus hoc sibi arrogant; nam posito, quod non conceditur, nondum advenisse Christum, dicendum foret Spiritum prophetiae ac coelestem inspirationem inter eos usque huc temporis permansisse, ut multi ex iis autumant, siquidem magistros eorum, qui libros insulsis, vanis, ac lubricis quoque doctrinis confertos scripsere, Prophetas nuncupant, ideoque ab illis neque hac praesenti aetate statui posset Canon divinorum librorum, cum nondum Messias advenerit. Nos vero, ut supra dixi, Christum venisse credimus illumque induimus, idcirco in eo consummata esse omnia, quae antea de ipso praedicta erant, fide tenemus; immo propheticorum sermonum divinitatem, et legis mosaicae spiritum ex illius adventu magis resplenduisse credimus, nec enim antea manifestis argumentis ostendi poterat, sicuti postea, coram omnibus tum hebraeis tum gentibus perspicue veteres Scripturas coelesti gratia fuisse conscriptas. Post Salvatoris adventum igitur, et illius cum hominibus conversationem censeri possunt quales et quot essent Scripturae veteris Foederis; et has Scripturas censere non ad hebraeos, sed ad nos merito pertinet, qui doctrinam Christi, et Apostolorum suorum accepimus; et hac doctrina continetur, ut antea probavi, numerus divinorum Bibliorum, quem Apostoli iidem instituere, quem-

(1) Dan. c. IX. 24. — (2) Evan. Joan. c. XIX. 30.

que per oralem traditionem Ecclesia fidelis Christi sponsa accepit, stabilivit, et ad hanc usque diem perpetuo tenet. Nullum enim, ut parte prima luculentissime firmatum est, concilium, nullae litterae synodales, et encyclicae summorum pontificum, ubi universae Ecclesiae christianae coalescit doctrina, praeactis temporibus, incipiendo a Clemente papa, qui divi Petri Apostoli auditor fuit ac ejusdem successor in episcopatu Romae, usque ad synodum tridentinam, nunquam mentita sunt, neque in dubium vocarunt Scripturarum Deuterarum divinitatem, quas propugnandas aggressus sum. Et hoc postremum argumentum prae aliis mihi videtur aptum hebraeorum vanitates et adversariorum patefaciendo errorem, in quo miseri versantur, synagogae hebraicae adscribentes auctoritatem, quae prorsus Ecclesiae christianae addicitur. « Ad Joannem usque, inquit Basilius (1), prophetia omnis penes judaeos stetit, sed ab illo tempore eis defuit, nec est apud ipsos, qui legis sensum modo spiritali interpretetur ob eam, quae Israeli contigit, coecitatem ; sed benignitate ejus qui posuit in Ecclesia primum Apostolos, deinde Prophetas, nunc in Ecclesia donum prophetiae reperitur. » Et revera, nunc temporis inter hebraeos contrectantur tenebrae, et inter christianos sol splendet ; ibi nox, et hic dies ; ibi reprobatio, et hic praedestinatio ; ibi error, et hic veritas ; ibi mors, et hic vita. Nos insuper non natura judaei durae cervicis, quorum induratum est cor, ut non intelligant, et oculi eorum excoecati sunt ; sed natura gentiles ab oleastro excisi, socii pinguedinum facti sumus, ac superaedificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu. Non ergo synagogam hebraeorum, sed Christi Ecclesiam lubenter et alacriter audiamus, ne ea, quae destructa sunt, iterum reaedificantes praevaricationem nostram constituamus.

(1) In Isaiam c. III.

PROPOSITIO II.

De necessitate, origine versionis graecae Septuaginta interpretum, de loco, et ratione, qua haec conflata fuit et accepta ab omnibus judaeis ante Redemptoris adventum; e quibus quodammodo Scripturarum veterum Deutero-Canonicarum adprobatur auctoritas divina.

§. I. Si veterum scriptorum opinionibus obsequi velimus, qui in linguarum indole et proprietatibus investigandis sunt versati, et vicibus pariter, quas istae, temporis progressu, subierunt propter regnorum eversionem, et rerumpublicarum immutationes, et maxime ob populorum emigrationes in alias gentes et alterius linguae, nobis huic innixis veritati, in hebraeorum gente eadem evenisse fatendum erit. A Moyse namque ad Babyloniam captivitatem, usque hebraeorum Scripturae linguae hebraicae proprietates perhibent, illius scilicet, in qua nati sunt, et versati, quamque integram servarunt usque ad illam in assyriorum regiones emigrationem, indeque ad hierosolymorum eversionem, qua judaeorum imperium decidit, et stetit alterum chaldaeorum. Nam hoc casu lingua quoque hebraica e nobiliori gradu delapsa splendorem suum amisit, et magna ex parte eloquio illorum confusa est, ad quos parentes illius translati fuere; inde factum est ut plerique loquerentur, vel scriberent chaldaeorum lingua, alii antiquam servarent, dictione tamen chaldaeis verbis permixta.

Praeterea, cum, Alexandro Magno duce, Phoenicia, Assyria, Perside, Aegypto, ceterisque Orientis terris pedibus graecorum calcatis, earumque imperiis dirutis, suae dictioni illas subegissent; et iis regionibus aevo diuturno immorati leges proprias instituissent graeci, eloquium quoque graecanicum cum illarum regionum viris parteciparunt adeo, ut ea lingua inter eos vulgata evaserit, quamquam vero haud oblivioni mandata fuerit lingua cujuscumque gentis indigena. Ex his omnibus inferendum est hebraeos ad postremam civitatis et templi ruinam, Scripturas posteris concessisse sermone exaratas, ea in regione ubicumque fuerint, tunc temporis vulgato, hebraico, seu syro chaldaico, vel graeco. Revera etsi Scripturas omnes veteres nunc legimus partim seu plerasque hebraeorum lingua descriptas, alteras chaldaeorum, aliasque graecanico sermone traditas; attamen, ubi

mundo invaluit graecorum lingua, non solum scriptores sacri graece scripserunt, verum etiam gratia divina, ut ait divus Chrysostomus, antiquae hebraeorum Scripturae ut converterentur in graecorum linguam providit, et haec est, quae vulgo apud nos dicitur *graeca Septuaginta Interpretum translatio*, ante Christum a judaeis in Aegypto conflata, ubi Scripturae quoque Deutero-Canonicae leguntur. Et hic, admodum mihi placet pro nostro argumento istius versionis originem, et auctoritatem expendere, quam e synagoga hebraica acquisivit ante ejusdem reprobationem. Ad hoc quoque me movent adversarii maxime, dum sub Hornaei nomine in Introductione ad sacras Scripturas, haec ajunt. « Libri apocryphi, ut jam animadvertimus, judaeorum alexandrinorum, et illorum, qui eis successere, opera extant. Ipsi omnes admiratione digni habentur, et ex illis nonnulli valde aestimandi. » Huic rationi adversarii innixi, praetextum eos ab suo divino Bibliorum sacrorum Canone removendi sumpserunt. Haec adversariorum sententia, quamvis reapse non ita se habeat, nos modo urget ad hebraicae in Aegypto synagogae doctrinam accurate investigandum, utrum nec ne quaedam causae extent, hebraeos illos de legislatione, cultu ceterisque illorum institutionibus incusandi, quibus Deus hunc populum et suos scriptores minus quam palaestinos dilexerit, vel protectione sua privaverit.

§. II. E postremo Hierosolymorum excidio per assyriorum manus, hebraei, qui in Judae et Israelis civitatibus remanserant ob chaldaeorum metum, reluctante Propheta Hieremia, in Aegyptum decesserunt, et ex illo aevo illam regionem incoluerunt judaei usque ad hodiernam diem. Quamvis post annos captivitatis septuaginta, ex omnibus Orientis provinciis hebraeorum plures in proprias Judae, et Israelis civitates redirent, favente Cyro, qui tunc illas terras imperio occupabat: attamen hebraeorum familiae plurimae, antiquis aedibus neglectis, illas novas, ubi nati erant, incolendas selegerunt, divinis vero institutionibus, quibus a patribus imbuti fuerant, continuo instantes. Insuper ante Alexandri Magni in illas regiones expeditionem, et maxime in Aegyptum, ubi triumphator civitatem, quam suo nomine decoravit, extruxit, traduntur hebraei ibi habitasse, uti contra Apionem testatur Flavius. Mortuo deinde Alexandro, regnoque diviso, et ubi Aegypti imperium sortiti sunt Ptolemaei reges, aegyptiorum res prospere ac magis sese gesserunt, ita

ut terras gentesque sub imperium suum traduxerint, in quibus magnam hebraeorum copiam. Reapse sub Ptolemaeo Philadelpho, qui successit Ptolemaeo Lagi filio, Alexandriae centum viginti millia hebraeorum censebantur partim ex iis indigenae erant, partim ab aliis regionibus, ac praesertim e Media, Perside, a Judaea quoque, et Hierusalem illuc traducti, quae a Ptolemaeo Lagi filio, dolo, ac fraude occupata fuit uti libro XII.; Antiquitatum Flavius idem dicit. Quamvis autem acerrimus hebraeorum hostis esset Lagi filius, illorum fidem tamen et sinceritatem expertus benigne in eos egit adeo, ut postea judaei multi ex Hierosolymis sponte, allecti et bonitate coeli, et Ptolemaei liberalitate in Aegyptum profecti sint. Non solum istos benevole tractavit Ptolemaeus idem, verum etiam illos libertate donatos alios in aulicos suos cooptavit, alios ad militiam adlegit. Idem accidit sub Ptolemaeo Evergete, Ptolemaeo Philometore, sub Cleopatra, ac insuper sub romanorum imperio hebraei aegyptii tranquillitate maxima fruiti sunt, quamque etiam potissimum Jesus Dominus noster expertus est tum, cum Herodis metuens tyrannidem e Judaea fugiens secessit in Aegyptum, ac ibi tutus usque ad mortem ejusdem Herodis moratus est. Appianus, et Justinus historici hoc idem testantur, quibus addendus est Polybius, qui libro v. disserens de Caelesyriae populis, ait illos fuisse promptissimo obsequio erga Ptolemaeos Aegypti reges, eosdemque coronis sacrificiis continuo honorasse. Sed parum esset quidem tutamen, et benignitatem erga hebraeos alexandrinos continuo a regibus Ptolemaeis praestita novisse, ast amplius nobis ibi mosaicae legislationi opera dandi, est miranda libertas, quam a regio imperio obtinuerunt hebraei adeo, ut in heliopolitana praefectura constructum fuerit templum sub Onia Sacerdote alteri hierosolymitano simile. Nullo modo autem est putandum israelitas aegyptios ob haec a legibus patriis defecisse, neque firmam concordiam servasse cum illis, qui regionem colebant Judaeae. Absit omne hoc. In divinis semper, et antiquis institutionibus firmi, suisque in sacrificiis, variisque ritibus, judaeis hierosolymitanis congruentes sese gesserunt aegyptii, vel satius, eisdem legibus vixerunt, quas Moyses divinitus acceptas in monte Sinai illis tradiderat. Illorum historiae hoc probant, Ecclesiastici prologus, Epistola *Purim* in libro Esther, Septuaginta duo senes, quos in Aegyptum a Judaea ad legis interpretationem perficiendam vocavit Ptolemaeus; Scriptura Machabaeo-

rum quoque in libro II. hoc idem testatur dicens: « Fratribus, qui sunt per Aegyptum, judaeis salutem dicunt fratres, qui sunt in Hierosolymis judaei, et qui in regione judaeae, et pacem bonam. Benefaciat vobis Deus, et meminerit testamenti sui, quod locutus est ad Abraham, et Isaac, et Jacob, servorum suorum fidelium; ut det vobis cor omnibus, ut colatis eum, et faciatis ejus voluntatem, corde magno, et corde volenti, adaperiat cor vestrum in lege sua, et in praeceptis suis, et faciat pacem; exaudiat orationes vestras, etc.» Haec dicta, hebraeorum alexandrinorum cum hierosolymitanis societatem claro ostendunt, et in legum observatione unitatem. Flavius suis in libris Antiquitatum hanc inter eos perpetuam unionem agnoscit, et apertissime contra Apionem hoc testatur: « Ex quo in Aegypto hebraei fuerunt, institutis suis semper usi sunt usque ad imperium Tiberii Claudii Caesaris.» Contra vero non facit quidquid narratur de templo Heliopoli extructo; quinimmo illud pie factum dicendum est, ne scilicet judaei inter ethnicos degentes ad eorum instituta traherentur. Ob idololatriam tantum Dominus hebraeos vetuit alterum templum in Juda et Israele, praeter illud in Sion (quod symbolum unitatis Ecclesiae Dei erat) erigi, quo omnes conveniebant tribus Jacob statutis temporibus. Longe vero a judaea, sub alio coelo hebraeis libertate donatis, religione patria haud impedita, in regiam fidem receptis, minime divino nutui obstabat quominus locus in Aegypto esset, quo convenirent ipsi ad laudes Domino canendas, ibique praecepta Moysis audientes peragerent; ac ita scandalum effugerent idolorum, et profanorum cultuum, in quod facillime offenderent a patria semoti, sine templo, sine altari, et absque sacrificiis. Et hoc idem firmatur ab eodem Flavio libro VII. - De bello judaico - sub finem narrante: « Concessum fuisse a Ptolemaeo judaeis aegyptiis Heliopoli aedificare templum, et more patrio Deum colere. Ita enim fore ut judaei ad bellum acrius excitarentur contra Antiochum (qui templum apud Hierosolyma vastaverat) ut ad ipsum propensa voluntate venirent, et multos ex religionis libertate colligeret.»

Quid tandem his omnibus indicare volui? Illam nempe hebraeorum copiam in Aegypto integram servasse Patrum religionem et Deo fidelem sese exhibuisse perpetuo juxta primi institutoris doctrinam; et ex hoc consequi Scripturas Deutero-Canonicas utpote judaeorum aegyptiorum opus, sicuti ajunt

adversarii (quamvis de omnibus dici nequit) non amittere divinam inspirationem, qua scilicet ditantur Scripturae Proto-Canonicae. Nam cum eamdem divinam legem servaverint scriptores, eamdem fidem, eamdem morum integritatem, easdem justitiae vias, Spiritum Sanctum eorumdem mentibus adfuisse dicendum est, eosque direxisse in libris, vel historiis conscribendis, sicuti ab aliis ante Esdram hoc factum erat.

§. III. Ulterius vero progrediamur; forsitan excogitandum hos hebraeos aegyptios scriptores, aut etiam Moysis legis interpretes, sicut et alii Prophetae, fratres suos decipere voluisse, eis enarrantes historias commentitias seu alios disciplinae libros componentes in illorum seductionem? Insuper populus iste omnium tribuum Israel, et Judae convocatio, et societas erat, quae undique in Aegyptum advenerant. Juxta Flavii citati sententiam, hebraei, praeter eos, qui ibi nati erant, et adoleverant, plurimi ad illam regionem abducti fuerant ab Assyria, et Media (ubi e decem tribubus Israel plures habitarunt) ac a judaea, et postera aetate multi haud inviti e Palaestina in Aegyptum descenderunt, sicut antea dixi. Quis conjicere potest Deuterorum Bibliorum auctores illudere voluisse, aut tot deceptos esse viros Scripturas recipientes, quae nequaquam sincerae, et divinae forent? Eo magis, quod horum Bibliorum auctores in rerum gestarum testimonium et veritatem, lectorem remittunt monumentis, e quibus istae acceptae sunt, quemadmodum egere Proto-Canonici scriptores? Praeterea addendum censeo; vel aestimare velimus scriptores Bibliorum Deuterorum subdole egisse in his libris conscribendis, seu contra, pios, sinceros fuisse eosdem credimus. Circa primum, quomodo fieri potuisset subdolum scriptorem aegyptium, ut juxta adversarios autumandum esset, Ninivem pervenire, et sibi quemdam Tobiae nomine captivum occurrere variis obnoxium calamitatibus, pietate vero clarissimum, perpetuo in mosaicis legibus firmum, qui filium suum vocat, et ad Gabelum in Rages civitatem medorum mittit, pecuniarum depositum accepturum? Qui deinde per viam, Angeli Raphaelis comitatu, incidit in affinem suum Raguelis nomine, cujus uxor Anna; et Sara filia liberata a daemone, nuptias cum eodem init; ac postea domum reversus patrem a caecitate sanat, qui benedicens Deum pro tantis beneficiis, reditum hebraeorum fratrum a captivitate praenunciat, et longaevus in pace moritur? Item dicendum de libro Judith, cujus

tot, ac tantae circumstantiae leguntur, quae a parabola vere abhorrent. Ibi Nabuchodonosor rex, victo Arphaxad, qui medis imperabat, per Holofernem subacturus gentes venit, quae suo se subduxerunt imperio. Hebraeorum, inter alias, gentem invadit, qui timentes, omnes fines eorum praeoccupant, et Deum Israel deprecantur, ut se in propriam salutem respiciat. Hoc in libro Judith vidua offertur, distincta nominibus illius progenie et tribu, cuius vir in campo alligans manipulos, adveniente aestu super caput ejus, repentino moritur. Ibidem Bethuliae civitatis nuncupantur presbyteri et Onias princeps, et Charmi, nec non nomen summi sacerdotis Eliachim, qui Hierusalem habitabat. Hujus historiae partem gerit Achior alienigena, qui virtutem Dei intuitus in actis Judithae, et populi Israel, circumcidit carnem praeputii sui, et judaeus factus est, et sic de ceteris, quae omnia simplicissime enarrata, ubique cordis rectitudine praelucenti, et impietate proscripta, totam hanc Scripturam exornant. Pariter alius historicus commentum quoddam jungeret Susannae gesta recensens Babylone, Helciae filia, ac Joachimo nupta, quae per Danielem a calumniatoribus senibus liberatur. Similiter Baruch assyriis inter judaeos captivos degens ad aures Jechoniae regis legit librum et ad aures presbyterorum, et populi totius, qui mittunt Hierusalem pecuniam, ut emant holocautomata, et offerant pro peccato, et precentur pro vita Nabuchodonosor regis; aequa praecepta traduntur juxta Moysis legem; praevidentur fausta Hierusalem, et consuetudines omnes Assyriorum numerantur, quibus ab eis idolorum cultus perficiebatur. Sapientiae librum, et Ecclesiasticum omitto, in quibus doctrinae sanctitas ubicumque elucet. Quid porro dicam de Machabaeorum Scripturis, quarum auctores omnino sese ad hebraeorum leges conformant, et ad profanas historias, simul virorum nomina proferentes in toto orbe vulgata, Alexandri scilicet, ac Seleucorum et Ptolemaeorum? In quavis horum librorum parte morum integritas praecedit, mirabilis in judaismo continentia, et pro divina lege zelus maximus. Ac denique horum Bibliorum omnium, quae censui, vafro scriptori, quisquis ille fuerit, post quam longas aetates, regionesque varias peragravit, ad hujusmodi colligendas fabulas, singulas veris ornatas circumstantiis ac omnes simul sumptas proficientes in virtutis exercitium et vitae sanctitatem, quae utilitas inde eidem expectanda erat? Quomo-

do rerum verborumque aequitas, quae his in Scripturis instituitur, viro doloso, impio, remisso conveniret?

Aliter, si auctores Bibliorum Deuterorum homines pii ac sinceri fuerint, divinas hebraeorum leges firmiter tenentes, ad quid ab eis divinam revelationem prohibere? inquit Moyses ad Josue (1), (qui eum rogabat, ut cohiberet senes duos, qui prophetabant in castris) quid aemularis pro me? quis tribuat, ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus Spiritum suum? Idem responderem adversariis. Animi simplicitas, Dei honor, virtutis amor, ut dixi, summam constituunt harum Scripturarum. Ibidem Dei unitas docetur, caritas fraterna ubique probatur, ac commendatur, ibi fraus, dolus, mendacium respuuntur et potissimum cujusque generis gentilium mores, sacrificia erga deos eorum, et simulacra conculcantur omnino. Idcirco fatendum earumdem scriptores hac doctrina sancta praeditos divinitus fuisse inspiratos, quemadmodum appellantur alteri Proto-Canonici auctores. Insuper si iidem viri, postquam tam sanctam protulere doctrinam, fratres suos allexissent dicentes, eamus, et sacra faciamus diis alienis, idola gentium veneremur; tunc jure, juxta Domini verba, arguendum esset eos falsos fuisse prophetas (2): « Si surrexerit, inquit ille, in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et praedixerit signum atque portentum, et evenerit, quod locutus est, et dixerit tibi; eamus et sequamur deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis; non audies verba Prophetae illius. » Sed hoc nullibi harum Scripturarum erui potest.

Praeterea hebraei aegyptii Proto-Canonicas Scripturas habebant, in suum quidem usum graece translatas, satisque in eisdem erant, quae ad illorum regimen, et disciplinam spectarent. Nullum ideo usum fratribus suis contulere illi scriptores, aliis conflictis libris, et doctrinis, quae eaedem erant ac illae, quae quotidie in synagogis legebantur. Frustra ergo erat illis in tantum laborare commentum, quod nihil boni eis afferebat. Sed parum esset eis novos condere Scripturarum libros ac numero aliorum Bibliorum inserere; sed majoris esset temeritatis negotium etiam scripta divina Proto-Canonica historiis fictitiis, rebus falsis additis, deturpare, corrumpere. Attamen hoc expletum vidimus a scriptoribus alexandrinis, dum Baruch unus cum Hieremia Propheta habetur liber, et hoc e codicibus 70. inter-

(1) Num. c. II. 29. — (2) Deut. c. XIII. 1.

pretum apographis eruitur, omnibus antiquis patribus testatis; idem dicatur de Estheris additamentis, et Danielis, quae fatetur Hieronymus suo aevo ubique ecclesiarum in codicibus Septuaginta inserta inveniri. Quid ergo dicendum?

§. IV. Aliis vero sub rationibus Septuaginta interpretum versio una cum Scripturis Deuteris ibi collectis expendatur, aetas scilicet, et modus quo ad judaeos venit, et ab universis judaeis ubicumque ante Salvatoris adventum accepta fuit. Communi, et vulgata opinione tercentis annis ante Christum in Aegypto conflata, vel potius incepta illa fuit. Sic enim scribit Wossius: « Sacrorum, ait, versionem librorum, curante Demetrio Phaleraeo, factam esse illo tempore, quo simul regnarunt Ptolemaeus Lagi, et filius ejus Philadelphus. Reges hos aliquamdiu simul regnasse, vidit etiam Scaliger, praecipue in posteriori Eusebii editione. Neque vero ulla est praestanda fides illis, qui asserunt e versione chaldaica factam fuisse Septuaginta interpretationem, nam qui haec asserunt, e verbis Philonis aegyptii excipiunt, qui chaldaica lingua utitur pro hebraica, et Scripturae hebraeorum vocantur ab illo chaldaeorum eo, quod e chaldaea aborigines judaei fuerunt; et secundo ob captivitatem in Assyriam, ubi litterae hebraicae antiquissimae commutatae sunt in formam litterarum syriacarum, e quo hebraeorum lingua, et eorum Scripturae dictae sunt syriacae et chaldaicae paulo ante domini adventum.» Parum vero constat utrum mosaica lex tantum illa aetate translata esset, an quoque ceterae Scripturae. Mihi autem Flavium secuto, solummodo libri Moysis sub Ptolemaeo interpretationi traditi esse viderentur; et huic opinioni favet etiam Hieronymus. Deinde vero, ut verisimile apparet, inspecta hujus versionis causa, et usu, alias Scripturas graece in Aegypto translatas fuisse oportuerit. Et quidem jure, namque primum, si sedulo expendantur singillatim omnes Scripturae libri in graecum versi, huic aegyptiacae versioni varia aetas, alii auctores concedendi sunt, uti de hac re egregie scripsit, inter alios, Hody in suo libro (1) - De Septuaginta interpretum versione - qui cura maxima usus hac in interpretatione, quidquam discriminis extulit, e quo hanc sententiam statuit: « Innumera sane, in graeca versione observavimus, quae nullo modo fieri potuissent, si vel omnes simul interpretes, conjuncta opera, versionem elucu-

(1) Hody de 70. interp, p. 204.

brassent, vel singula, quae ipsi transtulerunt, communi religione submisissent judicio. Eaedem voces hebraicae in locis diversis, omnino diversae expressae sunt. Eadem virorum, gentium, et locorum nomina propria, diversis vocalibus leguntur animata; in aliis locis ut indeclinabilia ponuntur, quae alibi declinantur. Alibi describuntur nomina locorum, et gentium hebraica, in aliis ponuntur graeca.» Et plura exempla celebratus vir profert in suo opere ad id probandum quae praetermitto brevitatis gratia. Secundo, dixi nuper inspecta causa et usu graecanicae versionis; prout enim hebraei in Aegypto, ubi graecorum eloquium invaluit, factum est ut oblivioni traderetur patria lingua, ac ideo divinae Scripturae quoque ea lingua exaratae negligerentur, necesse fuit sacra Biblia hebraeo sermone scripta verti in graecum, quorum versio postea seniorum accurato judicio, et suffragio adprobata (sicuti teste Flavio de libris Moysis actum est) publici juris evaderet, et communi hebraeorum aegyptiorum utilitati sufficeret.

§. V. Talis fuit Septuaginta versionis in Aegypto conditio. Sed non tantum apud hebraeos alexandrinos haec graeca translatio legebatur, verum etiam ubicumque terrarum morabantur judaei, graecae Bibliorum lectioni intenti erant. Alibi demonstratum est post graecorum irruptionem in Asiam, ibidem eloquium graecanicum omnibus innotuisse, et vulgatam evasisse linguam. Ex hoc igitur infertur graecorum Bibliorum usum, sicubi populis invalescebat sermo graecus, in synagogis hebraeorum pariter institutum esse. Huic rei optime suffragatur s. Chrysostomus disserens de obscuritate prophetiarum: « Nam ante Christi adventum tercentis annis, in graecam linguam translatum est Testamentum vetus valde utiliter et fructuose. Quamdiu enim cum in hebraica lingua manebat, nullus quippe tunc animum illi adhibiturus erat, cum reliquum genus humanum ad summam immanitatem pervenisset. Ubi vero Christus eventurus erat et universum orbem terrarum ad se vocaturus, non per Apostolos tantum, sed et per Prophetas quoque (nam et illi nos ad fidem cognitionis Christi deducunt) tunc temporis tanquam aditus, et vias quasdam antea linguae obscuritate clausas, et obstructas omni ex parte curavit interpretatione reserari, ut omnes ex gentibus undique confluentes, et multa facilitate per has vias incedentes, possent ad Regem ipsum Prophetarum venire, atque unigenitum Dei filium adorare; ob hanc causam

utique ante Christi adventum omnes interpretationes sunt expressae (1)..... Cum igitur de Passione, et de omnibus illis in universum, quae in novo sunt, Testamentum vetus praedixerit, ne ista gentibus mox futuris ignota permanerent, ac vim prophetiae ignorarent ante Christi adventum, ut Scripturae converterentur gratia divina providit, easque non modo conversis ex gentibus, sed etiam judaeis utiles reddidit, qui ubique terrarum dispersi fuerant, nec amplius hebraicam linguam tenebant.» Et revera, hoc factum est non solum in Aegypto et Syria, verum etiam in Palaestina. Teste enim Flavio suis in libris Antiquitatum, et de bello judaico, illius regionis civitates et pagi, tum civibus graecis, tum hebraeis graece loquentibus conferti fuere. Imperante quoque Herode Magno, ad hanc linguam discendam cogebantur judaei. Insuper ex eisdem novi Foederis libris exsurgit sacros auctores, vel Apostolos in lectione Septuaginta versatos esse, et plerumque eadem verba alexandrinorum interpretum in sua scripta compellasse. Id claro testantur Dominus noster, divi Matthaeus, Marcus, Lucas, Joannes, qui verba, et sententias integras ex aegyptiaca versione mutuati sunt. Divus Paulus quoque in sua ad hebraeos epistola (quod admodum ad rem nostram facit) fratres suos ad Scripturas graecanicas compellat, ut obviam eam legenti fuerit; ex quo firmum erit argumentum Apostolos, et Christi discipulos ab adolescentia graecorum Bibliorum lectioni assuetos fuisse, et adeo usu comprobata, ut praedicti Apostoli deinde Scripturas graecas edocti sua scripta exararent graece, et eloquio aegyptiorum interpretum, ac phrasi ornata, quod neque obtinuissent, nisi cum veteris Testamenti Scripturis graecis iniissent consuetudinem.

Ita vero, Christi aetate haud neganda est linguae hebraicae notitia et hebraeo-chaldaici eloquii usus vulgatus, cui utique assueti erant israelitae nonnulli, et eo utebantur prout ratio et locus postulabant, uti aliquando egit Salvator tum cum per regiones judaeae evangelizabat regnum Dei; et hoc patet maxime e Crucis sanctae titulo, quum inscripta esset hebraice, graece, et latine mortis illius causa: « Jesus Nazarenus Rex Judaeorum.» Quo satius nempe innotuisset omnibus, qui tunc erant Hierosolymis Christi Jesu mors et per eum omnium salus. Attamen

(1) Joan. Chrys. tom. .V. ed. Paris. p. 163.

sceptri judaici lapsu juxta prophetica Jacobi verba, etiam hebraica lingua tabescebat, et haec tantum studio inter eos viguit, cum e contra graecorum eloquium ubique praestaret, ac in Palaestina vulgatum foret. Adeo autem universim graecanicus sermo invaluit, et pariter divinarum Scripturarum graeca Septuaginta versio, et tantum momenti, et venerationis in synagogis hebraeorum acquisivit, ut interpretes aegyptii in hoc opere divinitus inspirati fere haberentur; quod et firmatum est ab ipsis judaeis, et a nonnullis primis Ecclesiae patribus. Ex hebraeis unus aegyptius Philo hoc asserit, alter palaestinus Flavius, qui hujus versionis narravit historiam (1).

De hujus 70 versionis inter hebraeos lectione testatur Justinus Apologia II. pro Christianis: « Libros hosce graecos, ait, ab omnibus ubique judaeis legi. » In Oratione quoque Paraenetica scribit ad graecos: « Codices sacrae Scripturae apud eos graece servari ad suum usque tempus. » Ortum habuit Justinus initio saeculi secundi Neapoli Syriae Palaestinae, quod nostrum argumentum auget. Tertullianus in Apologetico cap. XVIII. de interpretatione Septuaginta duorum ait: « Sed et judaei palam lectitant, vectigalis libertas; vulgo aditur sabbatis omnibus, qui adierit inveniet Deum. » Usserius in Syntagmate hujus versionis dicit: « Ex Aegypto deinde paulatim versionis hujus usus ad reliquos omnes judaeos, qui inter graecos erant dispersi, manavit, in quorum synagogis pars aliqua legis simul, et Prophetarum singulis sabbatis praelegebatur, quod de hellenistis antiochensibus Pisidiae in Apostolorum actibus cap. XIII. speciatim habetur annotatum. » Cappellus, et Vossius ostendunt improbare coepisse hanc 70 translationem judaeos, quando isti cum christianis de veritate Christi adventus contendentes, neque superantes, per Aquilam non dubitarunt novam cudere versionem ex hebraeo, qua aliam antiquissimam respuerent; ex quo amplius probatur sermonem graecanicum inter hebraeos valuisse, ac illos in lectione Bibliorum Septuaginta interpretum assuetos fuisse, cum notissimum sit eosdem, reprobata ea veteri Septuaginta versione,

(1) Ex hac in Scripturas Septuaginta graecas veneratione, exorta videtur illa Aristeae commentitia narratio de insula Fari, et interpretum cellis, ubi ipsi ab alto illuminati Biblia hebraica in graecum interpretarentur, et ab invicem segregati in eodem sensu convenirent. Aristeae porro historiam ne ego incusem falsitatis, probabilius sua origine fidelis, postea depravata fuisse creditur.

confugisse ad aliam graecam Scripturarum recensionem, quae ab Aquila confecta fuit. Rabbi Bartenora in *Misna* asserit exercitatos fuisse hebraeos in lingua graeca. Rabbi Abraham Harophe testatur judaeos maximam partem in lingua graeca plebis causa scripsisse, quae sub templo secundo in eadem promptior erat nativo sermone.» Jure ergo dici potest translationem Septuaginta interpretum in Aegypto conflatam, et vulgatam apud judaeos alexandrinos, paulatim una cum graeca lingua ad exteras orbis regiones pervenisse; in Chaldaeam scilicet, Persidem, Antiochiam, Judaeam, Ciliciam, in graecanicas insulas, et Romam usque quoque pertigisse, ubi Abrahae semen juxta astra coeli adauctum, ac divino nutu in varias, et dissitas terrarum plagas dispersum, sedem fixerat.

§. VI. Ex his omnibus disquisitionibus, quid nobis ultra erit inferendum? Judaeos nempe, in synagogis eorum acceptis ac lectis graecis Septuaginta interpretum Bibliis, Scripturas etiam Deutero-Canonicas his insertas, lectas fuisse, et ut divinitus inspiratas acceptas, et adprobatas, sicuti Proto-Canonicas. Namque omni jure excogitandum est Biblia Deutero-Canonica inserta, seu intercepta fuisse simul illis Proto-Canonicis, quum uno volumine fuerint ab alexandrinis interpretibus composita, non tantum inquam de libris Tobiae, Judith, Machabaeorum, Sapientiae, et Ecclesiastici, quae Scripturae separatim leguntur, neque ullam ad invicem perhibent relationem, sed de illis additamentis potissimum loquor, quae libro Estheris variis capitibus eadem lingua, et phrasi et congrue adposita sunt; de illo Baruch libro, qui unus habetur cum prophetia Hieremiae, ut paulo ante dixi, et strictim connectitur Hieremiae capiti postremo, ut infra dicetur; de Cantico trium puerorum quod Danielis cap. III. partem constituit; de Susannae historia quae initium est libri ejusdem Prophetae, ac de Bele, et Dracone. Et hoc testantur primaevi christiani scriptores qui ab Apostolis vel aliis ab hebraeis ad fidem conversis illas Scripturas acceperunt, his libris et additionibus ornatas, inter quos Theodotio judaeochristianus, qui in suae simplicis versionis codice, initio secundi aevi collatae, has additiones inscripsit. Deinde in Occidente Irenaeus lugdunensis episcopus, Romae Clemens Papa, in Africa Tertullianus, Alexandriae Clemens, et Origenes illius discipulus, qui codices varios inspexit, et maxime codicem Septuaginta apographum prae manibus habuit, has omnes addi-

tiones Deutero-Canonicas ibi legi scripsit, et suo Bibliorum textui exaplari ibidem adjunctas posteritati tradidit. Et Hieronymus idem, licet quodammodo invitus, attamen apertissime fatetur has omnes partes voluminibus graecis Scripturarum, quae in toto orbe dispersa erant, contineri. Simulare tandem poterint hebraei has Scripturae partes non lectas fuisse in eorum synagogis veluti divinas eadem mente ac legebantur Proto-Canonicae his inhaerentes, quemadmodum alexandrini interpretes in suis codicibus confecerant? Adeo haec vera sunt, et captivantia intellectum in obsequium fidei, ut Vossius idem, quamvis hebraeum Canonem tantum probet divinum, incidens in additamenta libro Estheris, quae sparsim huic Scripturae inserta sunt, nec vero in hebraeo leguntur, dixerit (1): « Quia non paucis in locis auctior sit in graeca translatione, quam in hebraeo codice, ideo vulgo putant additamenta ea a graecis adjecta esse interpretibus. Ego tamen longe aliter sentio, neque enim dubito, quin ea discrepantia exinde promanarit, quod duplex apud hebraeos hujus libri fuerit editio, altera copiosior, altera vero contractior.» Quomodocumque Vossii verba accipiantur, semper fatendum erit eumdem neque fictitias neque nothas fecisse has additiones, sed divina auctoritate praeditas aestimasse.

Talis habebatur in populo Israel translatio Septuaginta interpretum ante Salvatoris adventum. Nunc illius auctoritas, usus una cum Scripturis ibi contentis, in Ecclesia christiana, ac praecipue primaeva, nobis decernenda accedunt (2).

(1) Apud Trommium concord. Bibliorum graecorum in praef. — (2) Postquam de versionis Septuaginta interpretum auctoritate et usu in omnibus hebraeorum Synagogis disserui, notandum est insuper, unam tantum conflatam esse translationem Scripturarum ab hebraeis ante Salvatoris adventum, et eam esse, quam expendimus ; neque ullum alium Bibliorum veterum codicem graecum inventum fuisse ab aliis elaboratum, praeter illum Alexandrinum, quo hucusque probatum est contineri omnes libros Proto-Canonicos et Deutero-Canonicos veteris Testamenti, prout Ecclesia Catholica legit. Namque nec e scriptoribus hebraeis, neque ecclesiasticis hauritur extitisse ante Christum alias Scripturarum versiones, praeter illam, quae ubique terrarum sub titulo - Septuaginta Interpretum versio-habebatur. De hac re consulas quoque Joannem Breitingerum, qui idem adstruit tom. II. Versionis 70. a Grabio editae

PROPOSITIO III.

De transitu versionis Bibliorum alexandrinae a synagoga hebraica in Christi Jesu Ecclesiam; de illius auctoritate ab Apostolis, et a primis scriptoribus ecclesiasticis comprobata; et de numero divinorum librorum, qui ea versione continentur, ab Ecclesia eadem accepto. His adduntur animadversiones quaedam in Esdrae Canonem, quae plurimum ad nostrum argumentum conferunt.

§. I. E Synagoga hebraica nos haereditate accepisse alexandrinorum interpretum Scripturas, Magister noster Jesus Christus, suique discipuli, ut paulo ante censui, satis indicarunt. Praeterea hanc eamdem graecam versionem Septuaginta in auctoritatem sumptam esse ex Apostolorum discipulis, et primaevis Ecclesiae patribus, et eorumdem scriptis facile erui potest. Aperte primum firmatur a nuper citato divo Joanne Chrysostomo, qui de hac Septuaginta translatione disserens scribit (1): « Sed alia quidem lingua compositum est vetus Testamentum, alia vero nos illud legendum habemus, nam a principio, hebraico conscriptum est idiomate, nos autem graeca lingua expressum accepimus. » Revera Justinus martyr, qui initio saeculi II. in Palaestina zelo christiano excelluit, hanc versionem admodum extulit, et in dialogo cum Triphone Judaeo saepe conqueritur de hebraeis, qui hanc 70. interpretationem respuerant, ut illi novae Aquilae, vel quicumque illius fuerit auctor, adhaererent, quae post Salvatoris Ascensionem collata christianas ecclesias circumibat; ait enim: « Sed minime mihi probentur magistri vestri, qui Septuaginta illos senes apud Ptolemaeum aegyptiorum regem recte interpretatos esse assentiri nolunt, sed ipsi interpretari aggrediuntur. » Hoc enim dixit Justinus ob illud vocabulum *halma* (in verbis Isaiae lectum *Ecce virgo concipiet*) translatum ab Aquila *adolescentula*. Huic rei suffragatur maxime versio veterum Bibliorum latina, quae etiam apud nos nuncupatur *Antiqua Itala*, e graeca Septuaginta interpretatione conflata ab aevo apostolico, ut ait divus Augustinus, et lecta et adprobata in ecclesiis africanis, ac ubicumque vulgatus erat latinus sermo; cui etiam in-

(1) Tom. VI. ed. Paris. p. 163.

sertae erant Scripturae nostrae Deutero-Canonicae, quae hucusque aetatis ibi inscriptae servantur, et leguntur. Versiones coptica pariter, et aethiopica paulo post latinam, ex graecis alexandrinis Bibliis confectae idem testantur. Irenaeus libro III. contra Haereses cap. XXI. de Septuaginta interpretum usu, et auctoritate in Ecclesia scribit. « Quum tanta igitur (arguit sanctus Episcopus haereticos, qui Aquilae et Theodotionis Scripturarum versioni obsequebantur, veteri Alexandrina despecta) veritate, et gratia Dei interpretatae sint Scripturae, e quibus praeparavit, et reformavit Deus fidem nostram, quae in Filium ejus est, et servavit nobis simplices Scripturas in Aegypto, in qua adolevit domus Jacob, et Dominus noster servatus est; et haec earum Scripturarum interpretatio priusquam Dominus noster descenderet facta sit, et antequam christiani ostenderentur interpretata sit .... veri impudorati, et audaces offenduntur, qui nunc volunt aliter interpretationes facere, quando et ex ipsis Scripturis arguantur a nobis, et in fidem adventus Filii Dei concludantur .... Etenim Apostoli quum sint his omnibus vetustiores, consonant praedictae interpretationi, et interpretatio consonat Apostolorum traditioni; Petrus enim et Joannes, et Matthaeus, ac Paulus, ceterique deinceps et horum sectatores, prophetica omnia ita annuntiaverunt quemadmodum seniorum interpretatio continet. » Hanc Clemens alexandrinus ea usus, comprobavit. Tertullianus latinam versionem, quam prae manibus habebat, ad hanc graecam reportavit, et istius auctoritatem recepit. Idem Origines, Eusebius, Ephraemus syrus, et potissimum Augustinus, Alexandrinos Bibliorum codices maximi fecerunt, et in auctoritatem fere divinam extulerunt, quorum verba hic scripto mandare desino.

§. II. Contra vero hujus versionis alexandrinae auctoritatem, et usum, quem in Ecclesia christiana obtinuit cum omnibus libris qui in ipsa legebantur, nequidquam illud officit opus exaplare Origenis, et nova deinde ex hebraicis codicibus versio Hieronymi, in quibus quodammodo discernebantur Deutero-Canonicae Scripturae a Proto-Canonicis. Haec vero ab alienis causis repetenda sunt, quibus Ecclesiae disciplina tunc temporis instare debuit; et potissimum cum sacrae Scripturae, in quibus solidata erat christiana doctrina, numero imminuerentur, vel earum sensus juxta Septuaginta negaretur ab eisdem hebraeis; indeque urgebat timor ne fideles quoque ex hoc offensi, doctoribus Ecclesiae spretis, ab Evangelio deficerent. His de causis patres, praeter

versionem aegyptiacam, aliorum quoque versionibus usi sunt suis in sermonibus et scriptis, rati nihil illas versiones veritatibus obfuturas, quas propugnabant. Ita Justinus in Dialogo cum Triphone Judaeo versionis Aquilae acceptat testimonium, quia ex illo non minuebatur suum argumentum.

Origenes quidem valde elaboravit in textu exaplari componendo; ast ad quid tot sudores? fortasse, quod haud sinceram Septuaginta translationem existimaret, aut quod plures Scripturarum libros, quam qui divini essent, interpretati forent alexandrini hebraei; et sic corrupissent sacrum Dei testamentum cum patribus suis? Apage; Origines firme veneratus est illas veteres Scripturas graecas, quas tunc noverat per totum orbem christianum vulgatas; ideo omnia sua scripta, hujus versionis testimoniis inspersit. Rationes porro praecipuae, quae Origenem moverunt ad opus textus exaplaris aggrediendum, in eo fuerunt tantum, primum, ut tutius, et praevalens arguendi genus institueret contra judaeorum perfidiam, qui eo tempore christianos urgebant, quippe Messiae adventum ex illorum libris contestabantur; et de his maximus erat conflictus, quum vaticinia ex utraque parte in propriam utilitatem traherentur. Ut hoc sensit Origenes, caute et opportune pusillis, ac fidelibus omnium Bibliorum graecorum versionum proposuit exemplar una cum hebraicis codicibus, et hebraeorum elementis et graecorum exaratis, in quibus quisque speculatus, sive judaeus, sive Christifidelis, sive christiano-judaeus, sive haereticus discrimina decerneret illarum versionum, quae vere ab uno fonte prodeuntes universim ostendebant completa fuisse Prophetarum oracula de Christo Jesu; ac ita aegyptiorum interpretum sua in translatione staret fides. Praeterea ad hoc etiam inspexit Origenis zelus, ut fideles doceret circa hebraeorum Scripturas, quales nempe ab ipsis divinitus inspiratae acciperentur, et quae ut apocryphae respuerentur, ne cum eis contendentes magis ac magis illos offenderent, scriptis citatis, quae nullius auctoritatis ab ipsis fiebant. Haec ex epistola ejusdem ad Africanum eruuntur, et a me supra parte I. relata sunt. In super Origenes in Matthaeum de discrepantiis locutus, quae exortae erant in novi Foederis libris, dicit: « Profecto discrepantiae, quae in veteris Testamenti exemplaribus occurrunt, Deo annuente, remedium adhibere potuimus reliquis editionibus usi, ut ex iis judicium faceremus, nam quae apud interpretes Septuaginta propter exemplarium varietates dubia erant, e reliquis editionibus

aestimatione facta, perpetuum cum istis consensum retinuimus; et nonnulla quidem in hebraeo non exstantia obelo confiximus, cum penitus ea rejicere minime fuerimus ausi, aliqua vero cum asteriscis addidimus, ut perspicuum sit, ea nos a reliquis editionibus hebraeo consonantibus addidisse, cum in Septuaginta minime reperirentur. » Epiphanius de Ponderibus et Mensuris cap. II. ait. « Successit his editionibus Origenes, qui unicuique loco quid deerat adjunxit, eique asterisci notam appinxit, non quod illa vocabula addita admodum necessaria sint, cum supervacanea videantur, sed ne judaeis, ac samaritanis ullam calumniandi sacras litteras, quibus in Ecclesiis utimur, occasionem relinqueret, cum nihil subtractis illis vocibus, contra fidem esset, quod reprehendi merito possit.» Item Rufinus libro II. Invectivarum contra Hieronymum scribit: « Apostatae quidem, judaeique interpretati sunt ea, quorum lectione judaei maxime utuntur; et quia frequenter, si disputatio incidisset, immutata esse aliquanta, seu deesse, vel abundare in nostris Scripturis, mentiebantur, voluit Origenes nostris ostendere, qualis apud judaeos Scripturarum lectio teneretur; et in propriis paginis, vel columellis, editiones eorum singulas quasque descripsit; et quae apud illos sunt addita, vel decerpta, ad versiculorum capita designavit, et in alieno non suo opere suas tantummodo notas fixit, ut sciremus non quid nobis, sed quid judaeis adversum nos certantibus aut deesse, aut abundare videtur. » Quod idem animadvertit Hieronymus Praefatione in libros Salomonis: « Si cui sane Septuaginta, ait, interpretum editio placet, habet eam a nobis olim emendatam; neque enim nova sic cudimus, ut vetera destruamus.» Et contra Rufinum libro III. Apologiae, de eadem re scribit: « Ut hebraei non habeant subterfugiendi diverticula, sed suomet mucrone potissimum feriantur. » Hoc solum in antiqua Ecclesia respexerunt studia, et labores patrum in hebraeorum lingua ediscenda, quod etiam nostra aetate perficitur, ut contra judaeos, eorumque commilitones alacrius veniamus; minime vero prorsus recedentes ab illa versione, quae Apostolorum suffragio consecrata fuit, et nascentis Ecclesiae roboravit fidem.

§. III. Ex his brevi sermone censitis de usu, et auctoritate versionis Septuaginta in Ecclesia christiana, velim quoque conjicere Scripturas alias, praeter Proto-Canonicas, huic versioni insertas, eadem auctoritate praeditas esse; et mihi videtur hoc

legitime educi posse, ubi haec Biblia Deutera tum apud hebraeos ante Christum, cum apud christianos animadvertimus Proto-Canonicis comprehensa. Sed ex hac re nobis quoque obsisteret aliud consequens, ceteras scilicet Scripturas apocryphas, seu spurias, quae a Canone nostro Catholico abjiciuntur, eamdem divinam auctoritatem praeseferre; cujusmodi essent tertius, et quartus vulgo dictus Esdrae liber, tertius et quartus Machabaeornm, liber Enoc, oratio Manassis, aliaque fragmenta, quae cum sparsim in Bibliorum graecorum, et latinorum codicibus leguntur, partes reputantur illius veteris versionis Septuaginta, cujus hucusque vindicavi auctoritatem.

Ut huic facile adsit responsum, prius notandum est, Christi Ecclesiam ex sui ortu in plurimos offendisse hostes ac speciatim illos, qui antiquas judaicas institutiones servabant pariter ac evangelicas doctrinas. Revera isti, ut novitatis amatores, et ut insciis quidquam admirationis ostentarent, atque nonnihil divinitatis saperent illorum doctrinae, quo facilius deciperentur fideles, sua scripta, quibus impii errores latebant, alto nomine Patriarchae seu Prophetae seu Apostoli alicujus inscribebantur; ac ita majorem apud vulgum obtinerent auctoritatem, paremque illi, qua ditabantur libri reapse divinitus inspirati. Saturninus, Valentinus eorumque socii, gnostici quoque, sub quorum nomine primaevi haeretici comprehenduntur, hoc perfecerunt, de quo testem appellamus Irenaeum suis in libris de Haeresibus, cui suffragatur etiam Hegesippus apud Eusebium, (1) dum suo tempore, inquit nonnullos sacrae Scripturae libros falso conflctos esse. Alia quaedam scripta in manus christianorum venerunt, quae forsitan e sua origine divina revelatione conflata, postea ab impiis mutata fuerint vel aucta vel haereticis doctrinis deturpata, ab Ecclesia sunt jure a sacro Scripturarum Canone semota. Longa res esset hic numerare libros omnes veteres apocryphos, sive spurios, qui in Christi Ecclesiam, adolescente in mundo Evangelio, irrepserunt. Tantum congruum mihi videbitur de apocryphis illis verba facere, quae adhuc quibusdam in codicibus graecis, et latinis promiscue supersunt, universim tamen in fine Bibliorum sacrorum censentur sub alio nomine, et auctoritate, quo apertius disciplina Ecclesiae Catholicae ejusque sagacitas in his Scripturis spuriis reprobandis praestitisse credatur; et con-

(1) Euseb. Hist. Eccl. lib. IV. c. 21.

tra bene se se gessisse accipiendis in divinum Canonem illis Scripturis, quae versioni alexandrinae insertae erant, quantumvis e Canone hebraico rejectis.

Revera, libri Esdrae tertii scripta ponderantes, quem codex alexandrinus vaticanus aliique multi exhibent ante alium, qui Canonicus ab Ecclesia recipitur, situm, non effugiet, illius auctorem hunc librum composuisse, simul sumptis variis sincerorum Bibliorum partibus, nec non quapiam narratione apocrypha ornatum. Incipit enim liber e postremis capitibus xxxv. xxxvi. libri II. Paralipomenon, et excerpens auctor fere ad litteram res eisdem in locis relatas constituit primum libri tertii Esdrae caput. Hinc transgressus historiam liberationis populi hebraei per Cyrum orditur, eadem verba exaravit, quae in capite primo libri Canonici Esdrae leguntur. Deinde addidit ad Artaxerxem epistolam ab hebraeis calumniatoribus missam, ut Hierosolymorum templi sancti instauratio cohiberetur, quae capite IV. ejusdem Canonici Esdrae exhibetur. Insuper III. et IV. capita ejusdem Scripturae apocryphae, narrant problema inter custodes regis Darii extricandum, num vinum nempe, vel rex, vel mulieres, vel veritas praevaleant. In his ejusdem problematis interpretibus aderat Zorobabel, cujus praestitit opinio, pro veritate stans, quod valde Dario placitum est, et ob hoc ei potestatem fecit templum, et civitatem Hierusalem aedificandi, prout haec ultima narrantur in capite I. genuinae ejusdem Scripturae. Et sic dicatur de reliquis capitibus hujus libri apocryphi, quae ipsa gesta eademque verba, ac alter Canonicus, continent, praeter nonnulla ab altero Canonico Nehemiae repetita. Denique liber nihil nisi quaedam Esdrae, Paralipomenon et Nehemiae ad litteram descripta, ac repetita praesefert, illo problemate excepto, a quo interpres quisquis bene noverit, cur liber iste e Canone sacro fuerit reprobatus; quem Origenes ipse reprobavit, uti eruitur e scriptis Cassiodori de Institutione divinarum litterarum, ubi ait. « In istis duobus libris idest Esdrae et Nehemiae singulas homelias expositas Origenis inveni, quae ejusdem religiosi viri (Bellatoris) labore translatae sunt. » De altero apocrypho Esdrae libro quarto sileo, qui cujusdam christiani judaizantis speciem ostentat, nam novi et veteris Testamenti doctrina ibi conglutinata est, cujus primum caput, ut de aliis sileam, Scripturis Proto-Canonicis abhorret; cujus quanta sit auctoritas, audiamus Hieronymum, qui de hoc libro Vigilantium alloquitur, quum is

ultimus ejusdem auctoritate usus fuisset. « Tu vigilans dormis, et dormiens scribis, et proponis mihi librum, qui sub nomine Esdrae a te, et similibus tuis legitur, ubi scriptum est: - Post mortem nullus pro aliis audeat deprecari :- quem ego librum nunquam legi. Quid enim necesse in manus sumere, quod Ecclesia non recipit?» Et sic de fictis revelationibus Patriarcharum dicatur, quas Hieronymus idem Vigilantium hortatur ut discat inter mulieres textrinas cantandas. Praeterea dictio latina hujus libri prorsus variat a simplicitate, qua eminebat vetus Itala Bibliorum versio. Item in nullis graecis codicibus legitur quartus Esdrae liber, sicuti, ut infra dicetur, tertius Machabaeorum nullibi latinorum codicum habetur. Denique F. Joannes Henteius in sua Biblia excusa anno 1547. ait: « Universos quatuor Esdrae libros lectori tradidimus quamquam in paucissimis manuscriptis tertium invenerimus, quartum vero nullis, sicuti ne graecis quidem, ne dicam in hebraeis; quin et Hieronymus ipse in horum librorum praefatione monet, ne quis apocryphorum III. et IV. libri somniis deleetetur. »

Circa autem tertium Machabaeorum librum apocryphum, cujus historia duos priores Canonicos praeoccupat, inter alia narratur saevities, qua Ptolemaeus Philopator hebraeos in Aegypto male affecit, quae res destruit quidquid Flavius suis in scriptis de judaeorum continua tranquillitate in Aegypto a Ptolemaeo Philadelpho ad aetatem suam usque, posteritati concessit (imperium enim subiit Philopator post Evergetem, juxta Eusebii Chronicon). Praeterea in hujus historiae gestis sedulo animadvertendis facile exceptu erit, hunc librum nexum esse rerum, quae hinc inde ab aliis libris sacris furtim sumptae sunt. Insuper Philopatoris animus, qui ibi exhibetur contra hebraeos, maximum affinitatis profert historiae Esther, praesertim ubi agitur de impio, et inconsulto contra eosdem judaeos Assueri decreto, quae videntur ex illa Scriptura concinnata esse. Similitudines quaedam a barbarie scytarum petitae, et ex crudelitate Phalaridis, de quo in Pythia Pindari ode I. mentio fit, innuunt illius auctorem in moribus, et graecorum rebus, quae admodum ab hebraeorum studiis et consuetudinibus scribendi abhorrent, versatum esse; neque sermo illius graecus omnino conformatur ceteris Scripturis hellenicis, neque, quod observatu dignum est, legitur ullibi in antiquis latinis versionibus Scripturarum, quae in primordiis christiani aevi e Septuaginta con-

flatae sunt. Pariter Clemens alexandrinus, qui bis, ni fallor, Philopatoris mentionem fecit, de hac historia ne verbum quidem. Origenes qui prae manibus habebat codices Bibliorum antiquissimos 70. interpretum ac plurimos alios legerat undequaque sumptos, de libro tertio Machabaeorum seu de historia Philopatoris, neque inter apocryphos libros, quos nonnullos censuit, nihil innuit; quod valde mirandum est, cum essent ambo Clemens et Origenes aegyptii et rerum aegyptiarum periti. Idem dicendum erit de quarto Machabaeorum libro, dum juxta verba ibi capite secundo relata « *ad destructionem domus secundae* » videtur scriptor hanc instruere historiam post templi, et Hierosolymorum eversionem sub Tito Vespasiano; sic quoque Sebastes pro Samaria, et Neapolis pro Sichem nomina, hujus libri auctorem ad serius post Christum aevum remittunt. His addatur contradictionis sermo, qui ab hoc libro resurgit, alteris ambabus et genuinis Scripturis; etiamque sententiae aliae oppositae Proto-Canonicis libris, falsitatis hunc librum arguunt, ac inter scripta spuria relinquunt, sicuti et fecit Philostorgius, qui initio libri primi Historiae Ecclesiasticae, scriptum hoc improbat, monstruosum illud appellans, quodque nihil narrat, quod simile sit libro primo.

De libro Enoc (cujus hac postrema aetate in Abyssinia codices nonnulli lingua aethiopica descripti, Ludolphi, ac Bruce cura inventi sunt, ac publici juris facti variis in Europae sermonibus) mentionem agunt quidam antiqui Ecclesiae patres, in quibus Tertullianus, et Origenes speciatim. Seriem continet visionum de Angelorum lapsu, de illorum posteritate, de gigantibus, qui in causa fuerunt diluvii, de caelorum mysteriis, de loco judicii finalis, et de ceteris. Stilus ejusdem propheticis Danielis verbis conformatur. Richardus Laurentius, Oxonii regius hebraicae linguae professor post accuratum in hunc librum studium, statuit istud, opus esse cujusdam hebraei, qui Enoc nomen (in potiorem hujus scripti auctoritatem) sibi vindicavit, ac conflatum esse ante Christi ortum, imperante Herode, nonaginta sex annos priusquam Judae epistola scripta foret. Ego vero non longe sentirem hoc opus utpote ex illis a judaeo-christianis conflictis, et novi veterisque Testamenti libris concinnatum juxta patrum testimonium, ut nuper dixi, in Ecclesiam primaevam subintroiisse, atque ex hoc fieri potuisse non Judam Apostolum ex hoc apocrypho libro verba aliqua delegisse, sed e contra subdolum auctorem ex

hujus epistola sententias collegisse, et suos adauxisse commentitios sermones. Etiamsi tandem Origenes, sine Scripturarum titulo, aliquando dicta quaedam hujus libri Enoc citaverit, attamen alibi contra Celsum ait: « Hic enim, Celsus, nec legisse nec novisse videtur libros Enoc inscriptos, in ecclesiis non omnino ut divinos judicari.»

Quae censuimus de auctore, et aetate, et auctoritate libri Enoc repetantur de altero opusculo pseudepigrapho - *Ascensio Isaiae vatis* nuncupato. Habetur enim hoc opus ut spurius ignoti judaei foetus, ineunte vel desinente saeculo Christi primo; quem nuper celebratus Laurentius interpretatus ex aethiopica in latinam versionem, et anglicanam, publici juris fecit, Oxonii 1819. Doctrinam veterum hebraeorum cum christiana emiscuit auctor; et multa ibi descripta videntur a Joannis Apostoli Apocalypsi, ob quae, sicut alter Enoc, nullius auctoritatis ab omnibus aestimatur hic liber, sicuti Hieronymus in caput 68. Isaiae de illius morte per serram a judaeis patrata, haec ait: « Ascensio Isaiae, et Apocalypsis Eliae hoc habent testimonium, et per hanc occasionem, multaque hujuscemodi, Hispaniarum et Lusitaniae deceptae sunt mulierculae oneratae peccatis.» Et sic de ceteris apocryphis et nothis Scripturis dicendum erit, quarum pleraeque perierunt, quarumdem vero fragmenta tantum superstitere de quibus speciatim egit Albertus Fabricius in libro, cui titulus - Codex Pseudepigraphus veteris Testamenti collectus, et animadversionibus illustratus, Hamburgi 1741. - Nunc, lector esto judex; segregatis his omnibus scriptis apocryphis, sive spuriis, quaenam supererint Scripturae verae genuinae ac divina inspiratione ditatae ab ecclesiasticis viris? Fatum, quod apocryphae Scripturae in libris patrum, deinde in universa Ecclesia subierunt, minime consecuta sunt Biblia Deutera. Perspicue quoad potui in prima parte hoc satisfeci. Credamus ergo, et fateamur Scripturas veteris Testamenti, ut divinas in Sessione IV. concilii tridentini censitas, easdem esse, et eodem numero, uti ab antiquis patribus sancitae fuere divinitus inspiratae; ceteras vero, dubiae vel nullius auctoritatis fuisse aestimatas. Sed rem satius perscrutemur (1).

(1) Satis exploratum est in prima parte, qua ratione, et significatu Cyrillus hierosolymitanus usus sit vocabulo *apocripha* circa scripta Deutera. Ob hoc enim ita dixit, quod vocarentur in dubium; ipse vero, ut vidistis, divina aliquando appellavit. Hieronymus item primum vocavit Biblia Deutero-

§. IV. Reapse sedulo enucleantes veterum patrum scripta, et Bibliorum codices nonnullos, qui adhuc supersunt, invenimus hujusmodi fuisse Scripturarum veterum Canonem, eodemque librorum numero censitum ubique orbis christiani a saeculo Ecclesiae secundo (si quopiam momento secreverimus illam Hieronymi distinctionem, quam inter hebraicas, et ecclesiasticas Scripturas apposuit, sive illas, quas removit a Canone hebraico). Origenes ille erit primum, cui haec nostra demonstratio innitatur. Nequis refragari poterit tum curae et sollicitudini, qua versatus est sacrorum librorum doctus interpres Origenes, tum itineribus variis, ac laboribus quos ob hoc est aggressus, neque ei copiosam negare eruditionem ex omnium fere scriptorum, qui in Ecclesia ante eum excelluere, lectione acquisitam. Potissimum vero suum opus impendit, ut fatetur sua epistola ad Africanum, in omnibus divinorum librorum perscrutandis versionibus, quae ea aetate vel antea in ecclesiis apparuere, quarum veluti exemplar praebuit, quod praeire voluit textu hebraico litteris hebraeorum exarato, deinde graecorum elementis scripto, cui accessit Aquilae ex hebraeo versio, deinde Symmachi secuta est interpretatio, postea vetus illa Septuaginta interpretum, et Theodotionis ultima fuit, praeter alias jam a longo tempore abstrusas, quas investigando eruit et eduxit in lucem; et quarum ignorans nomen appellavit *Quintam*, *Sextam*, et *Septimam*. Has, ut ait Eusebius (1) in unum volumen omnes redigens, columellis inter se distinxit, et altera alteri ex adverso una cum codice hebraeorum opposuit. Ita exemplaria illa, quae vulgo ἑξαπλα *exapla* dicuntur, nobis reliquit. Aquilae porro et Symmachi, et Theodotionis editionem, una cum Septuaginta interpretum explicatione, in opus quadrupliciter contextum separatim digessit. Hic, inquam, eo utili studio primus vocari potest, qui, e tenebris, quibus involutae erant, ob haereses huc illuc grassantes, doctrinae sanctae Scripturarum, erexerit illarum sincerum, et integrum Canonem, et praedecessorum suorum scriptis, illius firmaverit divinam au-

Canonica *apocrypha*, verumtamen hanc dictionem postea distinxit et explicavit, et pariter continuo citat suis in libris illas Scripturas, ut divinas quoque aestimat, et vindicat, uti fecit aperte disserens de libro Judith, Tobiae, de additionibus Danielis et Esther. Praeter hos, nequis patrum libros nostros *apocryphos* vocavit. Consulas quae dicta sunt in prima parte pag. 166. — (1) Hist. Eccl. lib. II. c. 12.

ctoritatem. Si nunc temporis valde laborum suorum deploranda est amissio, ut inquit Cardinalis Bona, quos impendit in variis editionibus, vel recensionibus sacrorum Bibliorum conferendis, attamen tuto ex operibus suis, quae adhuc supersunt, percipere potuimus, qualis tunc erat Scripturarum veterum Canon, quem saeculo fere antea, Ecclesia ex Apostolorum manibus acceperat. E suis scriptis, ut prima parte expendi de hoc viro locutus, colligitur ipsum tantum novisse divinas, illas Scripturas, quas concilium tridentinum in suo decreto definivit Canonicas. Nullibi unquam suorum librorum legitur divinitus inspiratas vocasse Scripturas alias praeter supra censitas. Quisquis in scriptis Origenis sit versatus, haud obscure de hoc scriptore didicerit, quanta critice atque acumine mentis usus ipse fuerit in libris sacris seligendis. Exceperit insuper, ut alibi docui, discrimen, quod Origenes instituit de libris, quos divisit in genuinos, apocryphos vel mixtos, et spurios. Inter Biblia genuina absque haesitatione nostras Deuteras Scripturas collocavit. Nequis vero excogitet, quoties Origenes vocabulum *apocryphum* adhibuerit, illud adscripsisse Bibliis Deutero-Canonicis. Hoc satis probatum est in prima parte. Apocrypha namque vel mixta ea scripta nuncupavit, quae doctrinam caplebant veris falsisque rebus mixtam, et ob hoc minime sacro Canoni inserta. Libri solum paulo ante censiti veluti ab Ecclesia reprobati, sunt, quos ille hoc nomine *apocryphos* donavit.

Insuper ex his omnibus nobis conjiciendum erit, eumdem Origenem textum versionum exaplarem cum aliis adeo exponere debuisse, ut facile exceptu esset, quales Scripturas contineret hebraeorum Canon, quales Canon ecclesiasticus, praeter quas ceterae apocryphae vel spuriae rejiciendae erant. Haec omnia ab eo firmantur in sua ad Africanum epistola, de librorum divinorum collatione locutus, ubi scribit: « Collatis magna cura inter se editionibus, et observatis earum differentiis, ita tamen ut aliquanto plus laboris impenderimus Septuaginta interpretationi, ne quid adulterinum videremur inducere in ecclesias, quae sub caelo sunt, et praetextum daremus illis, qui occasiones captant volentes calumniari, et criminari eos, qui in medio praelucent.»

§. V. Deinde, non arduum erit probatu Canonem Bibliorum tridentinum revera eumdem ratum, et exploratum esse, quem ipse exaplaris Origenis textus exhibebat, ac tunc temporis in universa legebatur Ecclesia. Primum hoc probatur ex Cassiodori

libris - De institutione divinarum litterarum - ubi censet tertiam divisionem sacrarum Scripturarum ex antiqua Septuaginta versione; scribit enim : « Tertia vero divisio est in codice grandiori, littera clariori conscripto, qui habet quaterniones nonaginta quinque, in quo Septuaginta interpretum translatio veteris Testamenti in libris quadragintaquatuor continetur (ac ita censiti sunt a Synodo tridentina) . . . . Hic textus multorum translatione variatus (sicut in prologo Psalterii positum est) patris Hieronymi cura emendatus compositusque relictus est.» Et hoc revera Hieronymus idem fatetur in praefatione librorum Salomonis : « Si cui sane Septuaginta interpretum magis editio placet, habet eam a nobis olim emendatam » atque reapse illa, quam, ut scribit ad Augustinum, Epistola 112. Romae emendavit, et dedit discipulis suis prius, quam interpretationem ex codicibus hebraicis aggrederetur. Et qualis erat ista translatio seu codex Bibliorum ? Erat textus Septuaginta per Exapla castigatus ; qui jam e sua adolescentia universam pervadebat Ecclesiam, et quo primum eruditus fuit idem Hieronymus ; vel satius inquam, erat versio, quae a graecis et primum ab Origene Κοινὴ *Chinì* nomine donabatur et quae *Communis*, vel *Vulgata* a latinis dicta fuit, seorsim ab altera Vulgata, quam deinde ex codicibus hebraicis hausit ipse Hieronymus. Ad Suniam et Fretelam hoc explicat sanctus Doctor dicens : « Κοινὴ *Chinì* idest *Communis* ipsa editio est, quae et Septuaginta, sed hoc interest inter utramque, quod *chinì* pro locis et temporibus, et pro voluntate scriptorum vetus corrupta editio est, ea autem, quae habetur in Exaplis, et quam nos vertimus ipsa est, quae in eruditorum libris incorrupta, et immaculata Septuaginta interpretum translatio, reservatur.»

Sed hic discernamus oportet, ut res apertius clarescat, alium quidem esse textum exaplarem, qui ab Origene fuerat primum insertus aliis versionibus una cum hebraeorum codice, vel tetraplarem, qui e codice hebraico litteris hebraicis et graecis conscripto, sejunctus erat ; et alterum esse textum exaplarem Bibliorum, qui ab Origene eodem, seu a suis discipulis exceptus, et segregatus fuit ab Exapla, et qui tantum praeseferebat Septuaginta virorum translationem una cum obelis, et asteriscis a praedicto Origene ornatam. Hunc extitisse textum clare testatur Usserius ex fragmento Origenis in commentario Geneseos cap. XLVII. quod exhibuit clarissimus dominicanorum Theologus D. Michael Lequien, ubi legitur : « ἐπειδὴ ἐν τετραπλοις, ἐξ ὧν

καὶ τὸ ἀντίγραφον μετελήφθη πρὸς τὸν ἑρμὸν τὸν ἐν τῷ ἑβραϊκῷ, καὶ ἀλλαῖς ἐκδόσεσι, δείκνυται, καὶ τῶν εὐδομήκοντα ἐν τίσι τόποις μετατεθεῖσα etc. i. e. Siquidem in Tetraplis, e quibus etiam *exemplar* (idest Septuaginta) transcriptum est juxta seriem hebraici textus et aliarum versionum, ostenditur editio Septuaginta interpretum etiam in nonnullis locis transposita etc.» Haec vero editio ab origenianis censionibus eruta, ipsa erat ut dicebam quae in omnes orbis christiani ecclesias pervenit. De qua re testis habetur Hieronymus, dum sua in praefatione libro Danielis (1) aperte ait: « Quum omnes Christi ecclesiae legerint, tam graecorum, et latinorum, et syrorum, ac aegyptiorum hanc sub asteriscis, et obelis editionem, legant, ignoscant etc.» Et alibi idem doctor eamdem, ait, Romae legi et in Africa, scribens ad Augustinum. Ubi vero in omnes terras invaluit haec exaplaris editio Bibliorum, aliae postea recensiones nonnullae pro varietate locorum factae sunt, quae quidem textum respiciebant, minime vero sacrorum librorum numerum, vel Canonem. De his loquitur idem Hieronymus: « Nunc vero (in praefatione Paralipomenon) cum pro varietate regionum, diversa ferantur Septuaginta interpretum exemplaria, et germana illa antiquaque translatio corrupta sit, atque violata; nostri arbitrii putas, o Chromati etc.»

Nequaquam vero hic disseritur a nobis de harum recensionum praestantia; aliis hoc opus remittimus; tantum hic agitur de numero veterum Bibliorum, quem singulae recensiones eumdem exhibere probatur. Lucianus Macarii edesseni discipulus, ut inquit Assemani, et martyr, in schola antiochena, saeculo tertio, Scripturas interpretatus, illarum lectionem juxta Exapla Origenis censuit, et ex hac recensione, tempore ejusdem sancti Hieronymi dicebantur *Lucianea exemplaria*, quae a plerisque eadem habebantur ac codices graeci Bibliorum, ab Origene et Eusebio caesariensi vocati κοινὴ *chinì*, seu editio communis vel Vulgata, uti dixi, testa Hieronymo in epistola ad eosdem Suniam, et Fretelam. Et haec editio omnes Scripturas Proto-Canonicas cum Deutero-Canonicis praeseferebat, ut de hac re nobis suffragatur ex Hieronymo Cassiodorus, qui ejusdem doctoris codicem Septuaginta emendatum accipiens ut notavi, testatus est continere 44. libros veteris Testamenti. Eumdem numerum li-

(1) Tom. V. p. 622. ed. Mau.

brorum proferebant codices ab ipso Origene elaborati, et vulgati ab Eusebio et Pamphilo (ut e codice syro *Estranghelo*, de quo post, clare educitur) quemadmodum etiam idem numerus librorum a Hieronymo (etsi Deuteros minoris faciat auctoritatis) et ab Augustino statuitur. Quid ergo ex his disquisitionibus erit conjiciendum? Praedictas scilicet Bibliorum editiones antiquam Vulgatam, et alteram ab Origene conflatam, sive graecam, sive latinam sumpseris, continere scripta Proto-Canonica pariter ac Deutero-Canonica, et numerum tantum 44 librorum, seu Canonem a tridentina synodo firmatum.

Hucusque aetatis, quod disserui, monumenta quoque testantur. Codex Chisianus Romae quatuor Prophetas majores continens exhibet textum exaplarem Origenis cum obelis et asteriscis. Hoc in codice sub iisdem notis leguntur liber Baruch, et Danielis additamenta eodem ordine, et loco, quo nostris in Bibliis hodie observantur. In Bibliotheca arundelliana, ut apud Usserium in Syntagmate versionis Septuaginta, duo codices servantur, e quibus unus editionem Origenis libri Estheris cum obelis, et asteriscis objicit, et alter vetustissimam aetatem profert; utrique autem historiam mulieris cum additionibus Deuteris ostendunt. Alter codex celeberrimus textum exaplarem Origenis proferens, lingua syriaca, et charactere estranghelo descriptus, Mediolani in bibliotheca ambrosiana servatur. Ex hoc manuscripto eruitur auctorem esse interpretatum in syrorum linguam textum alexandrinum juxta exaplarem editionem Origenis. Codex iste saeculi septimi initio scriptus videtur, quamvis ignoretur auctoris nomen. Insuper, quod observatu dignum est, obeli, asterisci, et aliae notae inspiciuntur ibi; ac inscriptio in fine ejusdem codicis satis indicat hanc translationem ad literam exactam esse e versione Septuaginta, quam Eusebius una cum Pamphilo ex operibus Origenis emendaverat, uti ibi dicitur (1). Hoc manuscriptum profert Scripturae libros, Psalmos, Job, Proverbia, Ecclesiastem, Canticum Salomonis, Sapientiam, Ecclesiasticum, Hoseam, Amos, Abacuc, Sophoniam, Haggaeum, Zachariam, Malachiam, Hieremiam, Danielem, Isaiam. Ceterae Scripturae, quae hic desiderantur, videntur alteri codici inser-

(1) In fine illius codicis haec leguntur syriace scripta: « Desumptus est, et effictus ex exemplari Eusebii, et Pamphili, ad ejus scilicet normam, quod ipsi emendarunt ex Bibliotheca Origenis.»

tae esse, apud Andream Masium sito; et nunc non extat. De hoc codice agit Morinus lib. I. Exercitatione IX. c. 6. hisce verbis: « Habuit Masius apud se mirandae vetustatis codicem syrum de ipsis Origenis Exaplis ab Eusebio caesariensi recensitis ante mille annos syra lingua, cum diligenti istarum figurarum idest obelorum, et asteriscorum adscriptione conversum. Quos autem libros praeter Josuam, complexus fuerit ille codex, docet nos Masius in epistola operis nuncupatoria, Judicum scilicet historiam, et Regum, et Paralipomenon, Esdram, Esther, Judith, Tobiae vero et Deuteronomii bonam partem.» Si hos libros cum supra censitis eadem lingua, et notis exaratis adjunxerimus, (uti Lambertus Boss jure unum, et eumdem codicem esse ostendit) fere integrum Bibliorum Canonem eduxerimus, et Deuteras Scripturas ibidem sparsim descriptas. Clarius ergo infertur textum exaplarem Origenis, atque antiquam Vulgatam, quae tantum illis diebus in omnium fidelium manus pervenere, Scripturas Deuteras ceteris Proto-Canonicis promiscue insertas continere; quinimmo numerus earum, sive Canon certus (sepositis aliis omnibus apocryphis, quas supra dixi ab Ecclesia Dei rejectas fuisse) nobis ab Origenis aetate credendus objicitur.

Profecto nobis summae admirationi erit hic vir clarissimus, et speciatim pro nostro argumento, cum ipse antiquissimos codices Bibliorum legerit, omnes orbis christiani ecclesias Romam usque inviserit et doctrinam illarum de hoc Bibliorum Canone investigaverit; ideoque rite in epistola ad Africanum alibique scripserit omnes Scripturas Deutero Canonicas veteris Foederis ab Ecclesia recipi, divinas aestimari, quamvis a synagogae magistris reprobatas. Hieronymus fuit primus, et solus, qui Bibliorum aggressus interpretationem ex hebraeorum codicibus, segregavit libros Proto-Canonicos litteris hebraeorum exaratos, et ab illis ut divinos acceptos, ab aliis Deuteris graecorum litteris descriptis, quos judaei ipsi respuebant. Et hoc prudenter egit, ut pateret, juxta illius dicta, quid haberet hebraica veritas, quidque ab eis extra Canonem teneretur, et pari modo christianos caveret ne cum hebraeis, his Scripturis innixi contenderent; et ita utrimque omne offendiculum auferebatur. Paulo post vero doctoris obitum, in Ecclesia apparuerunt una cum illius nova ex hebraeo versione, omnes Scripturae Priores et Deuterae mixtim, sicut dispositae antiquitus legebantur.

Qua vero tandem alacritate Origenes, hujusmodi deposuerit

sacrorum librorum veteris Testamenti numerum, audiatur quidquid prologo in Canticum Canticorum scripsit: « Operosum est autem, ait, et procul ab opere proposito, si velimus et nunc inquirere, quare multorum librorum commemoratio fiat in Scripturis divinis, quorum lectio nulla nobis est tradita, sed neque apud judaeos haberi quidem usum reperimus eam lectionem; quos sive pro eo quod aliqua supra humanam intelligentiam continebant, placuit Spiritui Sancto auferri de medio, sive quod essent de Scripturis his, quae appellantur apocryphae pro eo, quod multa in eis corrupta, contra fidem veram inveniuntur a majoribus traditam, non placuit eis dare, nec admitti ad auctoritatem. Supra nos est pronunciare de talibus. Illud tamen palam est, multa vel ab Apostolis, vel ab Evangelistis exempla esse prolata, et novo Testamento inserta, quae in his Scripturis, quas Canonicas habemus, nunquam legimus, in apocryphis tamen inveniuntur, et evidenter ex ipsis ostenduntur assumpta; sed ne sic quidem locus apocryphis dandus est; non enim transeundi sunt termini, quos posuerunt patres nostri. Potuit enim fieri ut Apostoli, et Evangelistae Spiritu Sancto repleti sciverint, quod assumendum esset ex illis Scripturis, quodve refutandum; nobis autem non est absque periculo aliquid tale praesumere, quibus non est tanta spiritus abundantia. » Speciatim hic notentur ea verba. « Non enim transeundi sunt termini, quos posuerunt patres nostri » congruentia illis, quae leguntur in litteris ad Africanum, ubi exposuit Origenes divinitatem historiae Susannae, additionum Esther et librorum Judith, ac Tobiae, etsi obstantibus judaeis, significans illis dictis, ut divinas habendas praedictas Scripturas, cum primaevi patres eas ita propugnarint. His ex verbis, Origenis fiducia, aliorum in Ecclesiam Catholicam fiduciam augeat, et ejusdem decreta venerari discant (1).

§. VII. Postquam disseruimus de Canone Ecclesiastico divinorum Bibliorum, opportunum videtur aliquid addere circa illum tam vulgatum, et ab adversariis nobis objectum, Esdrae Canonem, quem hebraei primum christianis opposuerunt. Canon esdri-

(1) Si vero in nonnullis arguendus sit Origenes, et quaedam illius rejicienda, ut inter alios disserit Hieronymus, scito tamen eumdem doctorem contra Rufinum libro tertio appellare Origenem virum eruditissimum et ab infantia sacris litteris institutum; et paulo post addit: « In Origene miramur scientiam Scripturarum, et tamen dogmatum non recipimus falsitatem. » Quae revera alia erant a doctrina, quam hic statuimus.

nus nihil officit ecclesiastico Scripturarum Canoni, quoties accurate Esdrae ejusdem gesta, et patrum veterum de hoc sententias perpendamus. Antea, nobis asserendum est, Esdram nulla ratione Canonem divinorum Bibliorum decernere potuisse adeo, ut post illius mortem nullus Propheta vel scriptor sacer surgere potuerit, qui inter judaeos, et israelitas docens vel prophetans divinam suam doctrinam scripto mandaret. Usque ad tempus (ut paulo ante jam dictum est) praefinitum a Patre, quo misit Deus Filium suum, sub tutoribus, et actoribus fuerunt hebraei, habentes qui eos instruerent in lege, et in praeceptis Dei, ut ait Evangelista: « Omnes enim Prophetae, et lex usque ad Joannem prophetaverunt. » Sed potius, si aliter Esdrae operam considerare velimus, rationi utique magis congruum erit, asserere Esdram in medio populi Israel post captivitatem instaurasse legem Moysis, et ritus, sacrificia ceteraque, quae emigrationis tempore nonnulla omissa, vel immutata fuerant. His adde, curam maximam et Esdrae opinor fuisse, commodam Scripturarum lectionem perficiendi, ad cujus comparationem, veteribus elementis hebraeorum immutatis, nova invenerit, Chaldaica scilicet, cum in chaldaeorum regionibus plerique judaeorum nati, assyriorum litteris assueti fuissent. His omnibus mihi suadeo, Esdram dedisse operam, qui, ut in suo genuino libro legimus (1): « Scriba velox, seu (juxta latam hebraici vocabuli significationem) doctor sedulus in lege Moysis paravit cor suum, ut investigaret legem Domini et faceret et doceret in Israel praeceptum et judicium. » Ab Ecclesiae patribus antiquis firmatum est, hoc opus et studium suscepisse in medio populi Israel post illius reditum. Clemens alexandrinus libro I. Stromaton scribit: « Per Esdram divinitus eloquiorum inspiratorum recensio, et instauratio facta fuit. » Optime pariter Tertullianus de cultu foeminarum dicit: « Omne instrumentum judaicae literaturae per Esdram constat restauratum, seu literis, seu circa sacrificia, et alia ejusdem generis, quae in captivitate remissa erant. » Origenes ob hoc observavit in nonnullis hebraeorum codicibus nomen Dei venerandum Ιαω *Iao*, quod est *Iehova*, litteris non hodiernis sed antiquissimis esse exaratum; et in Psalmo II. ait: « Narrant enim Esdram in captivitate alios ipsis characteres loco priorum tradidisse. » Hieronymus in Prologo Galeato dicit: « Certum est Esdram

(1) Esdrae c. VII. 6. et Calmet tom. III. p. 161. in eumd.

scribam, legisque doctorem, post captam Hierosolymam, et instaurationem templi sub Zerobabel alias litteras reperisse, quibus nunc utimur.» Irenaeus inquit Esdram collegisse libros, vel Scripturas, quae eum praecessere. Et quid ex hoc infertur ab adversariis? fortasse posteros judaeorum scriptores non fuisse divinitus inspiratos? absit. Denique, ut dicatur Esdram divinorum Bibliorum numerum signasse, prout synagogae magistri sentiunt, quorum primus Flavius, qui ad imperium usque Artaxerxis scribit mansisse prophetiam inter hebraeos, et viginti duos libros tantum divinos haberi, et credi ab iisdem, necesse esset Esdram vitam protraxisse ad bis centum usque annos saltem post Zorobabelem, qui cum eo venit Hierosolymam, ut in Canonem hebraeorum recenseret duos libros Paralipomenon, quorum auctor scripsit decem, vel undecim generationes post Esdrae et Zorobabelis aetatem, sicuti accipitur e capite III. libri I. Paralipomenon; ita enim legitur: «Zorobabel genuit Mosollam, Hananiam... Filius autem Hananiae Phaltias pater Jeseiae, cujus filius Raphaia; hujus quoque filius Arnan, de quo natus est Obdia, cujus filius fuit Sechenias. Filius Secheniae Semeja, cujus filii Jattus, et Jegaal, et Baria, et Naaria... Filius Naariae Elioenai... Filii Elioenai, Oduja, et Eliasub, et Phelcia, et Accub, et Johanan, et Delaja et Anani septem: » Et huic similia leguntur in libro Nehemiae. Quid hebraei et illi qui eis obsequuntur, his dictis adjicient? dicant qui intelligunt. Dathius in notis libri I. Chronicorum cap. I. de Genealogiis ex horum duorum librorum Auctore collatis, quae, ut ipse novit, perveniunt ad saeculum tertium post reditum e Babelis captivitate, ita scribit: «Quarumdam familiarum reducum e captivitate, genealogiae videntur etiam post hos libros jam compositos continuatae, ex. g. Zerobabelis, cujus prosapia ad tertium saeculum post reditum ab exilio pertingit, quae igitur non possunt esse auctoris horum librorum, quem Esdram esse summa cum probabilitate viri docti statuunt.» Ideoque (cujusque auctoris fiant hae additiones) juxta Dathii opinionem, et judaeorum, exscindendum esset hoc libri fragmentum, ut apocryphum, et illius auctor segregandus ab aliis divinis scriptoribus, quum longo tempore post Esdram inter hebraeos vitam peregerit. Audeant hoc alii, sed non ego.

Quomodocumque autem accipiantur citatae genealogiae, sive ab auctore Paralipomenon et Nehemiae collatae sint, sive postea additae, haec censenda duco. Quae nobis tradiderunt primaevi patres

de Esdra ac de illius studio in instaurandis lege et praedecessorum libris et componendis rebus publicis in medio Israel post reditum e captivitate, accipienda sunt ; quae vero addunt synagogae magistri illum una cum Synedrio clausisse numerum sacrorum librorum adeo, ut, juxta quae leguntur in *Misna* et apud talmudistas, dicendum esset: « Ex quo mortui sunt Prophetae ultimi Aggaeus, Zacharias, et Malachias ablatus est Spiritus Sanctus ab Israel » prorsus adversariis negandum est. Testatur Hieronymus, et in ipso *Sanedrim* dicitur, traditiones judaeorum corruptas fuisse, et multiplicata esse schismata in Israel, et hoc accidit statim post Christi adventum et templi ruinam, quo decidit quoque et dispersum est regnum Judae. Praeterea si revera ab Esdra vel a Synedrio sancitus fuisset et clausus numerus Bibliorum, non orta esset quaestio inter *Misna* collectores (qui doctrinam veterum calluisse dicuntur) circa auctoritatem Ecclesiastes, et Cantici Canticorum. In tractatu enim de Lotione manuum c. III. haec sumpsi: « Omnia scripta sacra polluunt manus.... Rabbi Juda dicit Canticum Canticorum polluere manus, Ecclesiastes in controversia est. Alii contra dicunt Canticum Canticorum in controversia esse. Alii asserunt omnia agiographa esse sacra, et Canticum Canticorum esse sacratissimum; et si dissentiant, de Ecclesiaste tantum dissentiant. » Ex quo interpretes *Misna* de Ecclesiaste scripsere: « Ecclesiastes non polluit manus, quia Salomonis sapientiam continet, quae Spiritu Sancto non est dictata. » Videas ergo, quanti faciendae sunt traditiones hebraeorum post illorum reprobationem.

§. VIII. Denique alia notanda sunt non aliena a nostro proposito, haud coram hebraeis, sed illis, qui maxime de christiano nomine gloriantur. Jam probatum est alibi Apostolos suis in Scripturis haud definiisse veterum Scripturarum Canonem, sed tantum ex illis omnibus, quae antea scriptae erant, testimonium, prout opportunum et necesse videbatur, contulisse. His positis, nos scripta apostolica divina recipientes quotquot ad nos pervenere, ex illis discimus alias Scripturas inveniri ante illorum aetatem exaratas, quae minime ab hebraeis receptae sunt in suum Canonem; ex quo fatendum erit, praeter Canonem vulgo *Esdrinum* nuncupatum, alios extitisse divinos libros; quod ad rem facit et imminuitur alterorum opinio, qui una cum judaeis asserunt nullas praeter Esdrae Canonem extitisse divinas Scripturas. Revera ipsi nobiscum tenent, quae a s. Matthaeo in Evangelio dicuntur: « Si-

cut scriptum est (1): « Quoniam Nazaraeus vocabitur. » Item a divo Paulo memorantur duorum nomina magorum, qui in Aegypto Moysi restitere; in Epistola Catholica Judae Apostoli de eodem Moyse haec leguntur: « Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiae, sed dixit, imperet tibi Dominus. » In eodem Matthaei (2) Evangelio traditur Domini nostri genealogia secundum carnem, et nomina patrum suorum nonnulla recitantur, quae nullibi veterum Bibliorum leguntur. Insuper in Evangelio divi Lucae (3) insertum est Canticum, quod Zacharias pater Joannis Baptistae repletus Spiritu Sancto prophetavit; quae omnia Apostoli, et Redemptoris discipuli, ut habebantur apud hebraeos descripta, in suos libros retulerunt, quaeque ante ejusdem adventum fuerant praenunciata. Haec, et similia, si nos tantum hebraeorum Canonem esdrinum receperimus, expungenda essent ab apostolicis Scripturis, utpote ex antiquis Bibliis hebraeorum desumpta, quae ab iisdem falsa, et commentitia fiunt; et ideo ab adversariis non solum Deuterae veteres Scripturae respuendae essent, sed Biblia quoque apostolica, quia falsa, Christi discipuli certis sacrisque inseruere, et ab antiquo Canone aliena. Ideoque jure Origenes ob has et hujusmodi citationes ab Apostolis collatas e veteribus Scripturis, quae non leguntur in Canone hebraeorum, in epistola ad Africanum scribit nullo modo nobis standum esse doctrinae hebraeorum in statuendis ac accipiendis eorum libris, sed Ecclesiae traditioni, quae docuit quales libri divini habendi essent, ut infra dicetur.

(1) Mat. c. II. — (2) Mat. c. I. — (3) Luc. Evang. c. I. 6.

PROPOSITIO IV.

Praemissis notis, quibus adversarii dignoscendam esse dicunt divinitatem Scripturarum, statuitur has Scripturas decerni divinas per solam traditionem ecclesiasticam, sicuti primaevi doctores de Canone Bibliorum, et de aliis similibus eam tenendam esse docuerunt.

§. I. Hucusque adversariis rationes objecimus, cur Ecclesia Catholica firmo, et perpetuo servaverit, ac fideles docuerit exstare nempe divinam, doctrinam illam, in Scripturis Deutero-Canonicis insitam. Hic vero demonstrare conabimur his Bibliis inesse quoque qualitates, quae ab ipsis heterodoxis postulantur, ut divinus quidam liber dicatur, quibus dotibus ajunt ditatas esse Scripturas Proto-Canonicas. Hoc tantum ea ratione fit, ut hostibus obsequamur, qui modos edocent ac notas, quibus liber divinus ab alio quocumque dignoscatur; cum notae illae reapse non habeantur ut verae, et pares ad Scripturam divinitus inspiratam a ceteris quibusvis scriptis secernendam.

Divinae revelationis notae, scribit Hornaeus (1), censentur prophetiae et miracula; deinde alia, etsi non ejus momenti indicia, cujusmodi essent sublimis doctrina de Deo et essentia illius perfectissima, cultus rectus, morum praecepta, caritatis munera, congruentia inter omnes Bibliorum partes, animae immortalitas et alia hujusmodi, quae, ipse ait, constituunt libri cujusdam divinitatem.

Vix semel posito, has esse notas ad Scripturarum divinam inspirationem decernendam, inquirendum est, utrum scripta Deutero-Canonica eisdem notis ditata habeantur. Et e prophetiis incipiendo, animadvertamus oportet omnes Scripturae libros divinos esse, quamvis haud de rebus futuris proferant argumenta, dum et libri quidam Bibliorum divini creduntur, etsi futura minime praevideant. Sacri scriptores divinitus inspirati reputantur, quomodocumque se haberent res, quas scribendas, Spiritus Sancti munimine, susciperent, sive historicum, sive propheticum esset eorum argumentum. Revera quidam libri Proto-Canonici dicuntur inspirati, et tantum historias, genealogias, vel praecepta

(1) Tom. I. Introd. p. 221.

moralia exhibent; alii vero pariter divini futura praedicant. Idem accidit in Scripturis Deutero-Canonicis, dum aliae prophetica dicunt alterae priorum gesta narrant, aliae praesentia censent. Ideoque, ut patet, praevidentia, neque primaria, neque necessaria constituitur nota ad libri alicujus probandam divinitatem. Nihilominus, modo probetur Biblia Deutera prophetias, sicuti Proto-Canonica, continere, quibus divina fruantur auctoritate.

In additamentis Esther (1), Mardochaei legimus somnium propheticum de gravi populi Israel periculo, deque eorum salute, uti eventus prodidit. In libro Sapientiae (2) Christi Redemptoris passio praedicitur, sicuti judaei in Evangelio Jesum negantes impleverunt. Casus Ninive, hebraeorum reditus e captivitate traduntur a Tobia sene coram filio suo. Nonne Spiritus propheticus illuxit Danieli (3), cum seniorum Israel impietates redarguit, et Susannae innocentiam propugnat. Baruch de Christi Jesu incarnatione dixit: « Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. » Et alia hujusmodi in aliis Bibliis Deuteris.

Quoad miracula, in Scriptura Tobiae conferta leguntur, Angeli nempe Raphaelis apparitio, incessus ejusdem cum Tobia, et daemonis profligatio. In Daniele mirum Habacuc Babyloniam iter; ignis accensus sub Nehemia (4). In Judith prodigiosa Bethuliae salus, aliaque miranda in Machabaeorum libris. Divina essentia ubique Bibliorum Deuterorum objicitur infinita quemadmodum docent Proto-Canonica. Deum orbis creatorem, unum, justum, pium, magnum, aeternum et omnibus praevalentem praedicant Tobias, Judith, Esther, Susanna, Baruch, Sapientiae, et Ecclesiastici auctores ac Machabaei (5). Quoad cultum, omnes citati libri vindicant illius puritatem, idola abominantur, ac in omnibus conformantur sacris Moysis institutis, ut cuique obviam fit illos legenti; quinimmo in Bibliis Deuteris hinc inde aemulatio percipitur in legibus mosaicis servandis, quod congruentiam Priorum, et Deuterarum Scripturarum ostendit (6). Circa morum moderationem, et caritatem, inter alios conferas maxime libros Ecclesiastici, Sapientiae et Tobiae. Tandem animae immortalitas sicuti eruitur in libris Proto-Canonicis, sancitur quoque in Deuteris. Tobias docet illam esse expectandam a nobis vitam, quam

(1) Esther c. XI. 6. et c. X. 4. — (2) Sap. c. II. 12. — (3) Dan. c. XIII. — (4) Dan. c. XIV. et 2. Mac. c. 1. 20. — (5) Tob. c. III. Judith c. V. Est. c. XIII. Bar. c. III. Dan. c. XIII. et 2. Mac. c. VII. — (6) Tob. c. I. Jud. XII. Esth. c. XIV Ecc. c. XXXVI. et Mac. c. IV.

Dominus daturus est iis qui fidem non mutant ab eo. Huc referantur quoque Sapientiae caput II. et Machabaeorum martyres et Judae pietas erga defunctos milites (1). Et haec brevi sermone recitata sufficiant, cum et tyro biblicus Scripturas Deuteras percurrens, vel leviter illas notas pertingat, sicuti et doctrinae unitatem, quae ubique in Primis et Deuteris libris statuitur. Si ergo ex notis, quas tradunt adversarii, instituere velimus Scripturarum divinitatem, infertur quoque ea sub ratione sapientissime concilium tridentinum compegisse illum Canonem Bibliorum. Modo vero coram adversariis fatendum est illas notas nullum praebere librorum divinitati testimonium, cum signa hujusmodi communia habeantur quibusque libris (praeter Scripturas) et tamen non dicuntur divini. Idcirco statuenda est Traditio Ecclesiastica, quae sola Scripturas, divinas esse testatur. Et hoc fuit potissimum, quod, parte prima, demonstrare pro viribus institi, illam nempe traditionem nos edocuisse harum Scripturarum divinam inspirationem.

§. II. Est autem haec traditio doctrina Christi et Apostolorum, quam discipuli sui ac patres Ecclesiae ex ore ipsorum accipientes posteris mandarunt. Ista a nobis adprobanda, et tenenda quippe quam antiqui doctores venerati sunt et crediderunt, eamque ut fidei articulum amplexati sunt. Revera, ita docuerunt primum in novi Foederis scriptis Apostoli, qui fidelibus praeceperunt, ut doctrinam tenerent, quam audiverant per sermonem, vel per epistolam; quinimmo audentius inquam, Evangelii doctrina per os primum evulgata est in mundo; et discipuli christiani primi, quod auribus acceperant, alios pariter docuerunt, et sic successive praedicatum est Evangelium Christi. Cum vero Apóstoli, sive eorum discipuli corpore absentes a fidelibus, quos fide imbuerant, aliquid docerent, seu potius explicarent de illis, quae sermone antea dicta fuerant, tunc ipsi scribentes erudiebant eos in omnibus, quae eis necesse erant, adeo ut, sublata hac epistolarum necessitate privata seu singulari, Redemptoris Evangelium tantum sonu vel voce in orbem terrarum exiisset. Id clare percipitur ex eisdem Apostolorum epistolis ad christianos de re aliqua scribentium.

Divus Paulus ad thessalonicenses, (2) scribit: « Non retinetis, quod cum adhuc essem apud vos, haec dicebam vobis. » Et

(1) 2. Mac. c. VII. et c. XII. 42. — (2) 2. Epist c. II.

paulo post eos hortatur dicens Ἄρα οὖν, ἀδελφοί, στήκετε, καὶ κρατεῖτε τὰς παραδόσεις, ἃς ἐδιδάχθητε, εἴτε διὰ λόγου εἴτε δι' ἐπιστολῆς ἡμῶν i. e. Itaque fratres, state et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram. » Per sermonem ergo primum, deinde per epistolas docuit thessalonicenses Apostolus. De institutione sacrae Eucharistiae idem Paulus monens corinthios (1), dicit se eis tradidisse quae a Domino acceperat non per scripta, sed per sermonem. Joannes Apostolus ad Electam Dominam, et ad natos illius, et ad Gajum carissimum brevibus litteris (2), illis significat se nolle eis per epistolas loqui, sed cum futurus esset apud illos, os ad os sermonem habiturum. Eaque ratione omnes Apostolos, et discipulos Domini usos esse scimus, prout acceperant ex ore Redemptoris mittentis eos in mundum, ut praedicarent Evangelium universae creaturae. Patres apostolici idipsum testati sunt, e quibus Ignatius Martyr qui juxta Eusebium (3) e Syria Romam perductus, cum per Asiam etsi sub accurata satellitum custodia ductaretur, singularum tamen civitatum, quas ingressus est, Ecclesias sermonibus et cohortationibus suis confirmabat : « Hortabatur autem ut tenaciter inhaererent traditioni, quam ob firmitatem scriptis mandandam existimabat. » Irenaeus idem dicit, et Origenes libro I. De Principiis, doctrinae varietatem improbans, quae inter fideles orta erat, ait : « Non solum de parvis, et minimis, sed etiam in maximis rebus servetur ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, et usque ad praesens in ecclesiis permanens ; illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica, et apostolica discordat traditione. » In Africa Tertullianus (4) contra Marcionem optime traditionis argumentum pertractat ostendens, eadem merito destrui, ac dissipari opiniones falsas contra veritatem facientes, ac parirer stabiliri genuinam, et legitimam apostolicam institutionem. Haereticum urget Tertullianus vindicans divi Lucae Evangelium genuinum contra aliud ejusdem Marcionis commentitium : « In summa (ipse ait) si constat id verius, quod prius, id prius, quod et ab initio, id ab initio, quod ab Apostolis ; pariterque utique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum. Videamus quod lac a Paulo corinthii hau-

(1) 1. Ad Corinth. c. XI.— (2) 2. et 3. Epist. Joan. — (3) Hist. Eccl. lib. III. c. 36. — (4) Lib. IV. c. 5.

serint, ad quam regulam galatae sunt recorrecti; quid legant philippenses, thessalonicenses, ephesii; quid etiam romani de proximo sonent, quibus Evangelium, et Petrus, et Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt. Habens et Joannes alumnas ecclesias. Nam etsi Apocalypsin ejus Marcion respuit; ordo tamen episcoporum ad originem recensus in Joannem stabit auctorem. Sic et ceterarum generositas recognoscitur. Dico itaque apud illas nec solas, jam apostolicas, sed apud universas quae illis de societate sacramenti confoederantur, id Evangelium Lucae ab initio editionis suae stare, quod commaxime tuemur; Marcionis vero Evangelium plerisque non notum; nullis autem notum, ut non eo damnatum. Habet plane, et illud ecclesias, sed suas tam posteras quam adulteras, quarum si censum requiras, facilius apostaticum invenias, quam apostolicum, Marcione scilicet conditore, vel aliquo de Marcionis examine. Faciunt favos et vespae; faciunt ecclesias et marcionitae. » Videas priorum patrum curam, ac studium tum traditioni apostolicae inhaerendi, tum, hac posita traditione, normam vera a falsis secernendi scripta.

Deinde vero admodum miror, quomodo ipsi, dum ecclesiasticae traditionis auctoritatem audire nolunt, ac praesertim de eo, quod sacrorum Bibliorum Canonem respicit, divinitatem tamen ac numerum Scripturarum fatentur, non ex novi, vel Foederis antiqui auctoritate, sed solummodo ex simplicis traditionis voce. Hoc antea Wilhelmus Lindanus tribus libris pro variis concilii tridentini decretis, de traditionibus libro I. c. I. instruit argumentum contra Chemnitium aliosque haereticos locutus: « Ipsi enim cum conentur nobis traditiones non scriptas de manibus eripere, illi sibi incauti necem struunt, quum plurima a matre nostra Ecclesia Christi apostolica subripiunt dogmata, quae nullo Scripturarum testimonio refractarii valeant liquido probare, quemadmodum de Scripturarum veterum Canone, vel libris, est solis luce manifestius, etiam ipsorum Antesignanorum consensu, ut Brentii, Melancthonis, et aliorum .... Quo enim, Chemniti, sacrae Scripturae testimonio, hoc potius Matthaei, quam Matthiae recipis Evangelium? Cur potius Lucae aut Marci, quam Petri, Thomae, aut Bartholomaei? Atqui ab Ecclesia illud reverenter suscipimus, inquis, a qua sunt Scripturarum libri custoditi, et fideliter ad posteros transmissi. Istud et nos omnium verissimum praedicamus. Nusquam insuper legas, quatuor esse tantum Evan-

gelia, hoc Evangelium esse Matthaei, aut Lucae, nisi quia sine Scriptura hoc ita docet et indubitanter affirmat Catholica Christi Ecclesia. Sola enim Ecclesiae vox non scripta, non litteris mandata, sed fideliter permanens ad posteros transmissa testatur, immo docet, demonstrat, evincit, adeo eas esse Canonicas, quia Christi sponsa tales habet ipsas, et in nomine Christi mandat esse accipiendas, amplexandas, et omni veneratione colendas, sicuti alias Scripturas, quae in Evangelio haud occurrunt, et tamen ab adversariis ut divinitus inspiratae habentur. » A pari ergo Deutero-Canonica Biblia veteris Testamenti eadem auctoritate suscipienda sunt, qua Proto-Canonici libri accipiuntur ab hostibus, cum neque ex Evangelio, nec aliunde nisi ex traditione patet eorum divina origo, ut etiam in partis I. propositione I. de his libris disserui.

§. III. Insuper, cum testimonium morale de divinitate omnium Scripturarum sive Priorum, sive Deuterarum, quod per successionem constantem usque ad nos pervenit, potissimum sit, ac valde ponderatione dignum, animadvertendum quoque duxi, hoc vocabulum *divinum*, seu *divinitus inspiratum* nostris Deuteris et omnibus Scripturis aptatum, quam longissime abesse ab alio quocumque libro, cujus auctor variis erroribus ob suam infirmitatem obnoxius quidquam vel historicum, seu philosophicum pertractat. Apostoli enim nobis testati sunt Scripturas veteres esse divinas, illasque ingenio humano omnino praestare dixerunt. « Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum etc. » alibi perspicue: « Non enim voluntate humana, inquit Petrus (1), allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. »

Nequidem hoc vocabulum *divinum*, quod solum Scripturis competit, explicandum, vel intelligendum est, quasi vox vaga, incerta, metaphorica sive antonomastice dicta; uti aliquando hoc nomen *divinum* scripto, mero humani ingenii foetui adjudicatum est ob doctrinae excellentiam, vel ob mirabiles alias qualitates, quas protendit, uti vulgo inter nos dicitur *divinum poëma*, *coeleste canticum*, *mirabile scriptum*. Nulla ratione de divinis Scripturis hoc dicere fas est. Bibliorum scriptores locuti sunt, vel scripserunt quidquid Spiritus Sanctus eorum menti adstans, ac illos ad scribendum vocans docebat. In Numerorum libro ad Balac

(1) 2. Epist. c. 1. 21.

respondit Balaam Propheta : (1) « Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti, et auri, non potero praeterire sermonem domini Dei mei, ut vel boni quid, vel mali proferam ex corde meo ; sed quidquid Dominus dixerit, hoc loquar. » Veteres Ecclesiae patres Clemens, Irenaeus, Origenes, Tertullianus, ceterique apostolica dicta prae oculis habentes de suprannaturali inspiratione hominibus facta in divinis Scripturis, confessi sunt, et contestati libros divinitus inspiratos, illos esse, qui, seorsim a sapientia, et voluntate humana, Prophetis et Apostolis divinitus revelati fuere ; ideoque nullum errorem, nullam oblivionis notam, nullum sphalma in illis esse inquirenda, quae facillime aliis in libris quibusvis, ubi tantum humana natura duce, occurrunt. Augustinus, ut suo loco notavi, contra quemdam manifeste hoc discrimen ponit, suaque doctrina illustrat, tum cum agit de scriptis praedecessoris sui Cypriani, cujus scripta etiamsi sancta, valde inferiora esse ait Scripturarum auctoritati, quae in Canone sacro censebantur. Inter eumdem Augustinum et Hieronymum ad invicem haec discrepantia aperte dignoscitur. Dicit enim ei Augustinus (2): « Ego fateor charitati tuae solis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse, firmissime credam. Ac si aliquid in eis offendero litteris, quod videtur contrarium veritati ; nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant; non ideo verum putem, quia ipsi ita sensere ; sed quia mihi, per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt. » Item istud donum prorsus coeleste omnes antiqui doctores unanimes senserunt inter hebraeos perstitisse toto tempore ante Christi adventum, ac perdurasse in dispensatione evangelica, omnesque Apostolos pariter obtinuisse, ac tandem in illorum morte defecisse. Cui rei iidem apostolici patres testimonium perhibuerunt, jure scripta divina ab aliis secernentes, sicuti ex traditione nobis proditum est.

Eo itaque discrimine posito inter Scripturam humanam, et divinam, quinam locus aptandus erit scriptis Deutero-Canonicis veteris Testamenti ? Si, ut adversarii opinantur, ea non sunt nun-

(1) Num. c. XXIV. 12. — (2) Tom. II. Epist. 82. ed. Mau.

cupanda divina, ac coelesti inspiratione tradita; sane humana, scripta dicantur necesse est. Ast si hoc constituatur, quid singulis patribus respondendum superest, qui in primaeva Ecclesia harum Scripturarum, ut divinarum, mentionem fecerunt, easque nedum voce, scripto adversus haereses maxime protulere? et haeretici pariter ut divina oracula, eas acceperunt, uti ex prima parte liquet?

§. IV. Sed relate ad hujus doctrinae ecclesiasticam traditionem alia quaedam necessaria mihi huic addere propositioni visum est, et hoc lubentius egi, cum publicas bibliothecas scrutatus, ut ea, quae aggressus sum edisserenda, potioribus argumentis perficerem, inciderim in versionem gallicam Bibliorum editam Amstelodami 1741. per Carolum Le Cene. Hac in editione Scripturae Deutero-Canonicae in fine hujus operis remissae sunt, et inscriptae *Apocryphae*. Ibi enim versionis auctor juxta decretum concilii laodiceni arguens, ait: « Cum Scripturarum Deuterarum prohibita in ecclesiis lectio fuerit (quod omnino falsum a me supra monstratum est) attamen usus praevaluit, ut iidem libri, sicuti antea factum erat, legerentur; et quamvis a divi Hieronymi aetate ad firmanda dogmata fidei non uterentur fideles, quemadmodum prius usi sunt, nihilominus ab his legendis in publicam instructionem et aedificationem haud cessatum est. Ita testantur Cappellus de Liturgiis, Conradus Pelicanus commentario in libros apocryphos, et articulus sextus confessionis fidei ecclesiarum belgicarum. » His animadversis, existimavi ad disciplinam antiquae Ecclesiae reverti, et melius expendere, quae doctores ante saeculum V. tradidere de auctoritate Deuterorum Bibliorum; eo magis quod nonnulli ex adversariis, dum videntur nobis convenire et illa eadem amplecti, quae probavi in prima parte circa horum librorum divinitatem; contra vero, sancto Hieronymo innixi aliisque testimoniis, sentiunt Ecclesiam in posterum ab iis sumendis in divinam auctoritatem desiisse. Ideoque rursus et brevi sermone ambas aetates et ante Hieronymum, et post illius obitum, de hac re exquiramus.

Ante Hieronymum quidem, haud Ecclesiae innotuit illud discrimen, quod statutum fuit inter Scripturarum libros ut divinos ab hebraeis et christianis acceptos, et illos qui a Christifidelibus tantum legendi essent ad aedificationem suam, nec vero ad ecclesiastica dogmata confirmanda. Nam quod legitur in Synopsi, et in Epistola Festali, quae sub nomine divi Athanasii ad nos

feruntur, et in Canone 85. qui dicitur, Apostolorum referendum est ad aevum Hieronymo recentius. Et hoc ex parte probatum est alibi, ubi disseruimus de hujusmodi scriptis, et nunc accuratius est animadvertendum.

Primo loco, notetur arcta analogia, quae invenitur tam in Epistola Festali, quam in Synopsi circa numerum et ordinem librorum veteris Testamenti. In Epistola Festali enim legitur: « Sunt itaque veteris Testamenti libri omnes numero viginti duo, tot enim, ut audivi, elementa apud hebraeos esse traditum est. » In Synopsi vero ita legitur: « Sunt itaque Canonici veteris Testamenti libri numero viginti duo, litteris hebraicis numero pares, totidem enim sunt apud illos elementa. » In Synopsi et Epistola Festali notationes de libris Deutero-Canonicis sunt fere eaedem; dum dicitur illos legendos esse a cathecumenis, vel ab iis, qui nuper ediscendi pietatis verbi gratia accesserint. Porro ob quasdam additiones, quae leguntur in Synopsi, videtur illius auctor eas mutuatus esse ex Epistola Festali, ac insuper de suo addidisse, late interpretatus quae ibi describebantur. Sed quod magni interest, vertitur in demonstratione neque Epistolam Festalem neque Synopsim esse divi Athanasii opus. De Synopsi non est ambigendum, ut alibi dixi, cum aperte maurini editores arguant ex illis, quae in fine Synopseos posita sunt: « Fuisse sumpta ajunt ex Epiphanii libris De Ponderibus, et Mensuris; dicetur forsitan haec postrema adjectitia esse; sed id gratis omnino asseritur cum consequenter ponantur in codice, unde Synopsis haec prodiit, et alioquin tanta ubique appareat hujus scriptoris diligentia, ut nihil omnino omittendum censuerit. » Item ratio dicendi hac in Synopsi animadversa, longe a stilo Athanasii distat. E quibus dici potest Synopseos auctorem post Epiphanium vixisse ac etiam post Hieronymum, neque Athanasium fuisse, qui eam instituit.

Item Epistolae Festalis, e qua excepit Synopsis scriptor, neque Athanasius probatur auctor, neque aetate praestare Hieronymo. Ut alibi diximus, Athanasius Alexandriae edoctus, libros suos, quotquot genuini ad nos pervenerunt, ditavit testimoniis Scripturarum illarum, quae Deuterae vocantur; illas ut divinas statuit, et contra arianos saepe has protulit in divinam auctoritatem, ut in prima parte legistis. Nullibi suorum librorum apparet vox *apocryphus* Bibliis Deuteris aptata. Praeterea ab aetate Athanasii, e genuinis illius scriptis et suo dicendi genere abhorrent dictiones Βίβλια κανονιζόμενα ***Biblia canonizomena*** i. e.

libri Canonici, quae tantum leguntur in Epistola Festali et in Synopsi. Divus pater pluries suis scriptis inseruit illud vocabulum *Canon*, cui etiam innititur *Ecclesiasticus*, at ea voce innuit regulam seu decretum quodcumque Ecclesiae; neque sub alia significatione illam praesumpsit. Scriptores graeci, uti paulo post, aetate nicaeni concilii nequaquam usi sunt in describendis vel citandis Scripturarum libris vocabulo *Canonicus*, sed aliis nominibus illos nuncuparunt, quod potissimum arguit Epistolam Festalem et Synopsin aetatis esse Athanasio recentioris.

Censum porro et ordinem librorum veteris Testamenti sedulo animadvertendo, mihi videretur Festalis Epistolae auctor nonnulla e Carmine XXXIII. Gregorii nazianzeni excerpsisse, quibusdam de suo additis; namque ordo librorum, sive numerus aequiparatur, et in utrisque desideratur liber Esther et in libro Danielis explicit numerus 22. librorum veteris Testamenti his verbis: « Tot namque hebraeae, quot sunt elementa, loquelae. » In Epistola Festali dicitur: « Sunt itaque veteris Testamenti libri omnes numero viginti duo; tot enim, ut audivi, elementa apud hebraeos esse, traditum exstat. »

Quod autem respicit canonem 85. qui dicitur Apostolorum, ubi describitur numerus divinorum librorum tum novi tum veteris Testamenti, videtur una cum praedictis parum praeseferre auctoritatis. Frustra laborarem hos canones expendens; nam a clarissimis viris dissertum est de eisdem. Cum enim ii tantum quinquaginta canones Apostolorum receperint, omnino exprobrarunt alios 35., quippe qui ceterorum antiquitate non polleant, neque auctoritate. Dionysius Exiguus, qui ipsemet e codicibus graecis transtulit dictos canones, quinquaginta tantum invenit; desinente saeculo quinto vitam degebat Dionysius. Isidorus hoc repetit in sua collectione, et antiquissimus codex vaticanus eumdem numerum exhibet. Scriptores ecclesiastici et pontifices idem probarunt. Stephanus papa quartus, anno 816. decrevit non esse suscipiendos e canonibus apostolicis plures quam quinquaginta. Ineunte saeculo sexto, in ecclesia graeca apparuerunt isti canones, eorumque auctor omnino latet. De re nostra, et quod pertinet ad canonem 85. certum est auctorem illius recedere a via omnium veterum doctorum Ecclesiae graecae et latinae; cum inter divinas Scripturas collegerit tres libros Machabaeorum, e quibus tertius ab universa Ecclesia antiqua rejicitur. Inter Ruth et Regum libros componit Esther. Hieremiae jungit Baruch, et

Epistolam, uti legitur in Epistola Festali; et explicit cum libro Danielis. Deinde docet adolescentes ut discant Sapientiam Sirach: nullamque ibi mentionem facit Sapientiae Salomonis, nec Judith, nec Tobiae. Quisquis ille fuerit, satis imperitus videtur istius auctor canonis, et ignorantiam ostentat disciplinae veteris Ecclesiae, uti pariter supra dictum est de illis, qui compegerunt Synopsin et Festalem Epistolam. His ergo positis, patet ante divum Hieronymum haud innotuisse illud discrimen auctoritatis, quod inter Priores et Deuteras Scripturas instituit doctor (1).

Sed non solum ante Hieronymum doctores ecclesiasticos illud auctoritatis discrimen latuit, quinimmo, ex eorumdem scriptis eruuntur tria vocabula ad divinas Scripturas ab alio quocumque scripto discernendas accommodata. Primum dicitur ἁπλῶς *aplos*, junctum voci γραφαῖ *graphe* innuit Scripturas simplices sinceras, ubi nempe veritas tantummodo elucet; et eo utuntur Irenaeus, Athanasius, Epiphanius aliique. Alia verba inscribuntur ἐνδιαθήκος *endiathicos* seu ἐνδιαθέτος *endiathetos*, et κανὼν *canon*, quibus patres nuncuparunt libros veteris, et novi Testamenti. Si ex etymologia interpretari voluerimus haec duo vocabula, fere idem sonant; attamen antiquitus quaedam, etsi minima, inerat discrepantia. Modo de prima dictione *endiathicos* seu *endiathetos*, quae a vetustis Ecclesiae scriptoribus Origene, Eusebio, et Epiphanio in masculino, et foeminino genere nexa fuit verbis γραφή *graphi*, seu βίβλος vel *biblos Scriptura*, seu *liber*, ille scilicet qui divina inspiratione descriptus erat. Eadem voce ab auctoribus ethnicis e sua origine διατίθεμι *diatithemi*, *dispono*, *ordino* jun-

(1) Si haec tria capita ad aetatem referenda sint recentiorem ea, quae videbatur, ac prorsus abjudicanda illis, quorum vocantur nomina, minoris momenti a nobis habebuntur. Et quum haec scripta ditata sint titulis venerandis Apostolorum, et Ecclesiae patrum, qui reapse non extitere auctores, haud immerito est arguendum, non pios, neque sinceros fuisse illos, qui haec eadem commentati sunt, quippe viris aliis ea inscribentes, quam sibi. Nullius inde auctoritatis notam praeseferunt hujusmodi scripta. Animadversis insuper graecorum locis et conditionibus ac aevo, quo haec edita videntur, haud arduum erit percipere hujusmodi varietates. Illas namque regiones fere universim incoluerunt haeretici, quorum doctrinae genera, quot eorum capita; eo magis quod ii codices ad nos pervenerint per manus illorum, qui romano Pontifici, ac Ecclesiae Catholicae infensissimi perstitere. Summa ergo cautione accipienda sunt haec testimonia. Et cum neque aetatem, neque doctrinam, neque fidem neque auctoris nomen noveris, nullum ergo argumentum contra Canonem tridentinum ex iis eruendum est.

cta vocabulo λόγος *logos*, teste Henrico Stephano in suo lexico, vocatur ille sermo, qui ex sententia animi profertur, hoc est non fallax neque simulatus, sed simplex et verus sermo, sicuti altera dictio *aplos*. Sed hoc vocabulum jure videtur originem duxisse e versione Septuaginta interpretum, ubi communis valde habetur dictio διαθήκη *diathichi* idest dispositio, lex, pactum stabile, quod scripto mandatur, ut ait Hesychius, et eadem significatione translata est in libros evangelicos (1). Latini autem veteres interpretes eamdem vocem interpretati sunt *Testamentum*, quod est dicere, in veteri voluntas seu dispositio Dei Patris explicata cum patriarchis hebraeis, et in novo ejusdem Dei voluntatis confirmatio per Filium. Ex quo factum videtur, ut doctores ecclesiastici vocarent Scripturas veteris novique Testamenti γραφὰς ἐνδιαθήκους *graphas endiathicus*, idest Scripturas, veluti Testamentum, scripto traditas, vel alio modo, libros simplices, sinceros e divina ordinatione emanantes. Origenes, ni fallor, fuit ille primus, qui suos in libros introduxit βίβλους ἐνδιαθήκους *Biblus endiathicus*, ac ita nuncupavit libros ab hebraeis acceptos in Canone, ac illos, quos ipsi non accipiebant, habebat vero Ecclesia Dei ut divinos. Scripta illius, quae nunc temporis graeca lingua exarata supersunt, haec tradunt, ut videre est in sua praefatione Psalmorum, in libro de Oratione et libro IV. De Principiis, ubi Tobiae et Sapientiae Scripturas *endiathicus* vocat, quam vocem latini interpretes Origenis recte transtulerunt in *Canonicas*, et juxta etymon dicit idem ac *endiathicos*; et hoc sub significatu omnes Bibliorum libros (quos ipse ex antiquis codicibus alexandrinis per orbem christianum dispersis, investigavit ac contulit in suum opus exaplare, ut ait in epistola ad Africanum, quodque ob oculos nostros ad hanc usque diem servatur Bibliis Deuteris contextum) *Scripturas canonizatas* vocat, quae cohoerent dictis γραφὰς ἐνδιαθήκους *graphas endiathicus*, uti descriptum fuerit in suo originali graeco (2).

Eusebius postea bis vel ter in Historia Ecclesiastica, Scripturas censet tum hebraeorum tum christianorum γραφὰς βίβλους ἐνδιαθήκους *graphas* vel *biblus endiathicus*. Ita illas vocat disserens de Bibliorum numero a Josepho Flavio collato; pariter locutus de Clemente alexandrino, qui, ut vidistis, libros Deutero-Cano-

(1) Ex voce hebraica ברית *berit*, *pactum* transtulere egyptiaci interpretes dictionem *Diathici*. — (2) Tom. III. in Matth. p. 488 ed. Mau.

nicos ut divinum testimonium vocavit, ait illum libris *ypotiposeon* compendiosam fecisse enarrationem πάσης τῆς ἐνδιαθήκου γραφῆς i. e. totius, veluti in Testamento, ordinatae Scripturae, neque illas praetermittens, quibus contradicitur. Epiphanius vero in libro de Ponderibus et Mensuris sub eadem significatione dixit βίβλους ἐνδιαθέτους *Biblus endiathetous.*

Vocabulum porro tertium, quo appellati sunt sacri libri a patribus, κανὼν *Canon* dicitur, quod juxta primum ac simplicem significatum, latine dicitur *linea recta, hasta, columna;* metaphorice vero *Canon* innuitur lex, regula, dispositio alicujus rei, quae in rectitudinem vertit. Relate vero ad libros divinos Bibliorum, Clemens alexandrinus libro VI. Stromatum cap. 15. κανόνα ἐκκλησιάστικον *Canonem ecclesiasticum* vocat rectam expositionem Scripturarum, quae facienda est in earum lectione; et hic Canon sive regula, ait, est concentus, et consensio legis et Prophetarum convenienter Testamento, quod traditur per Domini adventum. Origenes, Clementis discipulus hanc vocem *Canon* latius sumere videtur, et illam definivit regulam non solum interpretandi congrue sensum Scripturarum, verum etiam discernendi libros divinos ab aliis, qui tales non habentur ab Ecclesia Dei. Et hoc explicat in Matthaeum, ut paulo ante dixi. Eusebius idem hac significatione lata nuncupavit Canonem Ecclesiasticum ubi disserit de scriptis Origenis. Ita sumit concilium laodicenum in canone 59. Gregorius Nazianzenus in Carmine ad Seleucum ea dictione *Canon* innuit numerum certissimum tantum sacrarum Scripturarum. Augustinus vero sub voce *Canon ecclesiasticus* ambas significationes occultavit, dum contra Cresconium donatistam scribit: « Neque enim sine causa tam salubri vigilantia Canon ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum et Apostolorum libri pertineant, quos omnino judicare non audeamus, et secundum quos de ceteris litteris vel infidelium libere judicemus. » Ex his ergo vocabulis *aplos*, *endiathicos*, *Canonicus*, quae patres, ut sacris libris peculiaria tam Primis quam Deuteris, repererunt et docuerunt, statuitur nullam ab illis commentam fuisse, sicuti statuit Hieronymus, discrepantiam inter Scripturas veteres in synodo deinde tridentina sancitas. Et idcirco de medio sublatis omni jure canone 60. concilii laodiceni veluti commentitio et admodum recentis aetatis, item canone 85. Apostolis inscripto, Epistola Festali et Synopsi utpote conflatis Hie-

ronymi aevo serius, satius probatur ante citatum Doctorem latuisse illam Bibliorum differentiam.

Praeterea neque contra hoc agit quidquid scripsit Eusebius in libris Historiae Ecclesiasticae, haberi nempe nonnullas Scripturas tam veteris, quam novi Testamenti, quibus contradicebatur ; et ideo vocat γραφὰς ὁμολογουμένας ἀναντίῤῥητας ac ἀντιλεγομένας i. e. Scripturas, quae simul sunt in confesso, seu quibus non contradicitur, et quibus contradicitur; et nihil aliud innuit historicus. Priora duo vocabula *omologumenas anantirritas* leguntur ab eo, quando censet libros divinos a Flavio numeratos, et alibi, ubi disserit de numero Bibliorum veterum a Melitone collato. In utrisque locis agitur de libris, qui ab hebraeis (sicuti a christianis) divini creduntur; et ibi congrue loquitur Eusebius dicens, illas Scripturas prorsus non contradici, seorsim ab illis Deuteris, quibus hebraei contradicebant, accipiebantur tamen ut divinae a christianis; ac ipse quidem accipit suis libris de Demonstratione et Praeparatione Evangelica, easdemque divina auctoritate praeditas appellat in testimonium, uti patres nicaeni aliique posteriores fecerunt, nullusque fuerat e catholicis nec haereticis, qui eis contradixerit. Ex hoc aeque conjiciendum arbitror celebratum historicum non relate ad se, neque ad christianos, illa verba pronunciasse, sed tantum relate ad judaeos, qui Scripturis illis contradicebant; et hanc ob contradictionem ab illis citandis vulgo et contra illos abstinuisse patres, sicuti altera parte dixi. Et pari ratione deinde Cyrillus hierosolymitanus et Nazianzenus in christianis fide privatim imbuendis, et divinas censentes Scripturas, prudentiae causa sese continuerunt in illis, quae ratae ab omnibus et christianis et hebraeis habebantur; et contra judaeos in illis regionibus plurimos, tuto ac libero citari poterant; nullimode vero reprobantes Deutera Biblia, quae iidem una cum Ecclesia christiana juxta antiquum Canonem, ut divina acceptarunt. Hae solum fuerunt vices, quibus subierunt libri Deutero-Canonici veteris Testamenti ante divum Hieronymum. Idcirco bene senserunt nonnulli e nostris adversariis ante celebratum doctorem, Ecclesiae scriptores Biblia Deutera compellasse divina. Et ob hoc, merito divinorum voluminum Ecclesiasticum Canonem, lato sensu sumptum, ab altero hebraico, in prima parte, discernens, institui (1).

(1) His notatis de patrum fide erga Scripturas Deuteras ante s. Hie-

§. V. Nunc vero quid Hieronymi aetate, et post eum de his factum est libris, investigandum extat. Primum vero, fatendum est Hieronymum Scripturas veteris Testamenti in eodem numero, accipere, quo ante illum accepere scriptores omnes ecclesiastici, maxime Origenes, et coaevi Epiphanius, Augustinus, qui explicite hunc numerum tradiderunt, et, si fides praestanda est Hieronymo eidem in Judith, et Cassiodoro in libris - De divinis institutionibus - etiam nicaena synodus hunc numerum librorum in ecclesiis legendorum, statuit. Namque Hieronymus (seposita modo quaestione de Canonica auctoritate vel non Canonica horum librorum) praefatione in libros Salomonis scribit aperte, cum degeret in Oriente, ad amicos occidentales, ecclesiam Dei legere libros Ecclesiastici, Sapientiae, Tobiae, Judith et Machabaeorum duos, scilicet omnes quotquot nunc legimus, et quotquot in codice Bibliorum veterum per eumdem Hieronymum emendato, et quadraginta quatuor libros juxta Septuaginta perhibente, prae manibus habuit Cassiodorus.

Profectus porro in Orientem Hieronymus, ibique cum hebraeis versatus ut illorum linguam addisceret, interpretationem sacrorum librorum aggressus est, et in hoc opere conficiendo, multa sensit habere Septuaginta interpretes, quae hebraei e numero Bibliorum respuebant. Ibidem pariter Gregorii nazianzeni disciplinam de Scripturis sectatus est, ac sua in scripta transtulit ejusdem doctoris Canonem Bibliorum (quemadmodum supra de eo exposui) et eadem significatione accepit idem Hieronymus,

ronymi aetatem, ac ejusdem aevo (haud hujus animadversa opinione, qui, nisi firmum, pronum valde sese exhibuit erga divinitatem horum Bibliorum) hujusmodi doctrina innixa est Cyrillo Hierosolymitano, Gregorio nazianzeno, Origeni, Augustino, concilio africano, et Innocentio pontifici I. qui omnes apertius de his libris scripserunt; hoc tamen discrimine, quod duo, idest Cyrillus et Gregorius veluti privati viri, haud expensa universae Ecclesiae de hac re fide, sive ob scandalum hebraeorum, se se continuerint in numero Scripturarum a christianis et hebraeis accepto, quin vero mentirentur aliarum divinitati, ut parte I. ostensum est. Ceteri vero de hoc totius Ecclesiae investigantes fidem, aliter ab iis jure constituerunt Canonem; id est Origenes, qui ideo orbem fere christianum peragravit, Augustinus, qui latinae Occidentis Ecclesiae et Africae monumenta, sive traditionem veterem de eadem re consuluit; pariter concilii carthaginensis patres, qui in omnibus, fidei nicaenae obsecuti sunt; item Innocentius Papa I. qui utpote summus judex de hoc Canone consultus fuit ab episcopo tolosano. Libratis ergo utrinque his testimoniis, cuinam nobis standum erit?

cum discreverit sacras Scripturas veteres in numerum XXII. librorum. His enim numeratis, in Prologo Galeato addit: « Ut scire valeamus quidquid extra hos est, inter apocrypha esse ponendum. Igitur Sapientia Salomonis et Jesu Sirach liber, et Judith, et Tobias non sunt in Canone etc. » In epistola ad Paulinum eadem repetit, et in fine catalogi Scripturarum: « Oro te frater carissime, ait, inter haec vivere, ista meditari, nihil aliud nosse, nihil quaerere. » Haec scripsit Hieronymus de veteris Testamenti libris. Quaedam his similia notavit circa additiones Danielis, Esther, et Baruch; quippe quae item aberant e codicibus hebraeis.

Haec vere a Hieronymo dicta sunt, et hoc negare non possumus; et quidem dicendum esset eadem verba, Ecclesiae antiquae consuetudini obstare; ut nuper declaratum est. Sed ego ab adversariis quaererem; permansit ne Hieronymus hac in doctrina usque ad vitae exitum? firme tenuit hanc opinionem? Hic labor, hoc opus. Novit utique Hieronymus, magis veterum scriptorum doctrina imbutus et ab amicis reprehensus, opinionem suam de sacris Scripturis non conformari universae Ecclesiae; ac ideo pedetentim sententiam suam emendavit; sapientis enim est mutare consilium. Et quomodo emendavit? Antea ad amicos scripserat, et apocryphos hos libros vocavit, atque hortatus erat, ne praeter illos, quos censuit libros, aliud noscerent, nec meditarentur. Deinde vero in libros Salomonis, dicit Ecclesiam Dei legere Sapientiae, Ecclesiastici, Tobiae, Judith et Machabaeorum libros. Insuper de libro Tobiae sumit testimonium, cum novisset in auctoritatem accipi ab Ecclesiae patribus; item Prophetam vocat Sapientiae auctorem; Scripturam divinam dicit alterum Ecclesiastici librum, partem sanctae Scripturae appellat Esther additamenta et Danielis; Scripturam, quae non mentitur, dicit libros Machabaeorum; hebraeae historiae participem facit Juditham, et ut divinum volumen, illius citat librum; et in eumdem addit: « Sed quia synodus nicaena hunc librum legitur in numero sanctarum Scripturarum computasse, acquievi postulationi vestrae. » Rufino respondens, opinionem de divinitate historiae Susannae magis patefacit. Tandem, cum doctor sanctus epistolam Origenis ad Africanum legisset de eadem Susannae historia, et Esther additionibus, de Tobiae et Judith Scripturis, ubi apertissime disseritur pro nostro argumento contra hebraeorum doctrinam, et cum in libro - De Scriptoribus Ecclesiasticis - asseruerit Hiero-

nymus, *doctam epistolam* scripsisse Origenem, fatendum est eumdem doctorem tunc temporis, Ecclesiae Catholicae suam doctrinam accommodando, priorem sententiam emendasse. Et ea de Hieronymo satis.

Nunc ultra, adversarios rogarem; verum ne est ab aetate Hieronymi cessatum esse in Ecclesia Catholica ab usu Scripturarum Deuterarum ad fidei dogmata comprobanda? Sed hoc non solum factum esse probari nequit; quinimmo et contra nonnullos Galliarum Augustinus divinam auctoritatem libri Sapientiae vindicavit. Innocentius Papa I. initio saeculi V. Canonem divinorum librorum, ut nunc habetur, contexuit scribens ad Exuperium episcopum tolosanum. Synodus carthaginensis firmavit eumdem Canonem, et ex auctoritate priorum patrum testata est horum Bibliorum divinitatem. Idem statuit, et docuit Antiochiae Chrysostomus. Sanctus Chromatius Hieronymi familiaris idem scribit. Ineunte saeculo V. Prosper aquitanus numerum divinorum librorum accipiens, uti supra relatum est, pari divina auctoritate illos omnes ditavit. Idem docuit Cerealis afer et Fulgentius (1). Hilarus Romae pontifex omnes divinitate ac numero pares, Scripturas veteris Testamenti noverat. Gelasii decretum palam hoc facit, nullumque discrimen inter Priores et Deuteros libros apposuit. Saeculo octavo, idem Canon librorum, qui in Ecclesia legendi essent, censetur in sententia papae Leonis. Anno 1437. in concilio Basileae actum est de sacris Scripturis et earum divina auctoritate. Ibi enim numeratis libris in Canone hebraeorum contentis additur: « Insuper manifestum est multos in eodem volumine libros contineri, qui apud judaeos in auctoritate non habentur, sed inter apocryphos computantur; qui tamen apud nos in eadem veneratione et auctoritate habentur, sicuti et ceteri, et hoc utique non nisi ex traditione et acceptatione Ecclesiae universalis Catholicae, quibus contradicere nullo modo pertinaciter licet. » Paulo post in concilio florentino oecumenico idem Canon Scripturarum, et divinitas probata sunt. Sileo de aliis scriptoribus ecclesiasticis, qui post divum Hieronymum contestati

(1) Junilius afer saeculo V. disserit de Canone librorum divinorum, et videtur sequi sententiam Hieronymi; etsi libere fatendum est illum in divisione Bibliorum non tantum aberrare a mente divi Hieronymi, verum etiam ab omnibus vetustis scriptoribus; nullus enim sensit, ut ipse docuit, Paralipomenon, Job, Esdra, Esther una cum Judith et Machabaeorum libris extra Canonem rejiciens. Edi. Pari. 1556. p. 4.

sunt librorum Deuterorum divinitatem, et ex illorum verbis dogmata fidei confirmarunt. Isidorus hispalensis, Andreas cretensis, Beda anglus, Paschasius, Ratbertus, Rabanus, Rodulphus monachus, Petrus Damianus, Rupertus, Bernardus aliique, Biblia Deutera Proto-canonicis inserta contulere, divinam eorum auctoritatem pariter testati, nullumque discrimen inter ea commentati sunt.

His omnibus expositis, quomodo argui potest ab adversariis has Scripturas post divum Hieronymum nullimode sumptas fuisse in divinam auctoritatem ad dogmata fidei comprobanda? Quare incusantur patres tridentini in sessione quarta, qui has omnes Scripturas, nullo sumpto discrimine, parique auctoritate, et canonicitate censuerunt? Nonne et hoc aequum erat? Nonne jam antiquitus designatus fuerat numerus divinorum voluminum? Ex divi Augustini aetate tam notus et probatus erat Canon sacrorum Bibliorum et ab aliis quibusvis distinctus libris, ut de libro Enoc (1) qui quamdam auctoritatis speciem praeseferebat, dixerit doctor: « Sed ea castitas Canonis non recepit eum. » Forsitan synodus carthaginensis, ubi patres omnes pariter obtestati sunt, se in ea incedere voluisse juxta Ecclesiae Catholicae fidem, quae explicata erat potissimum in concilio nicaeno, constituit et accepit Canonem divinorum librorum, qui a ceteris ecclesiis talis non accipiebatur? Fortasse schisma quoddam hac in re praesumpsit? Quid sibi velit Innocentii pontificis epistola ad Exuperium, ubi Canon idem stabilitur, qui in synodo tridentina repetitus fuit? Numquid ne rogatus Innocentius ab episcopo tolosano de Canone divinarum Scripturarum, aliter respondit, vel decrevit ab eo, quod respondendum, vel decernendum esset alteri episcopo cujusdam ecclesiae occidentalis, seu orientalis, qui ad eum de hoc Canone, utpote summum judicem, confugisset? Suis litteris ad Galliarum episcopum Innocentius docet, quales libri ut divini habendi essent; et hoc egit pontifex quia ab Exuperio rogatus: « Haec sunt ergo, inquit, quae desiderata moneri voce voluisti » quia nempe haeretici semipelagiani in dubium vocarunt auctoritatem libri Sapientiae. Si forte, praeter Exuperium, episcopus quidam orientalis Innocentium papam consuluisset de Canone sacrarum Scripturarum, aliter eidem respondendum fuisset?

Sin autem, post saeculum quintum, quo jam haec Biblia

(1) Lib. XVIII. de Civit. Dei.

eodem numero adprobata, et ut divina statuta in Ecclesia fuere, quidam graeci scriptores, quorum maxime latent nomina doctrina et fides, aliique saeculo decimo tertio in ecclesia latina numero paucissimi, male et inconsulto scripta priorum patrum interpretati sint, quid officit? Ipsi viderint, si male, vel bene, si inviti, vel haud inviti custodierint depositum fidei, quod eis creditum erat.

PROPOSITIO V.

Scripturae Deutero-Canonicae veteris Foederis in dictione graeca, uti nunc tantum habentur, hebraicae linguae stilum proferunt, et omnes dicendi proprietates, nec non parallelismum, quemadmodum servatur in Bibliis omnibus, quae ad nos pervenerunt, hebraeorum lingua exaratis, inspecta tamen aetate, qua earum auctores scripserunt. Et ab his intrinsecum aliud harum Scripturarum integritatis eruitur testimonium.

§. I. « Quomodo graecorum historias (scribit Hieronymus ad Domnionem, et Rogatianum) (1) magis intelligunt, qui Athenas viderint, et tertium Virgilii librum, qui a Troade per Leucatem, et Acroceraunia, ad Siciliam, et inde ad ostia Tiberis navigaverit; ita sanctam Scripturam lucidius intuebitur, qui Judaeam oculis contemplatus sit, et antiquarum urbium memorias, locorumque vel eadem vocabula, vel mutata cognoverit. » Eodem modo dicendum de re nostra. Nos neque originem Bibliorum Deuterorum veteris Testamenti neque sinceritatem noverimus, nisi illas omnes Scripturas circumierimus sedula meditatione, vocabula omnia, verborum ordinem, illorum proprietates investigantes, quibus hae Scripturae primum exaratae sunt, et nisi animadvertentes utrum istae in se conferant indicium aliquod illius vetustae linguae, qua illarum auctores imbuti fuere, vel imbutos praesumitur; quemadmodum illos eosdem hebraicae institutionis ac ejusdem religionis omnino tenacissimos fuisse, comperitur. Si haec quoque obtinuerimus, hebraica scilicet lingua, vel chaldaica descriptos libros Deutero-Canonicos, et saltem eos, qui ob antiquitatem rerum, quae eis continentur, hebraice scriberentur necesse erat, aliud genuitatis, ac veritatis horum Bibliorum eruetur argumentum. Praeterea ex hac demonstratione aliud adjumentum prodierit, quo clarius sensus patefiet horum librorum. Nam cum suum auctorem haec Biblia viros genere hebraeos expostulent, ex illorum quoque phrasi, et modis petenda est eorum interpretatio, uti recte de his scribit Augustinus (2): « Sed quoniam, et quae sit ipsa sententia, quam plures interpretes pro sua quisque facultate, atque judicio co-

(1) Praefatio in Paralipom. — (2) Lib. II. de Doct. Christ.

nantur eloqui, non apparet, nisi in ea lingua inspiciatur, quam interpretantur, et plerumque a sensu auctoris devius aberrat interpres, si non sit doctissimus; aut linguarum illarum, ex quibus in latinam Scriptura pervenit, petenda cognitio est; aut habendae interpretationes eorum, qui se verbis nimis obstrinxerunt, non quia sufficiunt, sed ut ex eis veritas, vel error detegatur aliorum, qui non magis verba, quam sententias interpretando, sequi maluerunt.»

§. II. Revera Tobias de sua justitia gloriatus in fratrum suorum exemplum inter alia hoc dicit: « Ἐγὼ δὲ συνετήρησα τὴν ψυχήν μου μὴ φαγεῖν: i. e. Ego autem custodivi animam meam, ne manducarem: » Haec dictio omnino pendet ex hebraica lingua, e qua translatus est liber, veluti diceretur ושמרתי נפשי, i. e. et custodivi animam meam, seu, cavi ne manducarem, nam *anima* vocabulum saepissime ab hebraeis pro linguae ingenio, loco pronominis *ego, tu, ille,* etc. adhibetur, sicuti ait Anna (1) Heli: « Effudi animam meam coram Domino. »

Ut sepelivit mortuum (2) dixit: « Καὶ ἤσθιον τὸν ἄρτον μου ἐν λύπῃ i. e. Et manducavi panem meum in dolore. » Eadem phrasis legitur in (3) Psalmo: «Quia oblitus sum comedere panem meum.» Vocabulum *panis* sive לחם *lechem*, sive ἄρτος in divinis Scriptis pro quovis cibo vel convivio sumitur, et passim in illis occurrit; utpote hebraeis haec vox sub hac significatione tantum peculiaris.

In angustiis porro Tobias rogat Deum, ut ab iis liberetur, et dicit: «Statue me liberari ab ἀναγκης *necessitate*, ut sonat graecum nomen, sed ipsa vox repetens originem hebraicam צרר *tzarar*, *constrinxit*, *colligavit*, metaphorice ab hebraeis sumitur pro *angustia*, *calamitas*, quemadmodum ibi divinus auctor, quasi diceret: «Libera me ab hac angustia. » Paulo post dicit Scriptura de Sara Raguelis filia, (4) traditam nempe esse septem viris, quos daemon malus interfecit. Nomen ἑπτὰ graecum, dictioni שבע *Scebahh*, *septem* respondens, sacrum nuncupatur, atque uti proprium tantum divinis scriptoribus, definitum pro indefinito minori numero usurpatur, quasi diceret: « Tradita est nonnullis viris » sicuti etiam apud nos vulgo italice dicitur *una decina*. Alibi (5) legitur: « Septies in die laudem dixi tibi, veluti pluries in die laudem dixi tibi etc.

(1) 1. Reg. c. 1. 15. — (2) Tob. c. II. 5, — (3) Psal. 101. 6. — (4) Tob. c. III. 8. — (5) Psal. 118.

Monens filium Tobias (1) de erga matrem honore, ejusdemque causam ei ostendens, dixit: « Μνήσθητι παιδίον, ὅτι πολλοὺς κινδύνους ἑώρακεν ἐπὶ σοὶ ἐν τῇ κοιλίᾳ i. e. Recordare fili, quoniam multa pericula vidit super te in ventre. » Ea verba *multa pericula vidit* non nisi ex hebraeorum fontibus, e quibus prodiit hic liber, explicari nequeunt, quae quisque videt a phrasi graeca et latina abhorrere. Sed, si loco vocabuli graeci ἑώρακεν substituitur hebraicum ראה *rahah* suo primo significatu *vidit*, tropice dein a Prophetis sumptum saepius in significatione *expertus est*, recte congruit sicuti, ex. gr. videre famem, videre mortem, videre felicitatem, ut ait Psalmista: « לראות טוב i. e. ad videndum bonum. » (2)

Domum Raguel ingressis Tobia et Angelo, mactaverunt, inquit Scriptura, (3) arietem ovium, et juxta graecum κριὸν προβάτων. E phrasi hebraeis communi explicatur hic dicendi modus, qui ita se habet איל כבשים i. e. arietem ovium, unum scilicet arietem de grege ovium.

Dixit porro Raguel (4) ad uxorem suam: « Mitte unam ancillarum, et videat utrum vivant. » Ea verba *unam ancillarum*, vel graeca μίαν τῶν παιδίσκων omnino idiotismo linguae hebraicae redolet, quasi diceret אחת שפחות i. e. Unam ancillarum. Nomen hoc *unam* distributivum sumitur, veluti diceretur, *quamdam ex ancillis*. Ex. g. in Genesi legitur Agar Abrahami ancilla reliquisse filium Ismaelem sub una arborum etc.

Surgens autem Raguel dedit Tobiae (5) Saram uxorem suam, et dimidium substantiarum, σώματα, καὶ κτήνη, καὶ ἀργύριον i. e. corpora, et jumenta, et argentum. Quid illo vocabulo σώματα sive *corpora*, vel *pondera* innuitur? Repetatur hebraica vox, unde sumpta altera graeca, et satis sensus patebit. Legunt hebraei Prophetae כבד *chavad*, *gravis fuit*, inde metaphorica hujus significatio oritur, *honorabilis*, *pretiosus*, *aestimatione dignus*, *magnificus*, ac כבודה *chevudah*, *pondus*, vel *divitiae*, *res pretiosa quaecumque*, et hoc sub significatu saepissime illud vocabulum receperunt Proto-Canonici scriptores; et revera ita sibi vult hujus loci verbum σώματα i. e. res pretiosas. Et hac sub significatione clare legitur in libro Judicum cap. XVIII. 21. ubi

(1) Tob. c. IV. 4. Textus graecus citatur juxta cod. vaticanum ed. Lipsiae 1824. — (2) Psal. 34. 13. — (3) Tob. VII. 9. — (4) Tob. c. VIII. 12. — (5) Tob. c. X. 11.

dicitur de Danitis peregrinis, qui tulerunt de domo Michae parvulos et jumenta, et quod erat pretiosum. Deinde Raguel filiam precatur ut soceros suos honoret; et audiam, inquit, tui famam bonam. Graecus legit: « Ἀκούσατμί σου ἀκοὴν καλὴν, i. e. Audiam tui auditionem bonam, hebraica dictio est ista אשמע שמועה טובה, ac si dixisset: bene audiam de te.

Ubi autem audierunt Tobias (1) ac illius filius, Raphaelis verba dicentis, se Angelum Dei esse, turbati sunt ambo, et ceciderunt super faciem suam. Graecus ait: « Καὶ ἔπεσον ἐπὶ πρόσωπον i. e. Et ceciderunt super faciem. » Vulgata hebraeorum sententia est, quae respondet ונפלו על פניהם i. e. Et ceciderunt super faciem, idest prostraverunt se adorationis causa, vel ob timorem, quae sententia orta est e consuetudine hebraeorum ac orientalium sese prostrandi coram aliquo venerationis causa. Benedicens porro Tobias Deo, hortatur suos, ut ad Deum convertantur, quia et ipse ad vos convertetur; Dicit enim Scriptura (2): « Et si conversi eritis in tota anima vestra, Ποιῆσαι ἐνώπιον αὐτοῦ ἀλήθειαν i. e. facere coram eo veritatem. » Altera hebraeis peculiaris dictio, qua significatur *coram Deo recte, ac probe sese gerere*, uti eamdem repetit Samuel (3) dum israelitas monet hisce verbis: « ועבדתם אתו באמת, et facietis cum eo (Deo) veritatem. » Item: « Et non abscondet faciem suam a vobis » ut ubi sequitur, idest benigne aget vobiscum.

Luculentum admodum de hujus libri hebraica origine argumentum tradunt verba Tobiae: (4) « Et omnes gentes convertentur vere timere dominum Deum, καὶ κατορύξουσι τὰ εἴδωλα αὐτῶν i. e. Et effodient idola eorum. » Quid innuit Divinus scriptor verbis *gentes effodient idola eorum*, dum convertuntur ad Dominum verum? Ibidem hellenicus interpres in fideli, ac simplici versione hebraeorum verborum excepit tantum primam significationem radicis חפר *chafar* quae in conjugatione Kal innuit *fodit*, *effodit*; sumpta vero conjugatione Hiphil, obtinetur sensus *ignominia*, ac *probro affecit;* ex quo Tobiae verba *effodient idola eorum*, transferuntur aliter *probro afficient idola eorum*, ac ita omnia clarescunt.

Occurrunt insuper in eodem libro plurimi dicendi modi, veluti *in conspectu Regis*; *omnis homo*, pro *quisquis; in saeculum*

(1) Tob. c. XII. 16. — (2) Tob. c. XIII. 6 — (3) 1. Reg. c. XII. 24. — (4) Tob. c. XIV. 6.

saeculi; ita ea dictio: « Videatis filios vestros, et filios filiorum vestrorum usque in tertiam, et quartam generationem. » Sic *Tobia*, *Anna*, *Sara*, *Azarias* ceteraque hujusmodi nomina, ac phrases, quae hac in historia leguntur, late patens indicium proferunt hujus Scripturae auctorem inspiratum hebraice scripsisse, legibus omnibus servatis, quae hebraeorum linguae jure addicuntur, ac aetati, qua memoriae proditum est hoc sancti viri monumentum.

§. III. Graecanica elocutio, qua a Septuaginta interpretibus conflata est libri Judith versio usque ad hanc diem servata, talia simul habet signa, ut erui possit hujus Scripturae primum auctorem hebraeum fuisse, et suae gentis lingua eamdem exarasse. Revera incipit historicus, et ait: « Anno duodecimo regni Nabuchodonosor, ὃς ἐβασίλευσεν Ασσυρίων ἐν Νινευὴ τῇ πόλει τῇ μεγάλῃ i. e. Qui regnavit Assyriorum in Ninive civitate magna. » Haec respondent hebraeorum verbis אשר מלך אשור i. e. Qui regnavit Assur » verbum *malach* enim apud hebraeos aliquando regit nomen absolutum, nulla praeeunte praepositione, ut videre est in libro Esther cap. I., I: quod interpres graecus secutus est.

Irato (1) Nabuchodonosor contra gentes, quae audire noluerant imperium suum: « Juravit per thronum, et regnum illius εἰ μὴ ἐκδικήσειν πάντα ὅρια τῆς Κιλίκιας i. e. Si non ulturus omnes terminos Ciliciae etc. » Hunc dicendi modum nesciunt graecus, et latinus. Nabuchodonosor juravit per thronum suum, se ulturum omnes terminos etc. ut ex orationis serie comperitur. Adeamus ergo hebraeorum Scripturam. Particula אם *im si* conditionalis late patet in significationibus, cum ex hebraeo transferatur ad ceteras linguas; ac inter has numeratur אם *im si* junctum formulis jurisjurandi, in quibus haec particula tradit sensum sermonis affirmativum, si addatur cum particula לא *loh non*; aliter negativum, absolute sumptum absque לא *loh non*. In primo casu claret Nabuchodonosor juramentum, se ulturum esse scilicet omnes terminos Ciliciae. Ita dixit Dominus per Moysen (2) populo contra se murmuranti: « Ego Dominus locutus sum: אם לא זאת אעשה לכל i. e. Si non id faciam omni congregationi. » Idest locutus sum, me hoc facturum esse omni congregationi malum istud etc. »

(1) Judith. c. I. 12. — (2) Num. c. XIV. 28.

In postremo cap. III. dicit historicus : « Et castrametatus est inter Gaba et Scythopolin, et erat ibi μῆνα ἡμερῶν mensem dierum etc. » Haec vocabula *mensem dierum* hebraeis solum peculiaria habentur, quasi diceret, per mensem integrum mansit ibi exercitus Holofernis. (1) Ita in Numeris legitur : « עד חדש ימים i. e. Usque ad mensem dierum. »

Populi preces (2) ac humiliationes enarrans scriptor ait Sacerdotes , indutis saccis , offerre holocausta τοῦ ἐνδελεχισμοῦ, καὶ τὰς εὐχάς, καὶ τὰ ἐκούσια δόματα τοῦ λαοῦ. i. e. assiduitatis, et vota et voluntaria dona populi. Haec potiori interpretatione donantur , praemissis fontibus , unde translata sunt. Τοῦ ἐνδελεχισμοῦ i. e. *perennitatis* respondet יום ביום i. e. *diem in diem, singulis diebus* , scilicet holocausta quotidiana. Εὐχὰς *euchas* autem quod graece sumitur pro *precibus* , et simul pro *votis* , hic accipitur pro *rebus voto promissis*; et hac significatione gaudet in lingua hebraica , ubi נדר *neder votum* sive *promissio* ad aliquid agendum , accipitur pro re voto promissa , uti ex. g. in Levitico : « Si ex voto , vel sponte hostia oblatio ejus erit etc. » Idem aliis in locis.

Assyriorum multitudinem describit sacer historicus dicens : « Νῦν ἐκλείξουσιν οὗτοι τὸ πρόσωπον τῆς γῆς πάσης , καὶ οὔτε τὰ ὄρη τὰ ὑψηλά , οὔτε αἱ φάραγγες , οὔτε οἱ βουνοὶ ὑποστήσονται τὸ βάρος αὐτῶν (3) i. e. Nunc claudent isti faciem terrae omnis , et neque montes excelsi , neque voragines , neque colles sustinebunt pondus eorum. » Integra haec sententia hebraeorum phrasi conformatur , quae saepissime in eorum codicibus occurrit , et maxime vocabulum βάρος *pondus* , quod parum satisfacit latinae ac graecae dictioni ; si vero illud e fontibus hebraicis כבד *gravis fuit* eruerimus , praesto erit significatio, praeter dictam , altera metaphorica *copia* , *multitudo*, uti accipitur a Propheta Nahum , (4) et multitudo transfossi וכבד פגר i. e. et *onus* sive *multitudo cadaveris* collective sumptum pro *transfossorum* , et *cadaverum copia.*

Excubiae vero Assyriorum ducebant Juditham (5) ad Holofernem , et ipsa loquebatur ad eas dicens : « Ego veniam in conspectu illius enunciare verba veritatis .... et ipse potietur omnibus montibus , καὶ οὐ διαφωνήσει τῶν ἀνδρῶν αὐτοῦ σὰρξ μία ,

(1) Num. c. XI. 20. — (2) Judith c. IV. 14. — (3) Judith c. VII. 4. — (4) Nahum. c. III. 3. — (5) Jud. c. X 14.

οὐδὲ πνεῦμα ζωῆς. i. e. Et non effutiet virorum illius, seu illorum caro una, neque spiritus vitae. » Horum verborum sensus generatim percipitur; ast quid innuitur illis vocibus *caro una virorum, et spiritus vitae?* Repetantur fontes; pro vocabulo graeco σαρξ *caro* hebraeus legit בשר *basar caro quaecumque;* deinde in hebraeorum Scripturis saepissime adhibetur pro *homines.* In Genesi Hieronymus transtulit ex hebraeo: « Omnis caro corruperat viam suam. » Ita tota illa sententia per emphasim, ut semiticis linguis par est, his verbis congruit: « Et nemo ullam vocem edet. »

Narrat deinde Scriptura, c. XII. quomodo servi Holofernis duxerunt Juditham in Tabernaculum, et dormivit ipsa usque ad medium noctis. Καὶ ἀνέστη πρὸς τὴν ἑωθινὴν φυλακήν i. e. Et surrexit juxta matutinam custodiam. Illa verba *matutinam custodiam* interpres hellenicus hausit a radice שמר *sciamar custodivit,* quae metaphorice in significationem observandi ac inde vigilandi venit. Cum vero veteres hebraei dividerent noctem in tres partes; ac istae nuncuparentur *vigiliae*, quibus milites in excubiis agendis vigilandum erat, ex his factum est, ut vigilia tertia vocaretur *matutina*, sicuti appellat sacer historicus hoc in loco. His dictis inhaeret altera Exodi (1) dictio, quae hujusmodi se habet: « ויהי באשמרת הבקר i. e. Et factum est in vigilia matutina, idest mane. »

« Ut vidit Achior caput Holofernis (2) in manu viri unius ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον, καὶ ἐξελύθη τὸ πνεῦμα αὐτοῦ i. e. Cecidit super faciem, et solutus est spiritus illius. » Emphaticus dicendi modus hebraeorum Prophetarum proprius ad exprimendum admirationem ac stuporem, veluti diceret *valde obstupuit.* Similibus verbis utitur regina Saba cum viderit Salomonis Sapientiam, ac templum Dei ab eo fundatum, et omnia pretiosa illius: « ולא היה בה עוד רוח i.e. Et non fuit in ea amplius spiritus; »

Eamdem hebraeorum linguam expostulant, praeter ea, quae censita sunt, hic nexae dictiones: « πολὺ σφόδρα, *multum valde* ex hebraeo מאד מאד *valde valde;* ἐν στόματι ῥομφαίας בפי חרב i. e. in ore gladii; ἁγίασμα *sanctuarium* sive *templum* a מקדש; item: montana eorum inebriabuntur sanguine eorum; dixit unusquisque ad proximum suum; non mutiet canis lingua sua coram te; et bibit vinum multum valde, quantum nunquam

(1) Exod. c. XIV. 24. — (2) Judith. c. XIV. 5.

biberat in die una, ex quo natus est » ; aliaque ejusdem generis, quae prorsus sublimi hebraeorum phrasi redolent, e qua in graecum sermonem translata sunt. Tandem philologum hebraeum minime effugerit Judithae canticum, quod, idiomate quoque graeco, linguae hebraeae adeo ornatum, vim ac sublimitatem profert, ut illud Isaiae aliorumque Prophetarum poesi merito coaequetur ; quinimmo nullus erit, qui hoc carmen legens simul non sentiat, sese mente ad maris Erythraei oras translatum, ibique auribus suis ea verba audire : « Cantemus Domino, cantemus, gloriose enim magnificatus est, equum, et ascensorem projecit in mare. » Conferat haec duo cantica, qui linguae sanctae vix limen attigerit, et judex esto.

§. IV. Libri Esther additamenta, quae hodie in codicibus hebraicis desiderantur, et tantum in Bibliis Septuaginta interpretum leguntur, notas quoque proferunt, hebraica lingua fuisse exarata. Ita enim incipit liber : « Anno secundo, imperante Artaxerxe magno rege, τῇ μιᾷ τοῦ Νισὰν, ἐνύπνιον εἶδε Μαρδοχαῖος i. e. Una seu prima Nisan somnium vidit Mardochaeus etc. » Verbum μιᾷ *mia* non *una* sed *prima* significat ; vox enim אחת *hachat una*, simul accipitur et pro *prima* ut hoc loco : « Prima die mensis Nisan. » Quod nomen pariter semiticum eloquium praesefert.

Paulo post Scriptura ait de Artaxerxe : « Καὶ ἔγραψεν ὁ βασιλεὺς τοὺς λόγους τούτους εἰς μνημόσυνον i e. Et scripsit rex sermones istos in memoriam. » Illa vocabula λόγους τούτους *sermones istos* respondent communi hebraeorum dictioni in Scripturis הדברים האלה *verba ista*, quae generice usurpantur de re quacumque veluti diceret : « Scripsit haec facta in memoriam. »

In exemplari epistolae, (1) quam misit Artaxerxes, dicitur : « Ut nefarii una die violenter εἰς τὸν ᾅδην καταλθόντες, εἰς τὸν μετέπειτα χρόνον εὐσταθῆ καὶ ἀτάραχα παρέχωσιν ἡμῖν διὰ τέλους τὰ πράγματα i. e. In infernum descendentes in posterum compositas et pacificas exhibeant nobis ad finem res. » Illa phrasis *in infernum descendentes* conformatur locutioni hebraeorum, uti ex.g. dicit David : « Descendant in infernum viventes. » Altera : διὰ τέλους *in finem*, eadem est ac לנצח i.e. *in finem, in perpetuum.*

In Oratione Mardochaeus dicit de inimícis suis : « Qui volunt perdere τὸν ἐξ ἀρχῆς κληρονομίαν σου .... μὴ ὑπερίδῃς τὴν μερίδα σου i.e.

(1) Esth. c. III. juxta 70.

E principio haereditatem tuam .... Ne despicias partem tuam. » Illa verba *a principio* ex hebraeo מקדם *ex antea, ab antiquitus* oritur, ac si dicatur *vetustam haereditatem tuam et partem tuam.* Deus saepissime in Scripturis per Prophetas vocat populum Israel חלק *cheleq* et נחל *nachal haereditatem* et *portionem.*

Procedit Esther (1) coram Domino, et dicit se detestari signum superbiae quasi pannum menstruatae. Isaias hac similitudine utitur, excepta a lege Moysis, qua segregatio statuta erat mulieri ita laboranti, propter immunditiem illius. Paulo vero antea dixerat contra gentiles : « Et aperire os gentium *εἰς ἀρετὰς ματαίων* i. e. In virtutes vanitatum. » Haec recte expenduntur, huc advocatis hebraeorum radicibus, e quibus illa sumpta videntur. Nam גאוה *ghahoh magnificentia, elatio* transfertur etiam in *gloria;* pariter alterum vocabulum הבל *hevel vanitas, vapor* saepius a divinis hebraeorum scriptoribus accommodatum fuit ad indicandum *idola gentium vana*, e quibus oritur plana graecarum vocum interpretatio i. e. *In glorificationes idolorum.*

Ejudem generis sunt ista : « Et circumdata est gloria sua. Esther, idest ornamentis suis. » הדר *hadar* enim praeter significationem gloriae et honoris, apud hebraeos accipitur pro ornatu, quo quis utitur in gloriam et decorem, uti innuit divinus auctor. Ita phrases : « Ut angelus Dei; vocaretur pater noster; ac ceterae, quae ibi occurrunt, hebraeum appellant auctorem, sicuti Proto-Canonicae partes hujus historiae adhuc praestant.

§. V. Haec eadem occurrunt in libro, qui *Sapientia Sirach* nuncupatur, cum et interpres graecus hujus libri, in prologo libere fateatur, se hanc Scripturam de hebraeo in graecum transtulisse, cum sibi videretur ob hujus praestantiam, utilis hujusmodi interpretatio. Revera ad Dei honorem, et sacerdotum hortatus Sirach (2) scribit : « Time Deum, et glorifica sacerdotem, et da partem ei, sicuti statutum est tibi *ἀπαρχήν*, *καὶ περὶ πλημμελείας*, *καὶ δόσιν βραχιόνων* i. e. Primitias, et pro negligentia, et donum brachiorum. » Non effugiet nos sensus vocabuli *negligentia*, si ad hebraeorum linguam revertamur. In lege Moysis sacrificia fiebant pro peccato, et pro delicto, cui vocabulo respondet illud hebraicum אשם *hasciam culpa, delictum*; metonymice vero saepius in Levitico sumptum est hoc verbum loco

(1) Esth. c. IV. — (2) Eccl. c. VII. 31.

delictum in sacrificium pro hujusmodi reatu ; ita ex. gr. (1) habetur hoc praeceptum : « Cum peccaverit homo unum ex his, offeret את אשמו *delictum suum*, sacrificium scilicet pro peccato suo, Domino. »

Alterum indicium, quo ostenditur antea fuisse hebraica lingua eumdem exaratum, oritur apertius ex illis verbis, quae leguntur (2) graece hoc modo : « Μὴν κατὰ τὸ ὄνομα αὐτῆς ἐστιν, αὐξανομένη θαυμαστῶς ἐν ἀλλοιώσει· σκεῦος παρεμβολῶν ἐν ὕψει, ἐν στερεώματι οὐρανοῦ ἐκλάμπων ; i. e. Luna juxta nomen illius est, crescens mirabiliter in vicissitudinibus ; vas castrorum in excelso, in firmamento coeli fulgens. » Vocabulum μὴν *luna* a sacro auctore sic appellata non nisi ex hebraeo fonte explicatur, ut pateat sensus, dum dicitur : « Luna juxta nomen ejus. » Nam luna ex hebraeorum lingua חדש *chadasc innovavit*, dicitur חדש *chodese*, quia continuo innovatur. Altera vero pars : « Vas castrorum in excelso, in firmamento coeli fulgens » pariter annuit semiticam originem, et ex ea tantum patefit ; σκεῦος *vas* enim apud hebraeos כלי *cheli vas* dictio generica est ; et prout haec aptatur, profert significatum ; ita dicitur *vas belli* pro *arma militiae*, *vasa familiae*, scilicet suppellex quaecumque illius, *vasa mulieris*, pro *omnis ornatus muliebris*, uti passim legentes codices hebraeos non praeterit. Dictio vero παρεμβολῶν *castrorum* prodit a צבאות *tzevahot exercitus militum*, et metaphorice in Bibliis hebraicis pro ornatu quocumque coeli, et terrae ; usurpatur saepissime in libris Regum, et sumitur tantum pro *sidera* ; ea enim adolebant gentiles, et quae ob multitudinem, ac cursum, agminibus militum assimilantur. Hisce positis, ita interpretandum est : « Vas castrorum i. e. Dispositio vel ornatus siderum in excelsis in firmamento coeli fulgens, seu fulgentium. » Item antea dixerat sacer Philosophus de sole *vas mirabile*, *opus altissimi*. Paulo post de iisdem astris addit : « In sermonibus sancti stabunt κατὰ κρίμα, καὶ οἱ μὴ ἐκλυθῶσιν ἐν φυλακαῖς αὐτῶν i. e. Juxta judicium, et non deficiant in custodiis eorum. » Κατὰ κρίμα *juxta judicium* ex hebraeo משפט *miscphat* oritur, quod sibi vult *judicium*, *justitia* et etiam quod justitiae congruum est *ratio agendi*, *institutum*, *consuetudo*, ut communiter in hebraicis Scripturis, et hic : « In sermonibus sancti stabunt astra juxta eorum legem, et consuetudinem. » Secundum

(1) Lev. c. V. 6. — (2) Eccl. c. XLIII.

porro hemistichium : « Et non deficiant (astra) in custodiis eorum » ex radice hebraica משמרות *miscmarot* nuper expensa sub significatu *vigiliis noctis*, quibus sidera alternatim coelum percurrunt, nobisque apparent, explicantur.

De consecratione Aaron dicit Ben-Sirach : « Implevit Moyses manus, et unxit eum in oleo sancto. » *Implevit manus* hebraea phrasis est ac מלא יד *implevit manus* in Exodo frequentissima ac valet *initiare aliquem Sacerdotio*, *Divino cultui sacrare aliquem*. Hujusmodi locutiones : « In septuplum ; קרן *geren cornu* pro *potestas*, *regnum* usum ; sacerdotes domini sanctificare ; juxta dies saeculi ; somnum sanitatis dormire ; in aquis validis » et ejusdem generis quam plurimae, quae ubique hujus Scripturae notantur, indicia clarissima protendunt hujus libri auctorem hebraeorum lingua posteritati mandasse tam praeclaras, ac divinas morum institutiones.

§. VI. Idem Baruch libri titulus, qui incipit ex auctoris genealogia declarat istam Scripturam hebraico idiomate fuisse exaratam, juxta consuetudinem ceterorum Prophetarum, qui ita divinas sententias aperuere. Oblationes deinde censet Baruch, quas Babylone collegerunt judaei, ut eas Hierusalem mitterent ad templum Domini ; dicit (1) enim : « Καὶ συνήγαγον ἀργύριον, καθὸ ἑκάστου ἠδύνατο ἡ χείρ i. e. Et collegerunt argentum juxta quod uniuscujusque potuit manus. » Ultima versiculi pars hebraeam phrasim extollit, veluti diceret *prout quisquis potuit*. Hebraei enim יד *jad manus* sumunt pro *vires* vel *potentia*.

Argentum vero captivi Israel Hierusalem mandarunt, dicentes : « Ecce misimus ad vos argentum, et emite holocautomata, (2) περὶ ἁμαρτίας, καὶ λίβανον, καὶ ποιήσατε μάννα, καὶ ἀνοίσατε ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον κυρίου i. e. Pro peccato, et incensum, et facite manna, et offerte super altare Domini. » Duo vocabula habentur, quae nonnisi ex hebraeis litteris recta interpretemur : « Et emite holocausta καὶ περὶ ἁμαρτίας i. e. Et pro peccato. » Hebraea vox חטא *chatah peccavit* saepissime in lege Moysis aliisque Scripturis metonymice accipitur in *sacrificium pro peccato*. Codices hebraeos legenti obviam erit ; et hac ratione dicit Baruch : « Emite pro peccato, victimas scilicet in expiationem peccatorum. » De hac re paulo ante, in verbum אשם *hasciam deliquit*, eadem disserui. Alia dictio hebraica est μάννα *manna*, quae

(1) Baruch c. I. 6. — (2) Bar. c. I. 10.

apud Septuaginta mansit, ut in hebraeis codicibus legitur; etenim μάννα ex מנחה *mincha donum, oblatio* oritur, quae maxime in hebraeis Scripturis sumitur pro *sacrificio incruento* i. e. donum quodcumque praeter victimas. Dum haec duo vocabula sacrum sensum illustrant, libri quoque originem ostentant.

Orat Baruch (1) ut librum illum legant in templo Domini ἐν ἡμέρᾳ ἑορτῆς, καὶ ἡμέραις καιροῦ i. e. In die solemnitatis, ac in diebus temporis. » Ultimum vocabulum καιροῦ temporis, voci מועד *mohed* conformatur, unde excepta videtur, et significat *tempus statutum alicujus rei;* et specialiter pro tribus festis solemnibus hebraeorum accipitur, in mosaica lege sancitis, quae vocantur מועדים *mohadim*, quasi diceret: « Et aliis festis statutis. »

Et statuit Dominus, inquit Baruch, (2) sermonem suum, quem locutus est .... Τοῦ φαγεῖν ἡμᾶς, ἄνθρωπον σάρκας υἱοῦ αὐτοῦ, καὶ ἄνθρωπον σάρκας θυγατρὸς αὐτοῦ i. e. manducare nos, hominem carnes filii sui, et hominem carnes filiae suae. » Hac collata hebraeorum phrasi, qui utuntur vocabulo איש *hisc* ex quo ἄνθρωπος *vir* distributive, loco *quisque, singuli*, obviam erit interpretatio verborum, quae vulgata quoque sunt apud ceteros Prophetas; ac si diceret Baruch: « Manducare nos unumquemque etc. »

Ex ore Prophetae (3) luget populus coram Domino dicens: « Et non audivimus vocem tuam ἐργάσασθαι τῷ βασιλεῖ Βαβυλῶνος i. e. Operari regi Babylonis. » Illud ἐργάσασθαι *ergasaste operari* servitutis opus comprehendit, qua hebraei regi assyriorum servierunt, et bene vocabulo hebraeo עבד *havad, fecit opus, laborem collocavit*, et tropice *servivit*, nectitur. Praeclarum signum, (4) quo discernitur hebraica origo Scripturae Baruch, eruitur ex hac sententia: « Et mortui sunt (filii Israel) laboribus malis ἐν λιμῷ, καὶ ἐν ῥομφαίᾳ καὶ ἐν ἀποστολῇ i. e. In fame, in lancea, et in missione. » Et quid innuitur hac voce ἀποστολῇ *missione?* Hebraei scriptores utuntur verbo שלח *scialahh* sub significatu *misit, dimisit.* Joel vero ac Job aliique ex hac radice שלח *scialahh* nomen extulerunt in significationem *telum*

(1) Baruch c. I. 14. — (2) Baruch c. II. 3. — (3) Baruch c. II. 24. — (4) Bar. c. II. 25.

sagitta, quae jure vocabulo Septuaginta ἀποστολῇ aptatur, uti latine *missile* dicitur.

Item paulo post (1) scribit Propheta: « Ἐὰν μὴ ἀκούσητε τῆς φωνῆς μου, εἰ μὴν ἡ βόμβησις ἡ μεγάλη, ἡ πολλὴ αὕτη ἀποστρέψει εἰς μικρὰν ἐν τοῖς ἔθνεσιν i. e. Nisi audieritis vocem meam, nisi clamor, vel sonitus magnus multus iste convertetur in minimum inter gentes. » Primum ibi excipitur jurandi formula hebraeis peculiaris, veluti diceret Scriptura: « Nisi audieritis vocem meam, si non clamor, etc. idest: certe clamor hic multus convertetur in parvum. » Deinde dictio graecanica βόμβησις *clamor*, *tumultus*, ab המון *hamon strepitus*, translate saepius dicitur de hominum copia, turba, multitudine, quasi strepitum facientium. Hoc modo totus patet verborum nexus: « Nisi audieritis vocem meam, profecto multitudo magna multa ista convertetur in parvam inter gentes. »

Luget Propheta (2) captivitatem Hierusalem illiusque aerumnas dicens: Adduxit enim super illos gentem de longinquo .... qui non sunt reveriti senem, neque puerorum miserti sunt, καὶ ἀπήγαγον τοὺς ἀγαπητοὺς τῆς χήρας, καὶ ἀπὸ τῶν θυγατέρων τὴν μόνην ἠρήμωσαν i. e. Et abduxerunt dilectos viduae, et a filiabus solam desolaverunt. Vocabulum *agapitus dilectos* ex hebraeo בחוריים *bachurim electos*, saepe in Scripturis idem valet, ac juvenes, maxime illos bello addictos. Altera dictio graeca μόνην idem sonat ac *vidua* a בדד *badad solitarius fuit*, uti sub hac significatione utitur Hieremias.

Hebraicam quoque originem jactant sententiae istae: « Dies ejus, sicut dies coeli »; altera similiter: « Abivimus unusquisque in excogitatione cordis nostri mali; vigilavit Dominus super omnia opera, a radice שקד *sciaqad vigilavit*, *diligenter attendit*, *sedulo animadvertit*; item consolatur te, qui te nominavit, te scilicet appellavit nomine amoris, vel dignitatis causa; dijudicare judicium; ἀνάγκη *necessitas*, idest *angustia* » aliaeque ejusdem generis, quae in libro Baruch leguntur, et signa praeseferunt illius antiqui hebraei sermonis; quin silentio mandem illud canticum, quod Propheta a longe spectans Hierusalem non in luctu, neque ignominia versatam, sed undequaque exultantem de filiis suis a captivitate reversis, ita modulatus est: « Exue te Hierusalem stola luctus, et vexationis tuae; et indue te decore

(1) Baruch c. II. 29. — (2) Baruch c. IV. 16.

ejus, quae a Deo tibi est, sempiternae gloriae etc. » reapse Isaiae prae sublimitate comparandum.

§. VII. In hymno trium puerorum haec leguntur : « Sic fiat sacrificium nostrum coram te hodie, καὶ ἐκτελέσαι ὄπισθέν σου i. e. Et perficere post te. » Haec postrema verba, omnino ex proprietate linguae hebraicae diffluunt, ac explicantur. Hebraei scriptores in Bibliis saepe habent « מלא אחר יהוה i. e. Implere, perficere post Dominum » veluti diceretur: *plena obedientia Deo obsequi; mandata ejus perficere;* « Et ego, inquit Josue, (1) implevi post Dominum Deum meum. »

In historia Susannae (2) haec de senibus leguntur verba : « Et factum est, cum observarent (Senes) diem aptum, εἰσῆλθε ποτε καθὼς χθὲς, καὶ τρίτης ἡμέρας μετὰ δύο κοράσιων, καὶ ἐπεθύμησε λούσασθαι ἐν τῷ παραδείσῳ i. e. Ingressa est aliquando sicut heri, et tertia die cum duabus puellis solis, et desideravit lavare in paradiso. » Illa verba « sicut heri, et nudius tertius », hebraeorum dictio vulgata, inscribuntur ab eis כתמול שלשום *sicut heri nudius tertius*, seu *sicut antea.* Similiter altera, *et desideravit lavare*, animo nempe excogitavit, voluit sese lavare in paradiso.

Segregatis ab invicem duobus senibus, Daniel (1) ita in primum erupit : « Πεπαλαιωμένε ἡμερῶν κακῶν, νῦν ἥκασιν αἱ ἁμαρτίαι σου, ἃς ἐποίεις τὸ πρότερον i. e. Inveterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua, quae faciebas antea. » Verba illa *nunc venerunt peccata tua* prodeunt ex hebraeo באו *bahu venerunt* ex propria significatione; translato vero vocis sensu, secum confert vim *impleri, finem habere,* uti libro primo Regum (3) hoc sub significatu legitur. Originem porro suam ex hebraeorum lingua appetunt locutiones hujusmodi : « Omnia judicia tua veritas; declinaverunt oculos suos ne respicerent; incidere in manus vestras; rex Astiages appositus est ad patres suos; non est apud te dolus neque unus; Ambacum coxit coctionem, etc. » quae omnia leguntur in Scripturis Deutero-canonicis Danielis; e quibus percipitur harum additionum auctorem hebraice eas scripsisse, sicuti ea, quae modo sub Danielis nomine litteris hebraicis exarata servantur.

§. VIII. Linguarum doctarum amatores, qui Machabaeorum librum primum legerint, hebraeorum stilo redolere facile dicerint. In principio libri de Alexandro dicitur : « Qui primus

(1) Jos. c. XIV. 14. — (2) Dan. c. I. 14. juxta 70. — (3) c. X.7.

regnavit in Graecia. » Nonnulli codices legunt πρότερος *primus;* aliique vero πρότερον *primum*; et haec videtur lectio acceptanda. Si ex dictione hebraica expendimus hoc vocabulum, idest ראשנה *risciona* adverbialiter sumptum *primum*, quod valet *antea*, aetatem innuens, evanescit difficultas, et hebraica surgit origo. Reapse sacer historicus ea phrasi indicat Alexandri Magni regnum primum in Graecia, deinde in Asia, ubi, superato Dario, mortuus est.

Sacer historicus, (1) hebraeorum impietates narrat, qui instituta gentium amplexi sunt : « Καὶ ἐποίησαν ἑαυτοῖς ἀκροβυστίας καὶ ἀπέστησαν ἀπὸ διαθήκης ἁγίας, καὶ ἐξεύχθησαν τοῖς ἔθνεσι, καὶ ἐπράθησαν τοῦ ποιῆσαι τὸ πονηρόν i. e. Et fecerunt sibimetipsis praeputia, et defecerunt a testamento sancto, et juncti sunt gentibus, et venditi sunt, ut facerent malum: » Haec postrema sententia *venditi sunt ut facerent malum* omnino hebraica extat, et scriptoribus sacris communis, veluti diceret: « Sese tradiderunt quasi perditos, ut facerent malum. » In libro III. Regum (2) ita resonant verba hebraea יען התמכרך לעשות הרע i. e. Eo quod venditus sis tu ad faciendum malum.

Quod vero postea notandum tum ob difficultatem, tum ut quoddam argumentum eruatur de hujus hebraica origine libri, illud habetur : « Et fecerunt sibi praeputia. » Quam phrasim multi explicatum subeuntes in varias partes erravere. Flavius primus haec interpretatus inquit, sibi hebraeos realiter fecisse praeputia, ut etiam nudi, gentiles viderentur. Ast vere fieri potest, ut hebraeus suscepta circumcisione, rursus carnem praecisam sibi superinducat, et evanescat electionis signum, quod Abrahamo et Patriarchis statutum est a Deo ? Hoc est disquirendum; Origenes fieri non posse ait, ut cutis semel e corpore in circumcisione caesa iterum nascatur; alibi tamen fatetur plures fuisse, qui, ut deformitatem circumcisionis coelarent, medicis uterentur, ut ea cutis reduceretur. Hieronymus porro asserit: « Neque enim, potestatis nostrae est praeputium adducere post circumcisionem, juxta eos, qui in Machabaeorum libro dicuntur sibi fecisse praeputia. Epiphanius contra, tradit modum, quo hebraei inducebant sibi praeputia. Hac in quaestione (3) tam illorum, qui contra hoc stant, quam eorum, qui

(1) 1. Mac. c. I. 15. — (2) 3. Reg. c. XXI. — (3) Vide Calmet in hunc locum.

fieri posse superinductionem ajunt praeputii post circumcisionem, veneratus opiniones, aliter verba sacra interpretarer. Hebraei, loco vocabuli graeci ἀκροβυστία *praeputium*, utuntur ערלה *horlah praeputium, incircumcisio,* qua voce discernebantur gentiles ab hebraeis; et haec erat significatio primaria. Metaphorice vero haec dictio pluries usurpatur a Prophetis *impuritatem, profanationem* exprimens. Sic dicitur in Hieremia (1) et removete ערלות praeputia cordis vestri, impuritates scilicet animi vestri, abominationes in oculis Dei. Item dicitur praeputium arboris, cujus fructus veluti profani habendi erant. Habacuc (2) ignominiam describens ac profanationem Babyloniae, dicit: « Saturatus es ignominia pro gloria; bibe etiam tu, et praeputiatus esto, idest abominabilis fias coram inimicis tuis. » Posita modo hac significatione metaphorica vocabuli ערלה *horlah* verti potest praedicta sententia Machabaeorum: « Fecerunt sibi praeputia » abominationes scilicet, profanationes, uti erant idola, simulacra gentilium; vel alio modo dicatur: « More gentilium vixerunt, perfecerunt abominabilia illorum. » Et hoc idem paucis verbis repetit, ac explicat auctor II. libri Machabaeorum, (3) ubi scribit: « Quod cum rex annuisset, statim ad gentilem ritum contribules suos transferre coepit. » Divus Paulus ad Romanos, saepe utitur voce *praeputium* ad annuendos gentiles seorsim ab hebraeis. Haec interpretatio rei difficultatem aufert, et longam molestamque medicinam pariter ab hebraeis arcebat. Attamen, lector, tuo judicio utere.

Notat historia sacra (4) judaeorum aerumnas ob Antiochi impietatem contra templum, et sancta illorum; dicitur enim: « Καὶ ἐγένετο ὀργὴ μεγάλη ἐπὶ Ἰσραὴλ σφόδρα i. e. Et facta est ira magna in Israel valde. » Vocabulum ὀργὴ *ira* non simpliciter sumptum, veluti contra aliquem quis animo aestuaret, sed potius hic vertitur ad animi dolorem, angustiam, et recte haec significatio exprimitur a voce hebraica כעס *cahas indignatus est*; et saepe in Proverbiis Salomonis invenitur nomen ex eodem verbo conflatum, indicans aegritudinem, moerorem, affectionem animi in angustiis, ut hoc in loco accipitur.

Ut autem occlusi sunt (5) a Juda filii Bean in turribus obsedit eos, καὶ ἀνεθεμάτισεν αὐτοὺς i. e. Et anathemati subjecit eos,

(1) Hierem. c. IV. 4. — (2) Habac. c. II. 16. — (3) 2. Mac. c. IV. 10 — (4) 1. Mac. c. I. 64. — (5) 1. Mac. c. V. 5. 6. 7.

scilicet omnino eos dispersit, funditus extirpavit, ex radice hebraica חרם *charam* a Prophetis accepta sub significatione *devovere aliquid Deo*, quod redimi non poterat, et ob hoc Septuaginta transtulerunt in ἀνεθεμάτισεν *dedicavit, consecravit.* Item ibi dicitur: « Et occupavit Judas Jazer, καὶ θυγατέρας αὐτῆς i. e. Et filias ejus. » Filiae istae dicuntur *oppida*, *pagi*, qui erant circa Jazer civitatem ac eidem subditi, veluti filiae matri, quam jure graeci vocarunt *Metropolim*; hebraei vero dixerunt *pagos* seu *villas* בנותיו *benotau filias ejus*, metropolis scilicet, quia ab ea prodierant.

Simon, et Jonathas pugnantes contriverunt, et disperserunt exercitum Apollonii (1) adeo, ut confugerint in Azotum καὶ εἰσῆλθον εἰς βηθδαγὼν τὸ εἰδωλεῖον αὐτῶν τοῦ σωθῆναι i. e. Et ingressi sunt in Bethdagon simulacrum eorum, ut salvarentur. » Vox graeca βηθδαγὼν hebraicam petit originem בית־דגון *bêtdagon domum*, sive *templum Dagon*, quod celebre erat in Azoto, ut legitur in libris Regum, quas dictiones hebraeas interpres graecus reliquit, ut habebantur in originali hebraico.

Ibidem dicitur (2): « Et vidit Simon Joannem filium suum, ὅτι ἀνὴρ ἐστι i. e. Quoniam vir est, et posuit eum ducem. Vocabulum ἀνὴρ ex hebraeo גבר *fortis fuit, valuit* derivat, et metaphorice dicitur de viro, quia fortis, uti hic innuitur a sacro scriptore: « Et vidit Simon Joannem filium suum esse potentem viribus. » Item: « Placuit sermo in oculis eorum; justitias gentium ex hebraeo משפטים *miscpatim justitiae*, *judicia*, ac etiam *consuetudines*; vasa concupiscibilia, idest pretisoa; κτήνη καινὰ *jumenta communia*, scilicet profana a lege Moysis prohibita; regnabis regni patris tui; unam contra unam; extulit immunditias ex arce, idolorum nempe simulacra; ac hujusmodi plurima, quae statuunt hunc librum fulsse hebraeorum lingua exaratum, ac postea una cum aliis in graecum sermonem translatum.

§. IX. His animadversis sententiis, quae singulis Scripturis Deutero-Canonicis graeco sermone exaratis, excerptae sunt, praeter alias multas, quas philologus hebraeus hinc inde collegerit, sibi suaserit praedicta Biblia, hebraicam praebere originem; neque graecum auctorem asseri poterit fuisse, qui primum scripto res his libris contentas mandavit, ut nonnulli adversariorum suspi-

(1) Mac. c. X. 83. — (2) 1. Mac. c. XIII. 53.

cantur. Insuper praeter verba ac phrasim harum Scripturarum, quae omnino longe absunt ab hellenico eloquio, ac recte stilo hebraeorum accommodantur, aliud signum quoque eruitur ex integra dicendi ratione Septuaginta interpretum, quae his in Scripturis, sicuti ceteris omnibus Proto-Canonicis, clarescit. Et hoc est ingenuum ac simplex Alexandrinorum interpretandi genus. Illi enim sua in translatione, ne verbum quidem, et apicem, ut ita dicam, sacri textus hebraici, vel chaldaici, quem prae oculis habebant, omiserunt, veriti ne divina voluntas his in libris comprobata, quodammodo in lectorum scandalum immutaretur. Ideoque ipsi, nulla inspecta ratione graecae grammaticae legibus, pronomina, praepositiones, particulas, aliasque omnes orationis partes, quas invenere in hebraeis codicibus (tantumque hebraeorum sermoni proprias) easdem saepissime, ne dicam semper, in graecum eloquium eodem ordine et regulis transtulerunt. E quo factum est, ut haec graecanica Bibliorum 70. interpretum versio stilo omnium graecorum scriptorum aberraret. Et hoc quidem sensit Hieronymus vocem *apocalypsis* interpretatus: « Verbum quoque ipsum, ait, ἀποκαλύψεως idest *revelationis* proprium Scripturarum est, et a nullo sapientum saeculi apud graecos usurpatum. Unde mihi videntur, quemadmodum in aliis verbis, quae de hebraeo in graecum Septuaginta interpretes transtulerunt, ita et in hoc magnopere esse conati, ut proprietatem peregrini sermonis exprimerent, nova novis rebus verba fingentes. » (1)

Haec vero peculiaritas auget argumentum tum circa veritatem rerum, quae ibi scriptae sunt, cum de sinceritate interpretum, qui venerati historiam, et doctrinam sanctam librorum, quos in aliud transferebant eloquium, linguae ornatum, ac fucum respuerunt magis, quam divinorum verborum ullam abripere dictionem. Et hujusmodi interpretationis simplicitas effertur fere eadem in omnibus graecis Scripturis Proto-Canonicis et Deutero-Canonicis. Quicumque divinorum librorum in hebraica lingua superstitum, lectioni est assuetus, vix Tobiam, Judith, Baruch, Danielis Estherque additiones, Ecclesiasticum, et Machabaeorum primum in graeca lingua legerit, in promptu illi fient hebraicae dictiones, e quibus ortae sunt praedictae Scripturae. Quinimmo ex hoc planius mens explicatur interpretis hebraei, qui metu de-

(1) Hieron. in epist. ad Galat. c. I.

tantus ne in sua, ut dixi, harum Scripturarum interpretatione aliquid innovaret, vel mutaret, aperte innuit se firmiter credere divinam revelationem horum librorum. Aliter non ita sese gessisset in hoc opere, sed liberius hanc translationem conflasset, omnis erroris timore seposito. Sed et hoc idem, quod est valde animadvertendum, apparet pro re nostra in veteri illa latina translatione, e graeca 70 versione confecta. In omnibus enim tum novi, tum veteris Testamenti libris in linguam latinam traductis saeculo apostolico (notat saepe Augustinus in libris de Doctrina Christiana, et nos percipimus) interpretes christiani quivis illi fuerint, de legibus grammaticae parum solliciti fuere, ac ideo vocabula graeca traduxerunt in latinas dictiones, quae magis graecorum phrasi aptabantur, quam latinorum; quod, ut nuper dicebam, in nostris Bibliis Deuteris, et in evangelicis omnibus adhuc aetatis decernitur, quamvis Hieronymi calamo emendatis. Et quid amplius ex hoc nobis erit inferendum? Vetustos nempe et, fere dicam, apostolicos illos viros, qui Vulgatam latinam editionem hac versionis simplicitate concinnarunt, pariter, ut hebraeos Alexandrinos, credidisse se Dei Scripturam transferre, nullumque inde illorum Bibliorum apicem esse immutandum; e quo valde eorum fides erga revelationem Deuterorum librorum, erit dignoscenda.

Hactenus interea sit satis demonstratum, omnes praedictas Scripturas Deuteras, ob aevi vetustatem, quo descripta ibi gesta patrata sunt, hebraeum praeseferre auctorem. Enucleandi modo supersunt duo libri, qui, teste eodem Hieronymo, graeca lingua redolent, quorum primus *Sapientia Salomonis* dicitur, alter *Machabaeorum secundus* nuncupatur.

Quivis e lectione Septuaginta interpretum Bibliorum, quae nuper expensa sunt, transit ad hos libros, vix horum limen attigerit, senserit stilum eorumdem distare valde ab illis primis, quorum indoles suam originem vere ex semitica lingua probavit, e qua versi sunt. At forsitan ex hac stili differentia ab aliis, et ob rerum, verborumque dispositionem variam, eruendum erit quidpiam oppositionis horum ingenuitati, et ab illis auferenda auctoritas divina, quam statuimus? Hoc quodammodo opinantur adversarii; sed quanti momenti sit horum opinio, recta ne sit, et speciem dubii proferat de harum Scripturarum veritate, brevi explicabo sermone.

Nulla ratione primum, horum librorum divinitati officit,

eosdem nempe graeca lingua a viris inspiratis fuisse exaratos. Deus enim voluntatem suam hominibus manifestat, atque adeo manifestat, ut intelligant; ex hoc enim fit, sicuti circumstantiae, et opus et tempus expostulabant, ut graece scriberent praedicti ambo auctores, ea aetate vitam degentes, qua graecorum eloquium vulgatum erat. Et si ante Christi adventum, ut ajunt Clemens alexandrinus et Chrysostomus, hebraeorum Scripturae in graecum transferrentur curavit gratia divina in gentium, ac judaeorum commoditatem, qui non amplius hebraicam linguam tenebant, a pari dici potest, et potiori quidem jure, de iis libris illo aevo editis, quum pedetentim tabesceret lingua hebraica, ac magis invalesceret graeca, totum pervadens Orientem. Hac de causa, divina providentia, quae omnia in sui populi utilitatem ordinabat, fecit, ut scribae et doctores illam rempublicam gerentes, institutiones describerent ea lingua eidem nota, aetati propria, et locis, in quibus degebat; aliter frustra Deus locutus fuisset. Eisdem rationibus id egerunt Apostoli deinde, ac discipuli Salvatoris gesta scripto mandantes lingua tunc gentibus vulgata. Jam probatum est antea, ubi in Orientem erupit Alexander Magnus, eo usque eloquium graecanicum quoque pervenisse, atque ab illis gentibus excultum ita, ut vulgaris sermo fieret. Minime ergo erit mirandum, si hae Scripturae, liber scilicet *Salomonis Sapientia* nuncupatus, atque II. Machabaeorum (si ita velis) lingua graeca fuerint exaratae; sacrorum namque auctorum aetas congruebat, quia tunc vulgatus erat graecorum sermo inter omnes hebraeos Aegyptum, Palaestinam aliasque regiones incolentes. Et quid nos impedit (de Sapientia Salomonis ajo, dum nullum de altero oritur dubium) quominus ejusdem auctorem transferamus ad biscentum annorum aevum, vel etiam minus, si velimus, ante Christi adventum? Nihil obstat, sicuti constabit, cum de hoc libro singillatim peregero.

Sacri nihilominus hebraei auctoris manum aliquando in his duobus libris inspicere fas est; et quamvis hic non appareant omnino phrasis hebraicae simplicitas, eaedemque dictiones, prout in aliis Deuteris accepimus, fatendum erit, nonnulla graeca vocabula, hinc inde in his Scripturis inveniri, ex quibus claro discernitur auctor hebraeus, et gentilis calamus penitus evanescit. ex. g.: « Judicare judicium; lumen justitiae; ab initio; probavit in fornace; aspergere caput terra; sancte totius sancti-

ficationis Domine; manus impietatis; nomina insuper victimarum, altaris, templi et ceterorum, quae ad institutiones mosaicas pertinebant et ad mores, et eorum consuetudines in populi gestis recensendis, hebraeum fuisse horum librorum auctorem satis ostendunt. Itaque licet verborum translatus ordo ab hebraea dictione alienus, et verborum emphatica et prodiga luxuries, quae ubique libri Sapientiae et II. Machabaeorum inspicitur, innuant auctores in graecorum eloquentia versatos, attamen post se linguae hebraicae quoque vestigia nonnulla relinquunt.

§. X. Denique aliud signum superest hac in propositione ponderandum, quod interpretis sacri, ac philologi mentem postulat, et hoc est parallelismus sententiarum, qui ubique in divinis Scripturis eruitur. Hic vero parallelismus, uti definiunt Jebb, et Lowth (1) maxime inter alios, qui de hoc egere, constat quadam similitudine sententiarum, quae inter se nectuntur, ac una ad aliam respiciens vim sermonis adauget. Is porro hebraicae eloquentiae, et praesertim poesi, tantum addicitur, et varie componitur; saepe enim parallelismus constat disticho uno, aliquando duobus et etiam tribus. In hoc autem dicendi genere observanda est *Synthesis*, seu sententiae quaedam parallelae, synonimae, quae successive quasi per gradus crescunt in pondere ac verborum vi, ex quo secundum distichon de re eadem, quam respicit divinus auctor, crescit juxta vocabulorum praestantiam, et vim expressionis, ac ita gradatim de tertio disticho etc. dicatur. Ob hoc a nonnullis *parallelismus gradationis* nuncupatur. Exemplo, hujusmodi gradationis parallelae genus patebit. Isaias Prophetarum princeps his poeticis dictis israelitas, gentesque omnes hortatur, ut quaerant Deum, et nomen illius sanctum invocent:

« Quaerite Dominum dum inveniri potest;
Invocate eum, cum ipse sit prope;
Relinquat impius viam suam;
Et vir iniquus cogitationes suas;
Et convertatur ad Dominum, et miserebitur ei;
Et ad Deum nostrum, quia multus est ad ignoscendum. »

Primum distichon docet quomodo peccatori sit quaerendus Deus cum facile sit inventu; et ut invenerit, illum invocet, postea vitam iniquam deserat, vanas cogitationes dimittat, et converta-

(1) Horne Introduct. in Sac. Script. tom. II. p. 421. an. 1828. ed.

tur ad Deum, qui hominis miseretur, et miseratione abundat. Praeter hunc parallelismum syntheticum, alter in Bibliis invenitur, qui antitheticus dicitur et specialiter in Salomonis Proverbiis, et Ecclesiaste eruitur; et fit quando primi versiculi verba, omnino secundi verbis adversantur, ut hae sententiae:

« Filius sapiens laetificat Patrem;
Filius stultus moestitia est matris suae;
Memoria justi cum laudibus;
Et nomen impiorum putrescet. »

His positis exemplis, cum quis poterit ubique Scripturarum alia ejusdem generis invenire, Biblia Deutero-Canonica adeamus investigantes, utrum ista hoc parallelismi genus ostentent, prout hucusque dictum est. Ex adversariis nonnulli hanc noverunt convenientiam; nos autem, ut res late pateat, exempla ex singulis libris Deuteris proferamus, in quibus secernatur syntheticus, atque antitheticus parallelismus. Ben-Sirach in Ecclesiastico (1) studium viri sapientis pingit quatuor distichis hoc parallelismo synthetico gradationis:

« Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens;
Et in Prophetis vacabit;
Narrationem virorum nominatorum conservabit;
Et in versutias parabolarum simul introibit;
Occulta proverbiorum exquiret;
Et in absconditis parabolarum conversabitur. »

Ita per gradus homo fit sapiens; a Prophetis enim et a viris sapientibus exquirit doctrinam; per hanc deinde parabolas, et occulta proverbia explicat. Huic similis est alter: (2)

« Beatus est, qui tectus est a lingua nequam;
Qui in iracundiam illius non transivit;
Et qui non attraxit jugum illius;
Et in vinculis ejus non est ligatus;

Antitheticus parallelismus in haec verba incidit:

« Dives commotus confirmatur ab amicis suis;
Humilis autem cum ceciderit expelletur et a notis. » (3)

In libro quoque Sapientiae excipitur parallelismus, et quidem sub specie synthesis gradualis: (4)

« Circumveniamus ergo justum;

(1) Eccl. c. XXXIX. 1. — (2) Eccl. c. XXVIII. 23. — (3) Eccl. c. XIII. 25. — (4) Sap. c. II. 12.

Quoniam inutilis est nobis;
Et contrarius est operibus nostris;
Et improperat nobis peccata legis;
Et diffamat in nos peccata disciplinae nostrae. »

Parallelae sententiae quoque occurrunt in laudibus Sapientiae, et majestatis illius (1):

« Candor est enim lucis aeternae;
Et speculum sine macula Dei majestatis;
Et imago bonitatis illius. »

Tobias hortatus filium, ut recte vivat in Domini beneplacitum, hoc synthetico parallelismo dicit:

« Et pete ab eo, ut vias tuas dirigat;
Et omnia consilia tua in ipso permaneant. »

Item Angelus Tobiae respondet hac antithesi (2):

« Manifesto ergo vobis veritatem;
Et non abscondam a vobis occultum sermonem. »

Judith redarguens sacerdotes, qui terminum Domino constituerant, quo transacto, Holoferni sese darent, disticho synthetico ad eos (3) loquitur:

« Posuistis vos tempus miserationis Domini;
Et in arbitrium vestrum diem constituistis ei. »

Alius pulcherrimus gradationis parallelismus traditur in cantico Judithae (4), ubi de ea cecinit divinus auctor:

« Accepit stolam novam ad decipiendum illum;
Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus;
Pulchritudo ejus captivam fecit animam ejus;
Amputavit pugione cervicem ejus. »

Mardochaeus deprecatus Dominum pro populo suo, parallela antithesi (5) utitur:

« In dictione enim tua cuncta sunt posita;
Et non est, qui possit tuae resistere voluntati. »

Plangit deinde Esther istis syntheticis verbis coram (6) Domino:

« Volunt tua mutare promissa;
Et delere haereditatem tuam;
Et claudere ora laudantium te;
Atque extinguere gloriam templi, et altaris tui etc. »

(1) Sap. c. VII. 26. — (2) Tob. c. XII. 11. — (3) Judith. c. VIII. 10. — (4) Judith c. XVI. 11. — (5) Esth. c. XIII. 9. — (6) Esth. c. XIV. 9.

Synthesim parallelam perhibet liber Baruch, (1) ubi de impiis legitur :

« Viam autem disciplinae ignoraverunt ;
Neque intellexerunt semitas ejus ;
Neque filii eorum susceperunt eam ;
A facie impiorum longe facta est. »

Trium puerorum hymnus illud parallelismi genus profert quemadmodum supra censuimus ; ac insuper dum distichi dimidium

« Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum ;
Et laudabilis et gloriosus, et superexaltatus in saecula »

a cantore iteratur in toto hymno, assumitur similitudo hujus ex illo davidico carmine :

« Confitemini Domino quoniam bonus ;
Quoniam in saeculum misericordia ejus. »

ubi ultimus versiculus pluries ab hebraeis in cantico repetitus fuit. Daniel in lacu leonum Dominum deprecatus exauditur, (2) et ait :

« Recordatus es mei Deus ;
Et non dereliquisti diligentes te. »

In Machabaeorum primo, Alexander scribit ad Ptolemaeum Aegypti regem, ac ita sub synthetico parallelismo ei (3) dicit :

« Quoniam egressus fui in regnum meum ;
Et sedi in sede patrum meorum ;
Et obtinui principatum. »

Quae verba cum fere idem sonent, quidquam vis addunt sermoni, eumdemque illustrant. Pariter septem filiorum mater, eos ad martyrium hortata, inquit (4) synthetico parallelismo :

« Nescio qualiter in utero meo apparuistis ;
Neque enim ego spiritum et animam donavi vobis ;
Et vitam et singulorum membra non ego ipsa compegi. »

Haec satisfaciant exempla, ut quivis possit Scripturas Deuteras percurrens magis ediscere, easdem qualitates possidere haec Biblia, ac Proto-Canonica ; ac amplius illas qualitates didicerit lector, solum divinis hebraeorum Scriptis peculiares ; quod horum Bibliorum auctoritatem auget. Sublimitas attamen hujus poetici parallelismi, ejusdem ordo, compositio, et sententiarum decor, quae successive prodeunt, colliguntur tantum ex hebraeo-

(1) Bar. c. III. 20. — (2) Dan. c. XIV. — (3) 1. Mac. c. X. 52. — (4) 2. Mac. c. VII. 22.

rum codicibus, qui primi hujusmodi poeseos genus invenientes, inter se excoluere. Quivis hebraeam linguam calluerit, in Proto-Canonicis Scripturis facilius istius parallelismi leges noverit, deindeque in Bibliis Deuteris versatus, similitudinem ejusdem probaverit.

Quid amplius desideratur in Scripturis Deutero-Canonicis, quod non sit simile omnibus et singulis dotibus, quas praesetulere Biblia Proto-Canonica? Scripturae veteres hebraeorum in Canone divinorum librorum censitae a patribus tridentinis, omnes tam Primae quam Secundae, una mosaicas leges, civiles et religiosas proferunt; eosdem hebraicae gentis mores, institutiones eidem genti peculiares; viros hebraeos illarum Scripturarum auctores; linguam hebraeam, seu chaldaeam, vel graecam, in qua illos libros descripserunt (spectatis rerum ac aetatum vicibus) indolem quoque hebraeorum ac proprietates in illorum dictione ostendunt; idem Deus tandem, idem cultus, eadem finis ubique harum Scripturarum praelucent. Quid insuper vobis ab Ecclesia Romana alienis expectandum est, ut Biblia Deutera cum Prioribus jungatis, atque in uno Canone censeatis, uti jure docet et facit Ecclesia Catholica?

PROPOSITIO VI.

De codicibus antiquis Scripturarum earumque versionibus, in quascumque linguas translatae ipsae legantur, ante Lutheri aetatem, ubi descripta sunt Biblia Deutero-Canonica.

§. I. Monumenta sincerae traditionis ecclesiasticae ad illum comprobandum concilii tridentini Canonem et divinitatem librorum Deuterorum veteris Testamenti, sicuti altera Parte distincte explicavimus, talia sese habebant, ut scriptores antiqui in rebus Ecclesiae pertractandis, prout opus erat, et subjecta materies expostulabat, alii ex his Scripturis advocarint testimonia, alii praeterea de librorum censu, ac titulis mentionem fecerint, alteri vero siluerint, nec pro, neque contra illarum auctoritatem disserentes. Sed monumenta, quae hic ordinatim concinnavero, hujusmodi praebent argumenta veritatis, ut destrui non possint, nisi ipsa monumenta destruantur; nam eadem sunt, quae e manibus antiquorum emanarunt, calamus idem testatur veterem Scriptorem, et per se loquitur. Manuscripta Bibliorum, seu versionum, quae ex una ad alteram linguam conflatae sunt, et in quibus descriptae Deutero-Canonicae Scripturae veteris foederis, nobis testantur usum, conditionem, ac illarum pretium, quo in orbe christiano a priscis temporibus aestimatae fuere. Et haec sunt revera, de quibus mihi hoc in loco sermonem facere visum est.

§. II. Codices extitisse lingua hebraea exaratos, et praesetulisse libros nonnullos Deuteros, testis est Hieronymus, qui ait, se librum Sirach, et primum Machabaeorum reperisse hebraice scriptos; et hoc dicit in Prologo Galeato, et praefatione in libros Salomonis. Hi tamen codices ad nostram non pervenerunt aetatem. Supersunt quoque duo exemplaria hebraea libri Tobiae; sed nullum vetustatis indicium proferunt; ambo enim inter se dissonant, et ex latinis et graecis editionibus adaucta. De his vide Huetium et Calmet in Tobiam.

§. III. Circa versionem Bibliorum a syris conflatam, notandum est linguam chaldaicam, et syriacam unam et eamdem esse. Tantum vero asseritur syriacam a chaldaea distare, eo quod chaldaicus sermo, seu babylonicus, linguae servet puritatem tum stilo, tum modo legendi; syriacum vero eloquium,

quod sub Christi aevum invaluit, verbis copiosius sit, cum in se multa graecorum vocabula acciverit. Postea autem, etiam, litterae ac legendi norma variarunt, cum syri occidentales vocalibus graecis usi sint, prout hucusque legunt; et orientales juxta morem antiquum. Haec praefati, versiones disquiramus et codices Bibliorum Syrorum.

Gratis laboramus exquirentes versionem chaldaicam Scripturarum Deuterarum ab hebraeis expletam in *targumim* sive interpretationibus ab iis collatis chaldaico sermone ab initio saeculi Christi secundo et successive, quippe qui illas respuerunt. Attamen notatu dignum est, quod Bernardus De-Rossi suo in Specimine variarum lectionum sacri Textus, scripsit de Additionibus Estheris p. 122 : « Extant enim, ait, nunc manuscripti codices hebraeorum, in quibus Estheris additamenta chaldaice exhibentur. Ex his tres in Italia reperiuntur, mihi quidem comperti. Primus pontificius noster est, vaticanus alter, tertius ambrosianus. » Magni autem fit ab eo codex vaticanus; in illo enim additamenta inscripta sunt eodem charactere, eisdem punctis et accentibus, sicuti pars Proto-Canonica; et in fine libri summa signatur versiculorum, uti legitur in aliis sacris hebraeorum scriptis.

Quoad porro versionem syriacam *Phschito* dictam, et satis antiquam, supra Parte I. disputatum est, quae cum non exhibeat scripta Deutero-Canonica, et prorsus conformetur hebraeis codicibus, opus viri hebraei, illam addiximus; inde nihil mirandum, si libri in quaestione, ibi desiderentur. Quinto vero saeculo, vel sexti initio, alia apparuit Bibliorum translatio syriaca ex Septuaginta eruta, cujus auctor habetur Xenajas mabugensis, episcopus Hierapolis, qui etiam Philoxenus nuncupatur. Item juxta Assemani in Bibliotheca Orientali, (1) Jacobus edessenus, Thomas eracleensis, et Mar-Abba chaldaeus, ex graeco in syriacum sermonem transtulerunt totam, vel partem Scripturae; sicuti et haeretici nestoriani, eutichiani aliique, singuli in proprium usum, versionem Bibliorum confecerunt ex graeca Septuaginta; omnes tamen scripta Deutero-Canonica illuc contulerunt, uti codices eorum superstites testantur. Codex antiquissimus elementis *estranghelis* exaratus in bibliotheca Mediolani servatur, de quo paulo ante dixi, et continet libros Deutero-Canonicos;

(1) Assem. Bibl. Orien. tom. II. p. 492. Ed. Romae.

cujus codicis pars apud Masium reperiebatur, et nunc latet. Inscriptio porro syriaca in hujus codicis fine, et maximi facienda, ait, desumptum esse et effictum ab exemplari Eusebii, et Pamphili, ad ejus scilicet normam, quod ipsi emendarunt ex bibliotheca Origenis.

Codex alter servatur in Bibliotheca cantabrigiensi (ait Walton Proleg. XIII. in s. Scripturam) sed mancus, nam ibi solummodo traduntur Prophetae majores, et libri omnes qui *apocryphi* vocantur, (hoc tamen vocabulum non inscribitur codici) et ad calcem hujus notatum est: « Anno graecorum 1485 (Christi 1173.) mensis *Conon* posterioris quarto, feria sexta, scribi coeptum est. Vetustus alius codex extat in bibliotheca vaticana litteris rotundis exaratus, N. 92. in cujus fine syriaca epigraphes A.C. 823. tradit. Lectiones hoc manuscriptum continet e Bibliis excerptas, et lectas in ecclesiis pro defunctis; et fol. 125 legitur cap. I Sapientiae Magnae Salomonis. In eadem Bibliotheca N. 132. codex membranaceus litterisque *stronghilis* descriptus, et absolutus A. C. 980, sicuti in ejus fine notatur, continet punctationem ac recensionem vocum difficiliorum, quae in syriaca versione veteris et novi Foederis occurrunt, per Jacobum episcopum edessenum. Et incipiens a recensione verborum in Genesi pergit ad ceteros libros Moysis, Josue, Judicum, Job, libros Samuelis, Psalmos, Regum libros, Isaiam, duodecim Prophetas, Hieremiam, Ezechielem, Danielem, beatae Susannae historiam, Proverbia Salomonis, Sapientiam Magnam, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, libros ss. Foeminarum Ruth, Esther, Judith, Sapientiam Sirach; ac ita explicit recensio vocum veteris Testamenti. Alios syrorum codices vidit citatus Walton in editione Polyglottae, aliique nonnulli servantur in bibliotheca vaticana, alii integri, alii manci, Scripturis tamen Deutero-Canonicis ditati, qui hoc in loco, cum sint recentioris aevi, praetermittuntur.

§. IV. Frustra laborem meum insumerem, de Septuaginta interpretum versione, de illius antiquitate, ac auctoritate rursus disserens. Saepe enim in hac et altera Parte disserui. Ejus versionis auctores pariter expendi; et satis patefactum est, ante Christi adventum vulgatam eamdem fuisse, et omnes praeseferre Scripturas Deuteras veteris Testamenti. Initio deinde saeculi II. Aquila judaeus versionem ex hebraeis codicibus confecit, et eo studio potissimum, ut Septuaginta interpretum, quibus utebantur christifideles, destrueret auctoritatem, sicuti ait Justinus martyr;

nulla ergo ratione ibi quaerendi sunt libri Deuteri. Circa illud aevum a Theodotione alia graeca interpretatio Bibliorum edita fuit, quae, ut ait Epiphanius libro - De Ponderibus et Mensuris - consentit cum Septuaginta duorum versione ; in eorum enim lectione tritus, ac longa consuetudine exercitatus fuerat Theodotio. Et ex hoc factum esse videtur, ut ipse sua in translatione adjunxerit quoque Scripturas illas in veteri alexandrina repertas, quemadmodum eruitur e textu exaplari codicum, Chisiani, et Arundelliani, qui obelos, et asteriscos in additionibus Danielis, Hieremiae et Estheris proferunt. Sileo de Symmachi graeca versione ex hebraeis codicibus conflata, quae una cum aliis citatis haereticis translationibus, evanuit, locum cedens illi antiquissimae, Apostolorum suffragio et ab universa Ecclesia comprobatae.

Omnes orbis bibliothecae, codices exhibent Septuaginta versionis, ubi Biblia Proto-Canonica Deutero-Canonicis inserta leguntur, et nullum adhuc inventum est manuscriptum, quod his careat. Et nonnullis censendis hujus versionis graecanicis codicibus, accedit primus ille vulgo *Vaticanus* dictus e bibliotheca, ubi servatur. Is licet antiquissimus, uti ex uncialibus litteris et ex deficientia spirituum et accentuum statuitur, critici tamen inter se discrepant in instituenda illius aetate. Alii enim saeculo IV. alii V. alii VI. alii VII. opinantur conflatum ; et adhuc sub judice res est. In hoc porro exemplari (cui desunt Genesis pars, Psalmi nonnulli et Machabaeorum ambo, aetate consumpti) traduntur libri Deuteri, quibus additus est tertius apocryphus Esdrae.

Alius autem vetustate, fere pari, praestans codex Bibliorum graecorum, dicitur *Alexandrinus* in museo britannico servatus ; vocatur etiam *londinensis*. Quatuor voluminibus constat, litteris graecis majoribus sine accentuum et spirituum notis descriptus. Tribus voluminibus continetur vetus Testamentum, cui praeter Scripturas Priores et Deuteras, junguntur apocryphi libri, tertius Esdrae et Machabaeorum. De codice chisiano ab exemplari Origenis hausto, qui quatuor Prophetas continet una cum additamentis, et obelis et asteriscis sileo, cum antea satis dictum sit. Antonius Carafa cardinalis, bibliothecae vaticanae praefectus, vir longe eruditissimus, in editione versionis graecae Bibliorum, praeter alios codices, duos numerat praestantes, unum litteris grandioribus exaratum, Venetiis in bibliotheca divi Marci situm, alterum Florentiae in bibliotheca medico-laurentiana. His pariter

insertus est Esdrae et Machabaeorum tertius apocryphus. Admiratione valde dignus est codex graecus in bibliotheca vindobonensi signatus N. 19. juxta Lambecium. Ibidem legitur colloquium s. Pambonis abbatis aegyptii cum quodam suo discipulo de canticis sacris, quae is Alexandriae in ecclesia s. Marci audiverat. Deinde in eo manuscripto leguntur Psalterium aliaque novi ac veteris Foederis cantica, in quibus trium puerorum hymnus e Daniele desumptus.

Hi codices graeci vetustate clari habentur, atque, ne dicam de plurimis aliis, sive mancis sive integris, omnes secum conferunt Scripturas Deuteras. Observandum tamen est relate ad libros apocryphos, qui ibidem inserti sunt, et speciatim de Esdrae et Machabaeorum tertio, non officere Canoni tridentino, cum jam ex D. Hieronymi aevo, nullius fierent auctoritatis, et a sacro numero respuerentur. Insuper notandum, codices alios Bibliorum, qui versionem 70. praeseferebant, et a viris doctis, seu eorum cura, elaboratos, non continere illos libros, ut fatetur Cassiodorus in libris De Divinis Institutionibus et Hieronymus in emendatione Septuaginta, et uti eruitur e manuscripto syro *estranghelo* in bibliotheca ambrosiana servato, adeo ut Walton tom. VI. Polyglottae scripserit de libro Esdrae apocrypho: « Illud autem praefari volumus, hunc librum abesse a multis Bibliorum exemplaribus. »

§. V. Nihil est, quod rursus de versione latina Bibliorum ejusque antiquitate disseram, cum satis, prima Parte, dictum sit. Verumtamen sciendum est non unum fuisse, qui ex graeco Septuaginta in latinum sermonem Scripturas veteres transtulit, sed plurimos, ut ait Augustinus libro II. De Doctrina Christiana c. XI. « Qui Scripturas ex hebraea lingua in graecam verterunt, numerari possunt; latini vero interpretes nullo modo. » In illis porro ea censebatur, quae ceteris usu praevalens, nomine *Vetus Itala*, seu *Vulgata*, inscripta fuit, ratione novae Hieronymi translationis e codicibus hebraicis conflatae, quae postea in Ecclesia invaluit. Veteres codices Bibliorum latinos, praeter Proto-Canonicas Scripturas, alias Deutero-Canonicas continere, testes sunt Augustinus, et maxime Hieronymus, qui praefatione libri Judith, ait multos codices hujus libri ac inter se varios pervadere Dei Ecclesiam; quod innuit, quantae auctoritatis fuerit ea historia. In exquirendo autem nunc illos, qui supersunt, codices latinae versionis ante Hieronymum, adstant nobis viri cla-

rissimi Flaminius Nobili, Joseph Maria Caro, et Petrus Sabbatier ordinis s. Benedicti, qui summo studio publicas bibliothecas perscrutati, plurima notarunt manuscripta antiquae Italae. Quotquot vero invenire potuerint codices illius vetustissimae latinae versionis, sive integros, sive mancos, omnes Scripturas Deuteras praeseferebant Proto-Canonicis insertas, et potissimum additamenta Danielis, Esther, et Baruch cum Hieremia, unicuique libro inscripta ita, ut unum constituerent volumen; ac ita nunc habet Ecclesia Catholica in Daniele et Esther.

Quod vero respicit novam latinam editionem Bibliorum a Hieronymo ex hebraeo conflatam (hic expensis solum antiquis codicibus) Blanchinius suis in Vindiciis Vulgatae Editionis, codicem profert *Toletanum* nuncupatum, et litteris gothicis descriptum, saeculo Christi octavo, inquit Mariana. Census et ordo librorum veteris Testamenti ita componitur, ut libri Proto-Canonici discernantur a Deutero-Canonicis. Psalmi ibi describuntur juxta ejusdem Hieronymi translationem, et desideratur liber Baruch. Is codex apographus creditur illius, quem Lucinius baeticus accepit a divo Hieronymo, prout eruitur ex hujus epistola ad eumdem Lucinium scripta. Codex alter huic simillimus servatur Parisiis in bibliotheca memmiana, Theodulphi episcopi cura (ait Sirmondi to. II. p. 1046.) exaratus circa A. C. 790. Quatuor ordines librorum veteris Testamenti inscribuntur, quorum tres hebraeorum Canonem comprehendunt. Quartus vero reliquos libros Deuteros capit ab hebraeis haud receptos: « Ecclesia tamen Dei (dicitur ibi) inter divinas Scripturas et honorat et praedicat. » In hoc codice Psalterium juxta Hieronymi versionem legitur, et Baruch liber abest.

Codex alius vetustate praestantissimus, latinam Hieronymi versionem praebens, extat in bibliotheca medico-laurentiana, dictus *Biblia Amiatina* ex monte Amiata in agro senensi (ubi primum Benedictinorum deinde Cisterciensium ordo institutus) unde Florentiam translatus est. De hoc codice disseruit Angelus Mar. Bandini speciali disquisitione. Prout legitur in hujus praefatione, scriptus fuit a Servando coaevo et discipulo s. Benedicti. Claruit s. Benedictus ineunte saeculo sexto. Hoc manuscriptum Servandus idem obtulit s. Gregorio pontifici I. e quo fortasse factum est, ut illud manu ejusdem pontificis diceretur exaratum. Hic codex insuper Romam allatus est, ac eo, inter alios, usi sunt, qui textum Scripturarum emendatiorem curarunt juxta

Sixti v. praescriptionem. Ordo vero librorum hujusmodi est. In veteri Testamento Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judices, Ruth, Samuel, Melachim, Paralipomenon, Psalmi, Proverbia Salomonis, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, liber Sapientiae, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel cum additamentis, duodecim Prophetae Job, Tobias, Judith, Esther cum additionibus, uti nunc legimus, liber Esdrae, et alter Nehemiae, et cum Machabaeorum duobus libris explicit vetus Testamentum. Deinde numerantur libri novi Foederis.

Notandum vero est, ibi inscriptos Psalmos juxta novam Hieronymi versionem, in quorum fine junctus est Psalmus 151. apocryphus, hoc titulo: « Psalmus David proprie extra numerum. » Ibidem leguntur sancti doctoris prologi in sacras Scripturas, et deest pariter liber Baruch. Plura ibi innuuntur e Cassiodori libris - De Divinis Institutionibus. Cassiodorus porro, qui s. Benedicto se socium junxit, ad sacra studia promovenda, duas bibliothecas Romae, ac Ravennae extruxit, auspicante Agapito romano pontifice. His in bibliothecis, ut ipse fatetur, Bibliorum codices latinos ac graecos, quos transcribendos institit, deposuit, et ex his infertur Servandum e codicibus Cassiodori hausisse manuscriptum amiatinum, et Gregorii Magni nutu, ut videtur, libros Deutero-Canonicos inseruisse Proto-Canonicis, quemadmodum illa vetus *Itala* Bibliorum versio ex Septuaginta conflata, praeseferebat. Ac ita placuit eidem pontifici ac Catholicae Ecclesiae, ut, eo sublato Hieronymi discrimine, inter Priores ac Deuteras Scripturas instituto, libri divini haberentur et legerentur a christianis eodem ordine, sicuti antea peractum fuerat; et id e sequentibus clarius patebit.

Praeter hunc codicem, nullus ante Caroli Magni aevum superest, qui Hieronymi versionem praebeat. Sub eo tamen rege et auspiciis plura collata sunt manuscripta illius versionis, in Ecclesiae usum, uti Alcuinus hoc mandatum sumens ipsi regi loquitur: « Sacros libros in unius corporis sanctitatem connexos, ac diligenter emendatos vestrae clarissimae auctoritati dirigere curavi. » Revera plures hodie servantur codices, qui circa, vel paulo post Caroli Magni imperium conflati sunt, eidemque regi nuncupati, utpote ex illo transcripti codice, quem Alcuinus eidem imperatori obtulit; cujusmodi sunt Romae codex *Vallicellanus*, alter *Carolinus* extans apud Monachos s. Benedicti,

ab eruditissimo Blanchinio illustrati in Vindiciis Vulgatae Bibliorum editionis. In his porro codicibus notatu dignum est, numerum et ordinem fere eumdem esse ac in altero *Amiatino* praeter Psalmos, qui excerpti sunt, ut ibi notatur, de translatione Septuaginta interpretum a divo Hieronymo emendata. In utrisque desideratur liber Baruch, et additus est Psalmus 151. cum eadem inscriptione *apocryphus*, uti legitur in codice amiatino. In codice vindobonensi signato N. 22. qui ejusdem Caroli Magni nomen praesefert, et a Radone abbate collatus, eumdem numerum librorum tradit. Psalmi initio codicis inscribuntur ex versione aegyptiaca translati, una cum Psalmo apocrypho 151. Scripturae Deuterae in fine libri Estheris post Proto-Canonicos, junguntur absque ulla nota; et deest liber Baruch. Codex alter Hieronymianae versionis Cavae apud Salernum ad eamdem aetatem referendus, omnes citatos libros mixtim profert praeter Baruch. Psalmi inscribuntur juxta Italam; sed in fine codicis leguntur juxta Hieronymi versionem.

Item alter casanatensis circa eamdem aetatem lit. B. nu. I. 8. citatas Scripturas promiscue continet, cui deest Baruch, et Psalmi traduntur juxta antiquam ex 70. versionem. Pariter in bibliotheca angelica codex membranaceus lit. T. num. I. 9. extat admodum antiquus. Ibidem deest liber Baruch. Hi citati codices versionis Hieronymianae generatim videntur alios vetustate superare, quorum copia, deinde cura potissimum et studio monachorum s. Benedicti saeculo x. xi. etc. in ecclesia occidentali vulgata est.

Circa vero celebratos codices observandum est; primum ut dixi, in his desideratur liber Baruch; sed hoc non mirum, cum s. Hieronymus hujus libri versionem transegit; attamen fatendum est eosdem monachos, sicuti et alios scriptores, qui eos codices transcribendos curarunt, citasse, et ut divinam auctoritatem appellasse Baruch librum. Id egerunt Ratbertus, Rabanus, Radulphus, Petrus Damianus, divus Bernardus, aliique, ut Parte I. ex eorum scriptis protuli. Nonnulli tamen codices vel recentiores vel accuratiori manu descripti tradunt hunc librum. In museo namque britannico, uti excerpsi in indice illius, duo manuscripta Hieronymi versionem continent, et librum Baruch post Hieremiam (sicuti antiquitus) ostendunt, unum nu. 1287, et alterum 2798 signata, quae, saeculo x. vel ultra, descripta feruntur. Alius item codex Bibliorum in bibliotheca Casanatensi

membranaceus, folio majori exaratus, lit. B. num. I. 6. profert librum Baruch post cap. LII. Hieremiae. Desinente saeculo X. creditur descriptus. Liquet vero saec. XII. XIII. et ultra, omnia, quae extant, manuscripta Hieronymi versionis, praeseferre librum Baruch post Lamentationes Hieremiae situm, ubi nunc temporis legitur. Notatur dein codicem amiatinum, toletanum memmianum et casanatensem nuper notatum, Psalmos praeseferre juxta Hieronymi ex hebraeo versionem, alios autem sub Caroli Magni auspiciis transcriptos, quorum primos vallicellanum, carolinum et vindobonensem, et alios fere omnes qui successive collati sunt, quique Psalterium continent (cum in nonnullis desit) capere Psalmos e graeca Septuaginta translatione sumptos ac ab eodem Hieronymo emendatos. Et hoc prudenter factum est, ne ex nova Psalmorum in ecclesias collata versione, fideles pusilli offenderentur, cum omnes Psalmis assueti essent ita, ut memoriter quoque recitarent; quod et cavit idem Hieronymus ad Sophronium scribens, cui incripsit Psalmorum versionem ex hebraeo: « Nec hoc dico, ait, quo praecessores meos mordeam, aut quidquam de his (Psalmis) arbitrer detrahendum, quorum translationem diligentissime emendatam, olim meae linguae hominibus dederim, sed quod aliud sit in ecclesiis Christo credentium Psalmos legere, aliud judaeis singula verba calumniantibus respondere etc. » Hoc et de libro Baruch alia sub ratione affirmavit. Ex aevo ergo Alcuini, obeunte saeculo VIII. ex quo inserta fuit novae Hieronymi translationi versio antiqua Psalmorum, institui potest in ecclesiis usus communis illius, nunc dictae *Vulgata*, Versionis, quae deinde in ecclesia latina adeo invaluit, ut (in ea descriptis mixtim una cum Baruch, Scripturis Deuteris veteris Testamenti in numero 44. librorum, sicuti antiquitus censebantur) concilium tridentinum prae aliis latinis versionibus authenticam declaraverit.

Sileo de quodam Sacramentario gallicano juxta Hodyum, ante annos mille exarato, ubi: « libri Canonizati veteris Testamenti censentur 44 »; de Breviario *Muzarabicum* dicto per s.Isidorum emendato, ex quo nomen accepit; De Antiphonario s. Gregorii papae ab Alcuino censito; de libro *Gemma animae* nuncupato ab Honorio presbytero augustodunensi edito, qui agit de divinis officiis, et antiquo ritu Missarum; de Breviario dioecesis curiensis per Gotlieb episcopum elaborato; de altero ecclesiae trajectensis; quae omnia ante Lutheri aevum edita, statuunt veterem

consuetudinem in ecclesiis legendi libros Deutero-Canonicos inter alios Proto-Canonicos, prout nunc facit Ecclesia Catholica.

§. VI. Versio aethiopica Bibliorum videtur conflata, ex quo inter aethiopes Christi Evangelium praedicatum est. Attamen quae nunc extat in codicibus, saeculo Christi IV. dicitur expleta, eamque convenire (ait Walton Proleg. III.) graecis exemplaribus versionis alexandrinae. Natalis Alexander Hist. Ecc. to. I. saec. I. scribit s. Chrysostomum hujus versionis mentionem fecisse tom. I. in Joannem. Nobis interea satis hujusmodi versionem Scripturas Deuteras una cum Proto-Canonicis comprehendere.

Praeter hanc translationem, aliae quoque in Aegypto collatae sunt versiones Bibliorum, idest coptica, et sahidica, in linguas nempe vetustissimas Aegypti, quae, invalescente ibidem sermone graecanico, in locis a metropoli dissitis, seu ob liturgiae usum superstitere. In his pariter linguis, ut e codicibus hauritur, legitur versio Bibliorum juxta Septuaginta, ibique continentur mixtim Proto-Canonici, et Deutero-Canonici libri, sicuti et nos tenemus. Hae porro versiones conflatae aestimantur inter II. et IV. Ecclesiae saeculum.

§. VII. Versio armena Bibliorum A. C. 410. collata fuit cura Isaaci et Mesropis, qui puerorum institutioni in iis locis, fervente christiana pietate, praefecti fuerant. Placidus Suchias Siunae archiepiscopus in libro - Quadro della storia letteraria di Armenia - inscripto, ait, ad hanc translationem perficiendam misisse Theodosium imperatorem, codicem graecum Septuaginta, ubi Scripturae Deuterae una cum Proto-Canonicis legebantur, prout nunc temporis habent, et tenent ut divinas; et citantur in liturgiis, aliisque varii generis eorum scriptis.

§. VIII. Circa versionem arabicam Bibliorum, observandum est rabbi Saadia judaeum babylonicum opus, saec. IX., insumpsisse transferendi Scripturas veteres in arabum linguam, quod et perfecit ex hebraeorum codicibus, in suae gentis usum, quae illam regionem incolebat. In hac porro versione frustra est inquirere Scripturas Deuteras, utpote ab hebraeis abjectas. Mariana porro, et Vasaeus scribunt saeculo VIII. per Joannem episcopum hispalensem in commodum christianorum, qui sub ditione arabum vivebant, hispaniis translatas fuisse ad arabicam linguam Scripturas Proto-Canonicas cum Deuteris pariter. Codices hujus versionis testantur. In bibliotheca segueriana lit. A. nu. 19. codex arabicus nonnullos Bibliorum libros profert, inter quos ha-

betur Judith. In alio codice bibliothecae bodlejanae leguntur libri Esdrae duo, Tobith, Jesus filii Sirach arabice descripti. Alter in bibliotheca laurentiana num. 8. tradit Parabolas Salomonis, Ecclesiasticum, Canticum Canticorum, Tobiam, additamenta Danielis, Esdrae librum, et historiam Machabaeorum. Insuper e Septuaginta versione collatos fuisse duos codices Bibliorum arabicos Scripturis Deuteris adauctos, testis est Augustinus episcopus nebiensis; hisque utebantur christiani orientales. Videas Alapide in Argumentis Prophetarum Minorum.

§. IX In Observationibus Thomae Mareschalli de versionibus gothica, et anglo-saxonica quatuor Evangeliorum legitur: « Cuivis legenti tractatus de veteri et novo Testamento ab Aelphrico abbate saxonice conscriptos, obviam erit notare, quos veteris Testamenti libros transfuderit in anglo-saxonicum sui temporis idioma, scilicet non Pentateuchum solum, cujus exemplar unum, aut alterum asservari ferunt in bibliotheca cottoniana; sed et libros Josue, Judicum etc. quin etiam apocryphos Judithae, et Machabaeorum. » Ita sequitur auctor demonstrans, ipsum abbatem Aelphricum auribus saxonicis omnes veteris et novi Foederis libros accommodasse. Dictio porro *Apocryphos* in eo codice non invenit Mareschalli, sed ipse de suo addidit. Insuper ait, veteres anglos in lingua vulgari habuisse varias et antiquas sacrarum litterarum versiones, nempe non Aelphrici abbatis tantum aut Aelfredi regis saec. IX. verum etiam initio saec. VIII. aetate ven. Bedae. Hoc etiam testatur Eduardus Thwaites in editione versionis anglo-saxonicae Eptateuchi cum fragmento historiae Judith dano-saxonice ex manuscriptis oxonianae bibliothecae.

§. X. Circa eamdem aetatem aliae collatae sunt versiones Bibliorum in linguas teutonicas ante Lutheri aevum, de quibus egit Joannes Fridericus Majer, qui et codices investigavit et citavit harum versionum, ubi libri a synodo tridentina sanciti, inserti sunt.

In gallicum quoque sermonem traductae sunt divinae Scripturae, teste Le-longio, qui ait jussu Ludovici Pii expletam esse ad usum vulgatum ejusmodi versionem, quamvis antea statuit, alias gallicas versiones Bibliorum extitisse.

Item in linguam italicam translati sunt libri divini. Nicolaus Malermi venetus, monachus s. Benedicti, anno 1471. edidit versionem Bibliorum italicam inscriptam - Bibbia volgare istoriata - Idem vero in sua epistola de hac versione cap. VI. ait, quosdam

libros Scripturarum in sermonem italicum antea traductos fuisse multis tamen erroribus scatentes. Et sic de aliis versionibus, quae collatae ex latina Hieronymi Vulgata, omnes Proto-Canonicas et Deutero-Canonicas veteris Testamenti Scripturas praeseferebant.

Ex his omnibus tandem eruitur, omnes orbis ecclesias, et christifideles apud se habuisse, ac legisse scripta Deutero-Canonica veteris Testamenti, ac sacras ibi historias veneratos esse. Et hoc ex aevo apostolico factum esse in ecclesiis alibi innui, et hic brevi recensebo. Origenes enim ad Africanum scribens ecclesias Christi ait legere Scripturas Deuteras Tobiae, Judith, additiones Estheris, Susannae historiam. Idem fatetur inter syros initio saeculi IV. Ephraemus, qui e libris Machabaeorum quaedam verba citans dicit illas Scripturas legi in ecclesiis syrorum. Divus Ambrosius disserens de libro Tobiae ait, aetate sua, in ecclesia Mediolani legi hunc librum. De eodem, in Hierosolymorum Ecclesia, teste Origene ad Africanum, et alios Deuteros ibi legi testis est Cyrillus in Catechesibus. Id universim fatetur Hieronymus Praefatione in libros Salomonis. Item Augustinus de libro Sapientiae scribens contra Semipelagianos; Joannes Chrysostomus Antiochiae, Homilia de Susanna et de tribus pueris, hoc firmat; quod quidem ad nostra usque tempora perpetuo expletum est.

Ubi vero advenit Lutherus, ejusque haeresis perstitit in Occidente, Scripturae Deuterae e corpore divinorum librorum, cui ab apostolico aevo, ne ulterius progrediar, adnexae erant, omnino excisae sunt. Progressu vero temporis usque ad praesentem diem, adeo adversariorum sollicitudo praevaluit, describendi, edendique Biblia veteris Foederis, de medio sublatis Scripturis Deuteris, ut in universum orbem, hujusmodi exemplaria pervenerint. Illa enim, quae dicitur *Biblica Societas*, nullis impensis laboribusque parcens, omnia periclitata est, ut in omnes regiones ac in singulas earum linguas transferrentur, atque evulgarentur divini libri veteris Testamenti absque illis, quas propugnamus, Scripturis. Et quocumque te vertas, sive Europae, sive Asiae, sive Africae, sive Americae perrexeris terras, ubique in linguas earum legeris Scripturas translatas. In omnibus vero his versionibus, vel desiderantur omnino, vel ultimo loco mandati, omnique divinitatis decore exuti, nomine *apocryphorum* donantur libri Deutero-Canonici. Et in hujus rei testimonium scito, ab

anno 1804. quo instituta fuit *Biblica Societas* in Britannia aliisque regionibus, usque ad annum 1817. edita ac distributa fuisse vario sermone, hujusmodi Scripturarum exemplaria 986, 936. atque ad hoc impensa scutata 2, 122, 068., ex quo argueris quidquid postea factum fuerit (1). Ob haec omnia, me accusare quis poterit, quasi frustra in hoc opere, inter alios, laborassem injuriam patefaciens, quae contra Deuteras Scripturas post longissimam aetatem, immerito ab hominibus allata est?

(1) Notizie dei viaggi del Reverendissimo Sig. Pinkerton per varie parti dell' Europa e dell' Asia. Firenze 1818.

PROPOSITIO VII.

Historia Deutero-Canonica e vetustissimis picturis, sculpturis, ac numismatibus comprobata.

§. I. Ne defatigetur, quaeso, lector, quicumque ille sit, neque molestia laboret in has quoque percurrendo lineas, quibus altera vario genere inscribuntur monumenta gestorum, quae in Scripturis veteris Foederis Deutero-Canonicis colliguntur. Quae supra descripsi, animum solummodo, illis legendis, alliciebant illorum, qui litteris assueti erant; haec autem, quae descripturus accedo, non tantum eruditorum mentem, verum etiam eorum, qui litteras nesciunt, cor excitant ad credendum ea, quae illis objiciuntur per figuras. Et haec sunt varia picturae genera, in quibus Patriarcharum, Prophetarum, Jesu Christi, Apostolorum aliorumque in veteri ac novo Testamento sanctorum virorum, effigies oculis subjiciuntur, quorum gesta intuiti fideles per hujusmodi picturas, vitae pietate instruuntur, ac magis firmantur in fide.

Haec porro perficiendi consuetudo extat in Ecclesia christiana ex aevo, quo per universum orbem praedicatum fuit Evangelium. Et hoc testantur partim Romae cryptae, seu catecumbae, quo antiquitus conveniebant primaevi fideles, imperatorum effugientes persecutionem, sicuti usque ad hanc diem servantur, et coram omnibus nobis adstant. Eusebius quoque in Historia Ecclesiastica, sub finem saeculi III. collata, claris verbis hoc astruit et recte disserit, narrans se vidisse effigiem mulieris profluvio sanguinis laborantis, et Jesu Christi, qui eam sanavit(1): «Hanc statuam, inquit, effigiem Jesu exprimere dicunt, quam ad nostram usque aetatem manentem, ipsi ad eam civitatem profecti, oculis cernebamus. Nec plane mirum, eos, qui ex gentilibus prognati a Servatore, dum inter homines vivebat, sint beneficiis affecti, ista effecisse; cum et nos Petri, et Pauli Apostolorum et Christi etiam ipsius imagines in picturis, colorum varietate expressas, conservatasque aspexerimus; idque propterea, sicut verosimillimum est, quod majores nostri ad gentilis consuetudinis similitudinem, quam proxime accedentes, eos, qui tanquam

(1) Euseb. Hist. Eccl. lib. VII. c. 14.

servatores illis fuissent, idest, qui aliquid salutis et subsidii attulissent, apud se honore ad hunc modum afficere consueverant. Jacobi enim Apostoli cathedram (qui primus erat ad Hierosolymitanae ecclesiae episcopatum a Servatore, et ceteris ejus Apostolis delectus, quemque fratrem Christi nuncupatum, divina perhibent eloquia) ad istud tempus servatam, episcopi, qui illic ordine successerunt, permagno aestimant; unde declarant perspicue, quemadmodum veteres patres ad nostram usque aetatem sanctis viris, ob eorum veram erga Deum pietatem, debitam venerationem et tribuerint, et adhuc tribuere non cessent. »

Neque vero hoc cultu, idolatriae suspicio aliqua est animadvertenda, uti autumant adversarii, qui sacris imaginibus variopictis cultum denegarunt. Christiani enim hujusmodi picturis, non colorum artificium, neque durum lapidem, nec lignum venerantur, sed solum, qui in coelis est, Deum omnesque sanctos ejus intercessores, in eo lapide, vel ligno, vel colore expressos recolunt. In illos enim oculorum intuitus facile ad mentem vehebatur, eademque impellebatur sese ad Deum verum revolvere, meditari, quae creaturae ab eo ordinata sunt, illa perficere, ea petere, quae eis necessaria forent. Ita docent s. Gregorius Magnus in litteris ad Serenum episcopum massiliensem, et Adrianus I. epistola in II. synodo niceaena perlecta. Germanus patriarcha Constantinopoleos suis litteris in Iconoclastas de cultu externo: « Ea animadvertere non oportere, ait, quae foris fiunt, sed semper investigandum esse spiritum, et mentem illorum, qui illum praebent. »

§. II. Itaque cum de his satis, et congrue expensum sit, ad propositum revertamur, quasdam ex illis picturis, sive sculpturis vel nummis solummodo scrutati, quae gesta illorum intuentur, quorum mentio fit in Scripturis Deutero-Canonicis veteris Testamenti, quaeque argumento nostro addent auctoritatem. Hoc vero in opere recensens quidquid scriptores veteres de hujusmodi monimentis testati sunt, ac recentes archeologi sollicitum studium in iis impendentes huc illuc perscrutati, scriptis ediderunt, nequaquam, ut judex, inter hos praeclarissimos viros adstabo; sed tantum veluti magistrum discipulus, illos sequar quocumque ierint; ea revelabo, quae e tenebris ipsi eruerint; ea disseram, quae ipsi opinati sunt. Primo loco tradam illa monumenta, in quibus pios viros insculptos, vel depictos contestati sunt veteres scriptores, quae vero ad hanc usque diem non

perstiterunt, sed communi fato periere ; deinde alteri loco adponam quae ob oculos nostros adhuc supersunt.

Desinente saeculo IV. vitam degebat s. Paulinus. Hic basilicam s. Felicis extruxit, in cujus porticibus cernebantur pictae virorum ac mulierum imagines, uti in divinis Scripturis censentur, ac in iis notandae sunt, quas ille idem his carminibus testatus, describit :

« Binis historiis ornat pictura fidelis :
Una sanctorum complet sacra gesta virorum
Job, qui vulneribus tentatus, lumine Tobit ;
Ast aliam sexus minor obtinet inclita Judith ;
Qua simul, et regina potens depingitur Esther. »

Divus Augustinus sermone CIX. de Machabaeis scribit, Antiochiae illis templum dicatum esse : « Antiochum quippe regem, ait, persecutorem impium pertulerunt, et memoria martyrii eorum in Antiochia celebratur, ut simul sonet et nomen persecutoris et memoria coronatoris. Haec basilica a christianis tenetur, a christianis aedificata est. »

In sancti Ambrosii epistola ad Theodosium (1) imperatorem, qua eidem conqueritur de ecclesiarum prostratione, et aris diruiis, et sacrificiis christianorum turbatis per manus hebraeorum et gentilium, exempla feruntur, hac de ratione, vetustae consuetudinis fidelium in ecclesias conveniendi, sacrificium salutare, preces, aliaque hujusmodi sacra conficiendi causa ; ac ideo imperatori commendat, ut iterum fidelium templa aedificentur. Inter alia, factum narrat, quod respicit cultum Machabaeorum martyribus, a christianis ab initio saeculi II. illis praestitum, et locum quoque eorum venerationi assignatum. Ita vero arguit Sanctus : « Vindicabitur etiam valentinianorum fanum incensum ? Quid est enim nisi fanum, in quo est conventus gentilium ? Licet gentiles duodecim Deos appellent, isti triginta, et duos Oeonas colant, quos appellant Deos. Nam de ipsis comperi relatum, et praeceptum, ut in monachos vindicaretur, qui, prohibentibus iter valentinianis, quo Psalmos canentes ex consuetudine, usuque veteri pergebant ad celebritatem Machabaeorum martyrum, moti insolentia incenderunt fanum eorum in quodam rurali vico tumultuarie conditum. »

Pisis in coemeterio satis antiquo, quod ad saeculum duodc

(1) Epist. 40. 1. classis. Edi. Mau.

cimum refertur, pictum cernitur idolum Bel, cui assyriorum gentes cultum praestabant, uti in Deuteris additionibus Danielis (1) legitur illis verbis: « Erat quoque idolum apud babylonios, nomine Bel ..... Rex quoque colebat eum, et ibat per singulos dies adorare eum. »

In cubiculo tertio coemeterii S. Calixti papae, via Appia, et Ardeatina, picta sunt varia patriarcharum gesta, Salvatoris imagines, Apostolorum et aliorum martyrum, quae magna vetustate pollent, ut dixi. Hoc porro in cubiculo inter alias figuras sacras inspicitur Tobias filius (2) in dextera baculum tenens, viatoris signum, et in altera piscem, quem jussu angeli Raphaelis e flumine Tigri captum extulit, quemadmodum sacra historia testatur : « Et dixit ei angelus, apprehende branchiam ejus, et trahe eum ad te. Quod cum fecisset, attraxit eum in siccum et palpitare coepit ante pedes ejus. » Pingitur Tobias nudus veluti e flumine egressus, ubi se lavit.

In cubiculo primo coemeterii S. Agnetis, via Nomentana, trium puerorum observantur picturae psallentium in medio fornacis, qui manibus elatis, quasi illud canticum modulati, quod in capite III. libri Danielis descriptum est (3).

In sarcophago effosso e vaticano coemeterio, inter sacras figuras exculptas, notatur effigies mulieris, quam Bottari (4) opinatur esse Susannam iniquo judicio damnatam. Ibidem enim pingitur in medio duorum senum, qui contra ipsam versi, coram populo eam arguebant. Pallium, quo involvitur, illud est, quod eam cooperiebat, ut ait Scriptura Deutero-Canonica Danielis: « At illi iniqui jusserunt ut discooperiretur (erat enim cooperta). » Manuum actus duorum senum verba indicant accusationis, quae contra eam dixerunt: « Hanc autem cum apprehendissemus, interrogavimus, quisnam esset adolescens, et noluit indicare nobis; hujus rei testes sumus. »

In alio sarcophago marmoreo in coemeterio Lucinae effosso, alias inter sculpturas locum habet descriptus Daniel in medio leonum, ac prope eum Habacuc cum canistro panum, quem is raptus ab angelo e Judaea, exportaverat Babylonem. Bottari (5) vero haud esse opinatur hunc Prophetam, Habacuc,

(1) Dan. c. XIV. 1. — (2) Bottari tom. II. p. 34. Tabula 65. — (3) Bottar tom. III. p. 58. Tab 143. — (4) Bott. tom. I p. 123. Tab. 32. — (5) Bottar. tom. II. p. 25. Tab. 49.

sed in alias conjecturas transit, quae quidem parum satisfaciunt, dum e contra, hac explanatione omnes figurae benevertunt. Vultus enim Prophetae Habacuc cum canistro panum, respicit Danielem in lacu leonum situm, cujus lateribus adstant leones duo, uti haec efferuntur ex additionibus Deuteris ejusdem Danielis dicentis (1): « Qui miserunt eum in lacum leonum ..... Et clamavit Habacuc dicens, Daniel serve Dei accipe prandium, quod misit tibi Deus. » Et hoc satis probatur ab eodem Bottari per aliud sarcophacum erutum prope ecclesiam S. Sebastiani. (2) Ibi enim vir clarissimus observavit eamdem sculpturam, eosdem viros praeseferentem, idest Danielem, et Habacuc cum canistro ac leones, e quibus absque dubio ille arguit Danielem esse, in lacu leonum situm, quemadmodum narratis in additionibus Deutero-Canonicis ejusdem Prophetae traditur. Conferantur ambae sculpturae, et satis erit.

Nummus quoque aeneus in bibliotheca vaticana servatur maximus, qui eumdem Danielem cum Habacuc profert, uti a celebrato archeologo citatur. Tanta porro erat apud antiquos erga Danielem veneratio, ut ante Eusebii aevum Constantinopoli, idem Propheta aere incisus foret, sicuti is historicus de Vita Constantini (3) testatur: « Videas etiam adhuc, licet apud fontes in medio foro positos, Pastoris praeclari symbola, illis, qui sacris litteris eruditi sunt, satis cognita; Danielem quoque cum leonibus in aere incisum aurique laminis splendescentem. »

In foribus aeneis ecclesiae divi Pauli, Romae extra muros sub Constantino Magno aedificatae, et paucis ab hinc annis igne adustae, prominebat Propheta Hieremia cum Baruch, ac ibi hujus secundi inscripta erant verba: « Hic Deus noster, non reputabitur alius ad eum. »

Praeterea in Ecclesiae Romanae vetustis monimentis, habetur nomen Susannae, cuidam puellae martyri nuncupatum sub saeculi III. finem, cui Divae celebrantur solemnia die XI. Augusti. Mentiri non possumus hoc Susannae nomen inter christianos pervenisse ex Deutero-Canonica Danielis Scriptura; ex quo fatendum erit primaevos Romae christifideles, genuinam et veram habuisse hebraeae mulieris historiam.

§. III. Quae hactenus censui monumenta, e veteribus chri-

(1) Dan. c. XIV. 30. — (2) Bottar. tom. II. p. 82. Tab. 84. — (3) Lib. III. c. 48.

stianis accepimus ; ea vero, quae dicturus sum ab hebraeis et plerisque gentilium acquisivimus. In Machabaeorum libris (1) enarratur Hierosolymorum liberatio per Simonem , qui illis diebus dux erat hebraeorum; dicit enim: « Et ejecit eos (idest gentes) inde , et mundavit arcem a contaminationibus ; et intraverunt in eam tertia et vigesima die secundi mensis , anno centesimo septuagesimo primo , cum laude et ramis palmarum et cinyris et cymbalis , nablis et hymnis et canticis , quia contritus est inimicus magnus ex Israel. Et constituit, ut omnibus annis agerentur dies hi cum laetitia. » Harduinus in sua Chronologia veteris Testamenti , hujusmodi gesta consignata invenit in nummis , qui multi inveniuntur in cimeliis hujus civitatis cum hac tergemina epigraphe et charactere samaritano , quem sic hebraicis litteris repraesentat לחרות ירושלם i. e. libertatis Hierusalem ; לגאלה ישראל i. e. redemptionis Israel ; לגאלת ציון i. e. vindicationis Sion. »

Nummum alterum protulit Arduinus ex museo et scriptis kircherianis, unde alios eduxit, in quo diserte legitur haec inscriptio pariter samaritico charactere signata , quem idem Harduinus transtulit in hebraeorum elementa hoc modo: « שמעון נשיא ישראל i. e. Simeon princeps Israel. » Quae verba a sacro textu Machabaeorum (2) prodeunt , ubi dicitur : « Et coepit populus Israel scribere in tabulis , et gestis publicis , anno primo sub Simone summo sacerdote, magno duce , et principe judaeorum. » Hoc item eruitur e verbis aliis ejusdem (3), in quo Antiochus filius Demetrii , permisit Simoni facere percussuram proprii numismatis in regione sua. Froelichius in Annalibus Compendiariis regum Syriae , plurima numismata collegit litteris samaritanis descripta , quae ad eadem gesta , et viros spectant , in libris Machabaeorum censitos. (4)

Alexander Magnus, qui Machabaeorum lib. I. citatur , in numismate argenteo pingitur capite diademato , cornuto , elephantis exuviis tecto , cum hac inscriptione Αλεξανδρου i. e. Alexandri (5) In altera vero numismatis parte inspicitur Pallas galeata telum vibrans ac clypeo munita , ad pedes aquila et fulmen unguibus stringens. In area sita est galea extensa, et monogramma H. P.

In capite primo ejusdem libri narratur historia Antiochi Epi-

(1) 1. Mac. c. XIII. 51. — (2) 1. Mac. c. XIII. 42. — (3) 1. Mac. XV. 6. — (4) Froelich. Tab. XVIII. (5) Froel. Tab. 1. num. 1.

phanis, qui in serie regum Syriae quartus censetur. De hoc viro dicit Divina Scriptura (1): « et exiit ex eis (idest de Alexandri successoribus) radix peccatrix Antiochus Illustris filius Antiochi regis, qui fuerat Romae obses; et regnavit in anno centesimo trigesimo septimo regni graecorum. » Hujus regis multa collegit Froelichius idem numismata, ac talem virum respiciunt, inter quae aeneum numisma, (2) quod in una parte repraesentat caput mulieris diadematum et cincinnatum, et hoc fortasse indicat hujus Antiochi mollitiem, quam historicus sacer et profani omnes testantur, praeter alia vitia, quibus ille vir contabuit in vita sua. In altero vero latere legitur haec inscriptio Βασιλέως Αντιόχου Θεου Επιφανους i. e. Regis Antiochi Dei Epiphanis. » Et in medio nummi exsurgit aquila, imperii symbolum.

Post mortem Antiochi Epiphanis, Machabaeorum (3) auctor ait: « Et ut cognovit Lysias quoniam mortuus est rex, et constituit regnare Antiochum filium ejus, quem nutrivit adolescentem, et vocavit Eupatorem. » Secundus Machabaeorum (4) liber de eo dicit: « Anno centesimo quadragesimo nono cognovit Judas Antiochum Eupatorem venire cum multitudine adversus Judaeam etc. » Hic Antiochus quintus numeratur in serie regum Syriae a citato Froelichio collata, et illius nomen servatur in numismate, (5) quod praebet caput juvenile ejusdem Antiochi intra lauream, ac in altera parte decernitur Jupiter seminudus, victoriolam et hastam tenens, hisque litteris signatur βασιλέως Αντιόχου Ευπατορ. i. e. Regis Antiochi Eupatoris.

Caput VII. ejusdem Scripturae (6) tradit Demetrium Seleuci filium ab urbe Romae exiisse et ascendisse cum paucis viris in civitatem maritimam, et illic regnasse; in altero porro libro legitur Demetrius per portum Tripolis ascendisse ad loca opportuna etc. Hoc probatur ex nummo aeneo, ubi conspicitur (7) caput Demetrii diadematum, et modice barbatum. In alio latere Jupiter seminudus sedens, victoriolam in dextera, et hastam in sinistra tenens; et haec verba excepta sunt, βασιλέως Δημητριου Θεου Φιλοπατορος Σωτηρος i. e. Regis Demetrii Dei Philopatoris Soteris, vel Servatoris.

Supra notatum est hunc Demetrium Roma profugum navem

(1) 1. Mac. c. I. 11. — (2) Froeli. Tab. VI. num. 11. — (3) 1. Mac. c. VI. 17. — (4) 2. Mac. c. XIII. 1. — (5) Froel. Tab. VII. num. 2. — (6) 1. Mac. c. VII. 1., et 2. Mac. XIV. 1. — (7) Froel. Tab. VII. num. 1.

cum conscendisset, Tripolim appulisse, quae vicina Sidoni cum sit, videntur hujus cives, signato filius numismate, eidem advenienti gratulari, ut legitur ex illo nummo, quem ex Fawkenero protulit idem Froelichius (1), in quo exculptum est caput Demetrii diadematum in uno latere, et in altero navis cum litteris phoeniciis, et graeca inscriptione βασιλεως Δημητριου Σιδωνιων i. e. Regis Demetrii Sidoniorum.

Ulterius progressi in historiam Machabaeorum (2) invenimus nomen Antiochi Magni, quem inter alios reges Orientis subegerunt romani, quum eis pugnam intulisset. De hoc fit mentio in numismate aeneo, (3) quod ostendit caput Antiochi diadematum et vultum senilem in latere uno. Alterum profert palmae arborem cum caryotis ex ea pendentibus, quae Phoeniciae, vel Judaeae symbolum vulgo esse solet. Circa hanc arborem ea leguntur, Αντιοχου μεγαλ i. e. Antiochi Magni. Joannes Faber ad Fulvium Ursinum scribens, nummi aurei meminit ita inscripti βασιλεως μεγαλου Αντιοχου i. e. Regis Magni Antiochi. Consulas de hoc Froelichium in loco citato.

Eadem historia innuit regem Demetrium exercitum suum congregasse (4) et abiisse in Mediam ad contrahenda sibi auxilia etc. Hic vir a Froelichio vocatur Demetrius secundus, nomine Philadelphi Nicatoris donatus. Illius, praeter alia, traditur numisma, in cujus parte signatur caput Demetrii regis barbatum, et diadematum, et altero lateri inest vir nudus cum tutulato capite, amiculo defluente, sertum et poculum gerens, (5) et pharetra armatus assidet tergo animalis quadrupedis cauda canina, ad cujus collum cornu recurvum prominet cum hac inscriptione βασιλεως Δημητριου Θεου Νικατορος i. e. Regis Demetrii Dei Nicatoris.

Ibidem legitur quomodo Tryphon (6) cogitavit regnare Asiae, et assumere diadema, et extendere manum in Antiochum regem. De hoc Tryphone fit mentio in nummo aeneo ab eodem Froelichio illustrato, quo caput objicitur diadematum in una parte, et in altera galea extensa pingitur cum taeniis, vel ligamentis et adposito cornu quasi capri montani, ac his vocibus ornatur βασιλεως Τρυφωνος αυτοκρατορος i. e. Regis Tryphonis imperatoris.

(1) Froel. Tab. VIII. num. 10. — (2) 1. Mac. c. VIII. — (3) Froel. Tab. VI. num. 16. — (4) 1. Mac. c. XIV. 1. — (5) Froel. Tab. X. num. 45. — (6) 1. Mac. c. XII. 39.

In area cernuntur litterae Λ. Σ. Alii hujus Tryphonis nummi ac ejusdem formae traduntur a celebrato viro.

Arsaces porro (1) rex Persidis, et Mediae, qui audivit intrasse Demetrium confines suos, inscribitur juxta Arduinum numismate thesauri regii, et alio argenteo e cimelio D. Faucaulti his vocabulis ornato βασιλεως βασιλεων Αρσακ. δικαιου φιλελληνος i. e. Regis Regum Arsacis justi amici graecorum. Dictiones *regis regum* vere aptantur regibus persarum et medorum, qui in Scripturis Proto-Canonicis eodem titulo nuncupantur, uti apud Esdram Artaxerxes vocatur Rex regum (2). Qui plura his cupierit, adeat citatum Froelichium, qui accurato studio de Seleucorum dynastia pertractavit.

§. IV. Postquam de Bibliorum Deutero-Canonicorum auctoritate disserui, quippe quae testimoniis virorum ecclesiasticorum ac ethnicorum roborentur, et cum ex ipsa lingua, qua nobis descripta mandata sunt, firmentur illorum ingenuitas, et origo, maxime hoc ultimo loco ponderandos vellem Machabaeorum libros, quorum numismata, aliaeque hujus generis sculpturae expositа sunt, et ob oculos omnium nunc temporis permanent, praeter ceteros scriptores profanos, qui unanimi sententia testati sunt gesta, quae in iis narrantur. Non solum, inquam, haec animadvertant Catholici, et Ecclesiae Romanae adversarii, verum etiam nostrae aetatis Philosophi (si jure hoc nomine appellandi sint) qui antiquas omnino reprobant Scripturas, veluti commentitias ad illudendum ignaris ac pusillis. Discant iidem ex hac Machabaeorum historia, quoties assentiri noluerint neque divinae revelationi, neque aliis variisque monumentis, quibus veritas mosaicae historiae, Judicum, Regum Israel, et Prophetarum fulcitur; discant ex Machabaeorum libris, quum factis tam patentibus constent, ac ideo quoque venerentur vetustiores alias hebraeorum historias. Credant in machabaeorum Scriptis legendis, quippe quae a scriptoribus ejusdem gentis, ejusdem religionis ac doctrinae descripta fuerint, Prophetas seniores, qui item in suis libris, Dei unius existentiam, ejusdem aeternitatem, justitiam, illius mandata, heroum gesta, populi Israel vices, omniaque mirabilia censuere, viros extitisse sinceros, pios ac fide dignos. Ac credant una corpus integrum Scripturarum, testimonium esse infallibile veritatis, omnium gentium admiratione et acce-

(1) 1. Mac. c. XIV. 1. — (2) Esdr. c. VII. 16.

ptatione dignum, sicuti habentur Machabaeorum historiae; quae, cum ab assyriis, aegyptiis, graecis ac romanis historicis ad hanc usque aetatem servatis, et luculentissimis notis universim suis in fastis memoriae traditae, etiamque lapidibus aereque exculptae sint, mentem excitant, cor emolliunt, et captivant intellectum hominum in obsequium fidei. Catholicus ergo in fide roboretur; credat christianus a nobis alienus; corrigatur dubius; paveat impius; contremiscat incredulus.

EXPLICIT PARS SECUNDA.

INDEX

PROPOSITIO I. *De Canone divinorum Bibliorum a Flavio censito, de Philonis aegyptii in hac re opinione, ac aliis hebraeorum scriptis ad hanc usque aetatem; et haec omnia accuratis observationibus, quoad fieri potest, traduntur.* . . . . . pag. 1

PROPOSITIO II. *De necessitate, origine versionis graecae Septuaginta interpretum, de loco, et ratione, qua haec conflata fuit et accepta ab omnibus judaeis ante Redemptoris adventum; e quibus quodammodo Scripturarum veterum Deutero-Canonicarum adprobatur auctoritas divina* . . . . . » 23

PROPOSITIO III. *De transitu versionis Bibliorum alexandrinae a synagoga hebraica in Christi Jesu Ecclesiam; de illius auctoritate ab Apostolis, et a primis scriptoribus ecclesiasticis comprobata; et de numero divinorum librorum, qui ea versione continentur, ab Ecclesia eadem accepto. His adduntur animadversiones quaedam in Esdrae Canonem, quae plurimum ad nostrum argumentum conferunt* . . . . . » 36

PROPOSITIO IV. *Praemissis notis, quibus adversarii dignoscendam esse dicunt divinitatem Scripturarum, statuitur has Scripturas decerni divinas per solam traditionem ecclesiasticam, sicuti primaevi doctores de Canone Bibliorum, et de aliis similibus eam tenendam esse docuerunt* . . . . . » 56

PROPOSITIO V. *Scripturae Deutero-Canonicae veteris Foederis in dictione graeca, uti nunc tantum habentur, hebraicae linguae stilum proferunt, et omnes dicendi proprietates, nec non parallelismum, quemadmodum servatur in Bibliis omnibus, quae ad nos*

pervenerunt, hebraeorum lingua exaratis, inspecta tamen aetate, qua horum auctores scripserunt. Et ab his intrinsecum aliud harum Scripturarum integritatis eruitur testimonium . . . . . » 75

PROPOSITIO VI. *De codicibus antiquis Scripturarum earumque versionibus, in quascumque linguas translatae ipsae legantur, ante Lutheri aetatem, ubi descripta sunt Biblia Deutero-Canonica* . . . . . » 100

PROPOSITIO VII. *Historia Deutero-Canonica e vetustissimis picturis, sculpturis, ac numismatibus comprobata* . . . . . »

IMPRIMATUR

Fr. Dominicus Buttaoni Ord. Praed. S. P. A. M.

IMPRIMATUR

Jo. Canali Archiep. Colossen. Vicesgerens.

SESSIO QUARTA

CONCILII TRIDENTINI VINDICATA

SEU

INTRODUCTIO IN SCRIPTURAS DEUTERO-CANONICAS

VETERIS TESTAMENTI

IN TRES PARTES DIVISA

PER SACERDOTEM

ALOISIUM VINCENZI SAMMAURENSEM

IN ROMANO ARCHIGYMNASIO LITTERARUM HEBRAICARUM PROFESSOREM.

ROMÆ,

TYPIS S. C. DE PROPAGANDA FIDE

1844.

In libris Scripturae timentes Deum, et pietate mansueti quaerunt Dei voluntatem. Cujus operis et laboris prima observatio est, ut diximus, nosse libros istos; et si nondum ad intellectum, legendo tamen, vel mandare memoriae, vel omnino incognitos non habere. Deinde illa, quae in eis aperte posita sunt, vel praecepta vivendi, vel regulae credendi sollertius diligentiusque investiganda sunt, quae tanto quisque plura invenit, quanto est intelligentia capacior. In iis enim, quae aperte in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia, quae continent fidem, moresque vivendi, spem scilicet, et caritatem, de quibus libro superiori tractavimus. Tum vero facta quadam familiaritate cum ipsa lingua divinarum Scripturarum in ea, quae obscura sunt, aperienda, et discutienda pergendum est, ut ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, et quaedam certarum sententiarum testimonia dubitationem incertis auferant.

S. August. de Doct. Christ. lib. II.

PROPOSITIO I.

De Tobiae libro.

§. I. Tobiae Scriptura supplementum nuncupari potest historiae, quam legimus in libris Regum. Hujusmodi enim sunt hujus sancti viri gesta mirabilia, et vices plures, quibus subiit in vita sua, ut peculiaris illius mentio inter sacra volumina censeretur. Sumit exordium illius auctor ex Regum fastis, ubi sacer historicus (1) decem tribuum Israel captivitatem narrat in regiones Ninive sub Salmanasare rege, qui regno Israel potitus maximam hebraeorum partem exportavit in Mediam, uti legitur: « Et transtulit Israel in assyrios; posuitque eos in Hala, et in Habor juxta fluvium Gozan in civitatibus medorum. » Inter hos captivos aderat quoque Tobias, qui ob suam aequitatem a Deo non est derelictus, ac etiamsi probatus, ut aurum in fornace, variis angustiis, tamen viam rectitudinis non deseruit et ob hoc a Domino etiam vivens glorificatus fuit; quod praecipuum argumentum constituit sacri scriptoris.

Hujus historiae expositio, aetas, ac cetera, quae hunc librum componunt, adeo claritatis describuntur, ut removere videantur illud accuratum studium, quod ab interpretibus sacrarum Scripturarum saepe exquiritur, uti testatur Origenes de obscuritate disserens divinorum eloquiorum. Attamen nostra aetate aliis sub rationibus animadvertentes librum adversarii, plurimas contra illius divinitatem opponunt difficultates. Ideoque in iis explanandis totis viribus instabo (2).

§. II. Prima versatur in illis verbis de Sara: « Quoniam tradita fuerat septem viris, et daemonium nomine Asmodaei occiderat eos mox ut ingressi fuerant ad eam. » Non est quod hoc loco operam impendam explicans vocabulum *septem* in sacris Scripturis indefinite accipi adeo, ut in citatis verbis dicatur daemon interfecisse nonnullos viros, qui nuptias cum Sara inierant; cum et plura exempla hujus generis in libris sacris legantur, ex. gr. « Septies cadit justus, et resurget etc. Septies in

(1) 4. Reg. c. XVII. 6. — (2) Quae ab aliis in hoc et sequentibus libris explicata sunt, brevi percurram sermone, cetera vero, quae accuratiori explanatione digna reputantur, longius disseram.

die laudem dixi tibi. » Veluti diceret : « Saepe cadit justus ; saepe laudem dixi tibi. » Deinde nonnisi ex divina ordinatione daemon occidisse dicitur Sarae sponsos, cum et ibidem referatur causa, cur illi viri occisi essent; quod scilicet venissent ad eam non recta mente, sed tantum ut suae libidini vacarent: et ob hoc daemoni facta est potestas illos interficiendi. Hujusmodi potestas, sed circumscripta finibus, satanae data fuit, ut tentaret Job: « Et dixit ei Dominus; (1) ecce universa quae habet, in manu tua sunt; tantum in eum non extendas manum tuam; egressusque est satan a facie Domini. » Et dum in libro Tobiae dicitur daemon interfecisse Sarae maritos, in Scriptura Job legitur idem incitasse ventum vehementem, ac irruisse in domum, ubi erant filii et filiae Job, eademque corruens oppressisse illos. Pariter altera sententia (2) : « Tunc Raphael angelus apprehendit daemonium, et religavit illud in deserto superioris Aegypti. » Graecus autem legit: « Ut odoravit daemon odorem, fugit in superiores partes Aegypti, et alligavit illum angelus. » Item in Job dicit idem spiritus immundus: « Circuivi terram, et perambulavi eam. » Sed clarius hujusmodi verba habentur in Evangelio (3), ubi ex Matthaeo Dominus noster ait: « Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quaerens requiem, et non invenit. Tunc dicit, revertar in domum meam, unde exivi etc. »

Quidquid autem dictum est de malis spiritibus, qui inter homines errant in eorum seductionem et malum, ut asserunt divinae Scripturae, idem probandum de bonis spiritibus, sive de angelis, qui in custodiam nostram a Deo mittuntur. In nostro libro legitur angelus Raphael missus a Domino, ut curaret Saram et Tobiam ambos justos coram eo. Omnes vero actus hujus angeli erga Tobiam, iter nempe cum eo, illius manducatio, aliaque hujusmodi, quae humanae naturae conveniunt potius, quam angelicae, comprobantur ab eadem Scriptura Proto-Canonica. In Genesi (4) enim Dominus per angelos apparuit Abrahamo: « Cumque elevasset, ait, oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, quos cum vidisset cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi. » Ibidem orat illos Abraham, ut lavent pedes suos, et requiescant sub arbore, dum ipse festinavit ac epulas paravit

(1) Job. c. I. 12. — (2) Tob. c. VIII. 3. — (3) Matth. c. XII. 43. — (4) Gen. c. VII.

coram eis, quas comederunt. In actis apostolicis (1) angelus Domini adstitit Petro in carcere, e somno excitavit eum; et circumcingens Petrus vestimentum suum sequebatur angelum usque ad portam ferream, quae ultro aperta est eis. Nihil ergo mirandum de eo, quod exhibet historia Tobiae circa hujusmodi angeli conversationem.

Vocabula porro, quibus in sacris libris nuncupantur tum angeli Dei, cum mali spiritus, vel daemones, talia habentur, ut conformentur actionibus vel ministeriis, quibus praesunt. Et hoc clarissime eruitur e lingua hebraica, qua sancti Dei homines hebraeorum gesta exararunt. In Job ex. gr. daemon appellatur *Satan* idest *adversarius*, *inimicus:* quod scilicet hostis perhibeatur pietati ejusdem viri. In Tobia dicitur Asmodaeus juxta illius etymon שמד *sciamad perdidit*, *vastavit*, quippe qui disperdidit Sarae maritos. Ibidem angelus Dei nominatur *Raphael* ex רפא et אל *rapha hel medicina Dei* quippe sanavit Tobiam e coecitate et Saram a daemone. Eadem ratione vocatur *Michael* i. e. *quis sicut Deus*; ac ita a Daniele dicitur, et in Evangelio *Gabriel*, *virtus Dei*.

§. III. Quod autem scribitur in Tobia de angelo, qui apprehendit daemonium et ligavit illud in deserto superioris Aegypti, locum respicit, qui ab hominibus desertus est, idcirco nulli hominum nocere potest daemon. Regio enim superior Aegypti, ait Calmet in Dissertatione de daemone Asmodaeo, sterilis, arenosa, inculta, et incolis vacua, ejecto daemoni destinata est. Cum Aegypti solum nullo imbri irrigetur, atque exundantis Nili aquae ne superiorem regionem foecundent, aggere montium et soli altitudine prohibeantur, arescere illam et squallere necesse est. » Eidem obsequitur Hubigantius in hunc librum dicens: « Ligari daemon dicitur, cum potestas ejus coercetur, neque vero in reprehensionem incurrere potest eadem loquendi forma, quam adhibuit in Evangelio Christus Dominus. Ideo vero in Aegypto superiori relegatus fuit, quia haec erat a Media longissime remota ita, ut Asmodaeus jam non posset vexare juvenes maritos. Nam daemonia vexare homines non possunt, nisi adsint ipsi apud homines, et nisi his rebus, quae in terra eveniunt, tanquam objectis praesentibus moveantur. Dei est solius ubique esse praesentem. Mentes daemoniorum adsunt, cum eis conceditur,

(1) Act. Apost. c. XII.

quibusdam in locis, non simul in omnibus, neque adeo nocere ibi, ubi non sunt, possunt, quod ipsum nos docet angelus, dum relegat Asmodaeum in remotissimas regiones. »

Sub eadem ratione probatur, et explicatur angeli Dei Raphaelis conversatio cum juvene Tobia. Hic enim, virili specie sumpta, loquitur, ambulat, comedit ceteraque negotia humana conficit, quamvis spiritus simplex, et ab his actionibus omnino alienus. Et hoc idem testatur angelus dum Tobiae patri ac filio loquitur (1): « Etenim cum essem vobiscum, per voluntatem Dei eram; ipsum benedicite, et cantate illi; videbar quidem vobiscum manducare, et bibere, sed ego invisibili cibo, et potu qui ab hominibus videri non potest, utor. » Omnes divinae Scripturae, praeter eas, quas citavi, novi, et veteris Testamenti, confertae sunt hujusmodi exemplis, ac ubique ministerium angelorum vario genere, a sanctis viris nobis descriptum exhibetur. Cum jejunasset Jesus in deserto quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, angeli adsunt, et ministrant ei. Angelus de coelo veniens confortat Jesum in agonia. Haec tradit evangelica historia. Veruntamen hi omnes actus hujusmodi sunt, qui dum a nobis probantur, mentis nostrae captum superant, et explicari nequeunt. Audebit ideo quis haec negare? Quis inficiari poterit animae nostrae actionem in corpus, et e contra, corporis actus in spiritum? Prima simplex est ac partibus destituta, alterum membris gravatum, et nullimode coalescere videtur spiritui. Attamen universim accipitur, et fide tenetur corpus nostrum in spiritum agere, et ex adverso spiritum in corpus actionem exercere. Item dicendum de aliis entibus spiritualibus, quae nunquam concipientur, dum hoc mortali corpore induimur. Nostra quidem natura, etsi spirituali substantia ditata, talis est ut dum inferioribus animantibus merito discernitur, et illis praestat, mortales tamen exuvias induens, relate ad eas simplices naturas, dicam angelicas, et omnino materia expertes, inferiorem se illis habeat; ac ideo ne concipere quidem potest qualitates earumdem substantiarum simplicium, nec earum agendi modum explicare. Nunquid ne hoc negare poterit quisquam, qui mentem suam novit infirmiorem illis supernis intelligentiis, ac ab illis prorsus variam? Nullo modo.

Praeterea relate ad hujus historiae expositionem, sicuti et de

(1) Tob. c. XII. 18.

aliis Scripturae libris, scriptores inspiratos observandum est, aliquando simplices adeo dicendi modos servasse, ut ab omnibus in iis scriptis legendis facile caperentur. Ac reapse omnia Dei attributa in divinis Scripturis adeo nobis objiciuntur, ut non divinam substantiam simplicem, neque spiritum, Deum existimemus, sed veluti corpus, ac ideo omnibus, et variis vicibus obnoxium, quibus genus humanum subiit. Modo enim, a sacris scriptoribus pingitur Deus, monti Sinai adstans, seu ambulans, alias legimus Deum stricto ense pereurrere, et disperdere exercitum, nunc ut regem solio assidentem, nunc ut judicem, modo veluti hominem oculis perspicacibus ditatum, qui omnes humanos actus intuetur, praeter alias hujusmodi species, quibus a Prophetis nobis revelatur Deus. Nunquid dicendum esset ita se habere Deum, quemadmodum in biblicis sententiis profertur? Idem generatim probatur de aliis spiritibus, quorum mens nostra non capit essentiam, et a sensibus nostris alienantur.

Sed esset ne, quaeso alterum loquendi genus de hujusmodi spiritibus, quam quo utuntur divini scriptores? Quomodo carnalis homo disserere potest de hujusmodi substantiis a sua natura diversis, nisi vocabulis usus, quae ab objectis materialibus petita ad ea, quae spiritualia sunt, explananda conducunt? Homo enim, quae primum sensibus expertus est, mente colligit, ac deinde rerum qualitates discernens, eas nomine appellat, insuper vi spirituali praeditus et sese a terrenis distrahens, illis eisdem vocabulis res suprannaturales nuncupat; eademque lege omnes quoque facultates spiritui propriae, verbis metaphorice dictis, ab eo describuntur, veluti spiritus illas proprietates possideret, eum nequaquam dici possit, has spirituales substantias hujusmodi actus perficere. Haec consuetudo universim Scripturis sanctis communis effertur, quarum auctores licet scientia coelesti ditati, attamen nisi hominum lingua significare potuere Dei voluntatem, dictionibus nempe ac phrasibus usi, quae inter homines conventione inventae sunt ad invicem proprios usus exprimendos. Idcirco recte Abenezra verba Exodi interpretatus: « Et descendit Dominus super montem Sinai » docet: « Et quando vult homo loqui de praestantioribus se, quae sunt de mundo superiori, descendere facit elevationem eorum usque dum assimilentur homini, ac si essent hominibus similia; et hoc fit, ut audiens intelligat, ex. gr. Os Domini locutum est; vultus Domini in facientes malum; et descendit Dominus; et similia. » His animadversis,

leviter solvuntur difficultates de daemonis Asmodaei actibus, quemadmodum ibi tradit Scriptura, scilicet: « Daemon diligit eam; interfecit viros illius; fugabitur daemonium, Asmodaeus odoratus est odorem fumi, et aufugit; angelus apprehendit et religavit illum in partes superiores Aegypti » aliaque hujus generis, quae passim in divinis Bibliis occurrunt. Et haec omnia sacri auctoris simplicitati, et illius temporis communi opinioni est tribuendum; ut hoc etiam probat sanctus Hieronymus in Hieremiam (1): « Multa in Scripturis sanctis dicuntur juxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, et non juxta quod rei veritas continebat. » Ac ita ex eodem libro eruitur, qui alias aperte innuit, quomodo daemon revera agit in impios, et quomodo sit ipse expellendus a nobis, et quomodo Deus aequissime omnia disponit. Dicit enim (2) angelus Tobiae juniori: « Ostendam tibi, qui sunt, quibus praevalere potest daemonium. Hi namque qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et suae libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem daemonium super eos. » Recte quidem Sara in sua oratione dicit (3): « Aut ego indigna fui eis, aut illi forsitan me non fuerunt digni. » Item Tobia et Sara pariter ad Deum conversi deprecantur eum, ut in gloriam suam ambo consenescant.

Quidquid porro ibidem (4) de jecore piscis, utpote quod super carbones positum extricet omne genus daemoniorum, arguunt, adversarii ut incantationes, quae in lege Moysis vetantur, fere eodem modo, ac supra dicta expendi potest. Verba Scripturae ita se habent: « Cordis piscis particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus daemoniorum sive a viro, sive a muliere; » quod in ipsa prima nocte Tobias una cum Sara perfecit angeli monitu. Sed vere, inquam, jecoris combusti fumus daemonium expulerit, an potius per preces, quibus Tobia cum Sara noctu vacarunt, et ob finis eorum aequitatem, qua nuptias inierunt, incolumitatem ambo consecuti fuerint? Mihi videntur neque Sara, neque Tobia in fumo jecoris incensi magis confidisse, quam orationibus ad invicem coram Deo effusis. Ita enim Tobias hortatur sponsam: « Sara exurge, et deprecemur Deum hodie et cras, et secundum cras, quia his tribus noctibus Deo

(1) Hieron. in Hierem. c. XXVIII. — (2) Tob. c. VI. 16. — (3) Tob. c. III. 19. — (4) Tob. c. VI. et VIII.

jungimur ; tertia autem nocte in nostro erimus conjugio. » Et quid precati sunt illis verbis ? Nisi ut a daemone et a morte evaderent ; quemadmodum Jesus Christus Apostolis dicit : « Hoc genus daemoniorum non expellitur nisi per orationem et jejunium. » Illud autem jecur incensum et fumus illius, nisi signum habentur extrinsecum, quo conjugibus ab angelo praesignabatur, eadem hora spiritum malum cohibitum fuisse, ne eis noceret. Ac ipsi quoque conjuges preces effundentes putabant jecur piscis atque fumum nihil daemoni officere, nisi puritate cordis mentisque rectitudine Deo fisi, sibi adjumenta ab eo expetiissent ; et cum sub hoc symbolico suffitu orationes amborum ad Dominum elevarentur, ibi daemonii coarctatio, et fuga exprimebatur. Hoc idem conformatur illi, quod fecit Eliseus (1) in fonte aquarum, in quas jecit sal : « Et sanatae sunt aquae usque ad diem hanc. » Quodque dictum fuit ab eodem Propheta Naaman Syro, ut sese lavaret septies in aquis Jordanis et a lepra curaretur, quod item fecit Jesus in Evangelio, qui luto caeci oculos linivit et sanatus est. Haec porro signa extrinseca nil efficerent, nisi fide curandorum roborata. Et cum angelus Raphael in Tobia daemonis fugam exposuit ob jecoris piscis suffitum, gestis Prophetarum, et Salvatoris conformatur, qui sale, aqua, et luto infirmitates curaverant, quamvis nullum, ad opus ex his elementis inveniretur remedium.

Haec eadem referantur ad alteram jecoris partem, qua linivit Tobias filius oculos patris sui, licet, ut notant Celsus, Plinius, Galenus, Elianus, animalia quaedam hominum saluti prosint. In his Celsus, teste Serario in Tobiam, censetur, qui fel adhibet ad medicamenta praesertim in oculorum vitiis. Clarius libro XXXII. c. 7. hoc dicit Plinius. « Callionymi fel cicatrices sanat, et carnes oculorum supervacuas consumit .... et Coracini fel excitat visum ; et marini Scorpionis rufi cum oleo vetere, aut melle attico, incipientes suffusiones discutit ; inungi ter oportet intermissis diebus. Eadem ratio albugines oculorum tollit. » Causam vero physicam hujus pharmaci quidquam contulisse Tobiae visui, quodammodo eruitur ex eodem sacro textu (2) : « Tunc sumens Tobias de felle piscis linivit oculos patris sui ; et sustinuit dimidiam fere horam ; et coepit albugo ex oculis ejus quasi membrana ovi egredi, quam apprehendens Tobias traxit ab

(1) 4. Reg. c. II. 22. — (2) Tob. c. XI. 13.

oculis ejus, statimque visum recepit. » Probatis etiam hujusmodi et eisdem causis in Tobiae bonum, nihilominus patet divina providentia, quae cuncta creata usui humano concessit, hominemque docuit quomodo ex his sanitati suae consuleret in majorem ejus gloriam, quae beneficia hominibus affluenter elargitur.

§. IV. Dum Bibliorum nostrorum immorales actus redarguunt adversarii, opponunt ex Tobiae Scriptura angeli Raphaelis mendacium (1) cum ille a Tobia patre rogatus de qua tribu esset, respondit; ego sum Azarias Ananiae magni filius. Ast cum hucusque simplicitatem Dei, angelorum, aliorumque spirituum pertractaverim, quid urgent contra libri divinitatem, angeli Raphaelis verba pronunciata coram Tobia patre, dum sese ait esse Azariam magni Ananiae filium? His verbis non mendacium neque dolus inest, nam, ut dixi, cum sint simplices, neque corpus, neque personam, neque humanas actiones gerunt, nec inde a mortalibus videri possunt. Veruntamen quando divina auctoritate cum hominibus versantur angeli, cum eis loquuntur, seu agunt, quamvis mirabili modo hoc fiat, attamen more humano illi agant, incedant, loquantur oportebit, et dum hoc perficiunt, personam quamdam gerunt, spolia induunt, et sensibus nostris objiciuntur. In hac historia angelus ad Tobiam venit, cum eo alloquitur, via incedit, manducat; ideoque cujusdam viri vultum protendebat. Hoc sub intuitu angelus, dum ait se esse Azariam magni Ananiae filium, non mentitur, cum species humana ab eo sumpta, persona erat vera Azariae ab alto genere nati, ac in omnibus, ut ille ipse vir, actus humanos perficiebat. Nullum ergo probatur mendacium in sermone angeli cum Tobia. Cum vero ministerio suo functus fuerit Raphael, et Tobiae dixerit, se angelum Dei, sive spiritum esse, persona Azariae evanuit, actio humana cessavit, et invisibilis hominibus factus, ante thronum Dei in coelo versatur.

Tandem et alio modo, symbolice dicam, accipi possunt ea nomina *Azaria* et *Anania*; nam ea vocabula vere exprimunt quae dixit, et fecit Dei angelus. In semitico sermone *Azaria adjutorium Dei* sibi vult, et *Hanania misericordiam Dei*, quae vocabula prorsus adaequant huic historiae, dum Anania sive misericordia Dei mittit Azariam, seu adjutorium suum Tobiae, quo potissimum ei opus erat.

§. V. Contra vero instant adversarii dicentes ab Assyriis ex-

(1) Tob. c. V. 18.

cepisse hebraeos doctrinam de malis et bonis spiritibus, eorumque nomina, quae res maxime hac in Scriptura Tobiae locum habet, et infirmatur ideo libri divinitas. Haec opinio christianorum decori minime respondet. Nam quod ipsi dicunt in captivitate ab assyriis haec eadem didicisse, de eo ipso una arguendi essent ipsi Evangelistae, qui bonum angelum Mariae nuncium, vocant Gabriel; et mali spiritus, Satan, Beelzebub, Legio nominantur eadem fere nominis relatione, qua dictus est Asmodaeus hoc in libro, ac insuper eadem ratione, actus bonorum vel malorum spirituum in novi Foederis Scripturis exponuntur. Neque vero probandum est, ab Assyriis accepisse hanc doctrinam hebraeos, nam et anteaquam illuc emigrassent, eadem loquendi forma inter eos viguit. Nam in libro Genesis, serpentis describitur cum Eva conversatio, et sub hoc vocabulo ibidem malus daemon exprimitur, quippe qui homini insidiatur. In eodem libro, paulo post legitur Dominus collocasse ante paradisum voluptatis Cherubim ad custodiendum viam ligni vitae. In libris Regum dicitur spiritus malus egisse in Saulem, aliaque hujusmodi, quae hinc inde occurrunt in Scripturis.

§. VI. In libri divinitatem arguunt pariter adversarii dicentes in Tobiae libro legi sententias nonnullas minime aliis Proto-Canonicis congruas; Ita ex. gr. Bona est oratio cum jejunio (1) et eleemosyna magis, quam thesauros auri recondere. Quoniam ea a morte liberat; et ipsa est, quae facit invenire misericordiam, et vitam aeternam. » Et alia hujusmodi, quae hac in Scriptura et alibi librorum Deuterorum leguntur. Quivis percurrit etiam Biblia Proto-Canonica veteris Testamenti, similia verba acceperit ac simul noverit opera bona continere virtutem, qua homo assequitur justificationem. Ubicumque enim in veteribus ac novis Scripturis morales actiones praedicantur, eisdem ferme verbis sumuntur, ac eodem sensu, quo reputantur in Bibliis Deuteris; ac insuper iis in actibus colligitur, ac stabilitur fides in eum, qui venturus erat, Redemptorem, et haec fides non mortua tamen, radix erat justificationis. Cum Dominus noster in Evangelio caritatis fraternae actus commendet, eam dictionem accipit, sicuti in veteri Testamento praedictum est; dicit enim: « Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur. » Vana essent haec Salvatoris verba, nisi ibidem subintellecta fuerit fides, quae

(1) Vid. par. I. p. 11. et Tob. c. XII.

operibus caritatis sociata justificationis spem comparat creaturae, simulque justificationis fructum, vitam aeternam. Verba citata Tobiae merito conformantur illis, quae dicuntur a divo Luca in actibus Apostolicis (1) de Cornelio: « Corneli, exaudita est oratio tua et eleemosynae tuae commemoratae sunt in conspectu Dei» atque prae his operibus ad lavacrum vitae accessit Cornelius, et ex quibus a Deo ab errore ad viam veritatis vocatus fuit, ac donum fidei adeptus. Praeterea omnes veteris Testamenti patriarchas aliosque pios viros coram Deo fuisse justificatos, tum ex operibus legis, tum amplius ex fide illis operibus adnexa, ait Epistola ad Romanos, et praesertim ad Hebraeos, quae omnimode versatur in expendendo, fidem praesertim opera legis meritoria fecisse. Ibidem Apostolus memorat patrum suorum gesta, ac ab illis arguit, eos fide fuisse justificatos. De Enoc enim ita scribit: (2) « Enoc translatus est . . . . . Ante translationem autem testimonium habuit placuisse Deo; sine fide autem impossibile est placere Deo. » Quo ex loco certissimum sumitur argumentum. Nam Enoc in Sacra Scriptura fidem habuisse non legitur, sed solum placuisse Deo. Monstravit igitur Apostolus Enoc etiam fidem habuisse, quia placuit Deo, cui sine fide placere est impossibile. Quod vero sermo de actu fidei sit, manifestum est, cum e vestigio causam Apostolus reddat: « Accedentem enim ad Deum oportet credere quia est, et requirentibus se remunerator sit. » Jacobus quoque sua in Epistola Catholica adstruit veteres israelitas fide et operibus justos et amicos Dei appellatos esse. Ita enim ait (3): « Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens filium suum Isaac super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, et ex operibus fides consummata est? » Eadem ratione interpretanda sunt Tobiae verba in loco citato; ibi namque traditur Tobia placuisse Deo ex operibus, ac simul eruitur ipsum Tobiam credere Deum esse, et ex hac fide reputabat se vere consecuturum fuisse misericordiam apud eum. Item enucleanda sunt, quae leguntur in capite tertio Ecclesiastici, et alibi de eisdem versata.

§. VII. Denique investigandum superest quis hujus Scripturae fuerit auctor, prout nunc illam habemus. Primum, videtur hic liber in Assyria fuisse exaratus. Utrum vero hujus libri dictio originalis fuerit chaldaica, an hebraica, et utrum codex chal-

(1) Act. Apost. c. X. 31. — (2) Ad Hebr. c. XI. — (3) c.II.21.

daicus, quem prae manibus habuit Hieronymus, et latinis auribus donavit, vere extiterit exemplar apographum hujus Scripturae, adhuc ignoratur. Discrepantia autem, quae exurgit inter Hieronymi versionem, et Septuaginta interpretationem, cui viro, vel causae assignari possit, latet. In utrisque seu chaldaico textu, sive alexandrino omnia generatim conveniunt. Expositio vero ut clarior videtur ea, quam tradunt Alexandrini Interpretes, et acceptaverunt primaevi doctores Ecclesiae Christianae. Huetius de hoc libro disserens hanc graecam versionem ceterarum maxime puram et archetypo consentientem judicavit. Certum quidem est, uti probatum fuit, ubi egi de phrasi Scripturarum Deuterarum (quae prorsus semiticae linguae, e qua translata sunt sacra Biblia, conformatur) Tobiae librum versum esse Alexandriae tum, cum et alii Bibliorum veterum libri ex hebraeo vel chaldaeo traducti sint. Simplicitas enim hujus translationis graecae Tobiae cohaeret aliis Scripturis, quae item traductae sunt ex hebraeo in graecum. Opinio vero mea, sed meliori submissa judicio, hujusmodi sese haberet, approbata (juxta quod antea expendi de origine et lingua Deuterorum librorum locutus) phrasi semiticae affinitate, hoc volumen fuisse exaratum hebraice, sive chaldaice in captivitate Babylonis; et cum a Ptolomaeis hebraei in fidem recepti essent, ac plurimi illorum e Media, Perside aliisque regionibus profecti, in Aegyptum emigrassent, teste Flavio, et ibidem foret conflata ex hebraeorum codicibus graecanica versio, liber quoque Tobiae translatus fuerit, arbitror, ex hebraeo in graecum et partem constituerit earum Scripturarum, quae in codice alexandrino leguntur hucusque aetatis servatae.

E supra dictis porro et ex aliis, quae dicuntur infra, quorumdam patet error, et inter hos Moldenhawer, qui doctrinae sanctitatem mirati in Tobiae libro, eamque valde similem institutioni evangelicae probantes, ex veteris Testamenti Scripturis hunc transtulerint ultra novi Foederis aetatem; nempe post Cbristi incarnationem scriptum fuisse aestimarunt, illiusque auctorem vixisse obeunte saeculo christiano primo, seu quoque eo tempore serius. Haec opinio parum praestare videtur; priores enim Ecclesiae patres ut scriptorem, seu Prophetam veteris Foederis nuncuparunt Tobiam. Irenaeus de Haeresi ophitarum, qui saeculum apostolicum pertigerunt, ait illos habere ut Prophetas Eloei, Tobiam et Aggaeum. Clemens alexandrinus historiam Tobiae censet inter alias veteris Foederis Scripturas, illamque locum ha-

buisse dicit in captivitate Babylonis. Hyppolitus portuensis episcopus, Tertullianus, ne dicam Origenes, pariter testantur ante Christi adventum exaratum fuisse Tobiae librum adeo, ut etiam Jahn illud ingenue fateatur.

His explanatis, quae videbantur divinitati libri nocere, et nonnihil difficultatis tironi conferre in eo ipso legendo, cetera sedulus hujus Scripturae interpres facile diluit, eum ipsi praesto sint alii periti Bibliorum commentatores, qui verbotenus hoc opus aggressi sunt, uti Alapides, Calmet, et speciatim Serarius, qui accurate in historiis Deutero-Canonicis explanandis versatus est.

PROPOSITIO II.

De libro Judith.

§. I. Expeditionem narrat hujus libri auctor per Holofernem mandato Nabuchodonosori susceptam contra gentes, quae imperium illius contempsere. In his censebantur filii Israel, qui impetum assyriorum valde veriti, confugerant ad Deum, ut e tanto discrimine eriperentur. Deus, cujus potestas et virtus invicta, populum sibi acceptum liberat per manum foeminae, quae castra hostilia ingressa prope Bethuliam sita, coelesti munimine adaucta obtruncavit cervicem Holofernis, gentemque judaeorum incolumem servavit.

Hoc simplex specimen est historiae Judith. Ponderatis vero omnibus circumstantiis, quae eamdem complectuntur, maximis involuta est difficultatibus, et hujusmodi se habent, ut interpretes inter se valde dissenserint in ejusdem expositione. Nonnulli enim ante Babylonis captivitatem deposuerunt gesta Judith, alii e contra post hebraeorum reditum, sive post tempora Cyri collocarunt historiam, neque tamen hi postremi convenerunt de aetate ac rege persarum, sub cujus imperio haec acciderunt. Alii ut facilius e difficultatibus evaderent, allegorice omnia interpretati sunt. Ideoque ab incepto non desistens, et libertate usus, qua me donavit Augustinus scribens: «In dubiis libertas» perscrutatum accedam hanc Scripturam, totisque viribus hoc opus aggressus, vias exquiram, quibus prout fieri potest, omnia hujus historiae argumenta diluam, et adeo expendam, ut in ipsa pateflat veritas hebraeorum historiae congrua, aequitati conformis, humanae rationi consentanea, ac potissimum divinitati, quae historici manum moderata est.

§. II. Primum, parvi momenti opinio habetur illorum, qui asserunt Judith Scripturam inter allegorias, sive parabolas computari. Grotius ex his id excogitavit, et inter fabellas numerat hunc librum, cujus auctor, ait, consilium sumpsit illum scribendi, ut judaei ab Antiocho Epiphane vexati in spe coelestis auxilii confirmarentur. Symbolice ob hoc interpretatur virorum nomina, qui memorantur hac in historia. Haec utique ingeniosa sunt inventa; sed hujusmodi norma, omnia quoque hebraeorum gesta parabolice explanarentur, Abrahami, Isaaci, Jacobi histo-

riae, fasti mosaici, Iosue bella, Judicum gesta, Saul et Davidis regna, ceteraque in aristocratia, et monarchia hebraica patrata. Nec arduum hoc erit, varie sumptis etymologia virorum et rerum significationibus. Sed quid inde fieret? Omnia Scripturarum facta evanescent, nihilque superesset, nisi figmentum illis simile, quae ethnici in vetustis et obscuris aetatibus vane suis in historiis commenti sunt de illorum regibus ac diis. His adde Grotii aliorumque argumenta circa hujus Scripturae allegoriam humano sensui repugnare; ibidem enim agitur de Achior, cujus familia, ait hujus Scripturae auctor, ad suam aetatem usque in Israel censebatur, quippe qui circumcidit carnem praeputii sui. Genealogia Judith de tribu Simeon, Manassis viri sui casus mortis repentinus, dum in agro instabat messoribus, sacerdotum nomina, ceteraque, omnem parabolae speciem sustollunt, et probant historiae veritatem.

§. III. Secundo, historia Judith minime antevertere potest monarchiam hebraicam, neque ejusdem aetate habere locum. Sed revera aevum captivitate babylonica serius postulat. Opinio huic sententiae adversaria Scripturae verbis opponitur. In capite v. juxta Vulgatam editionem, Holoferni Achior enarrat gesta filiorum Israel ex Abraham ad sui usque aevum, et recenset quomodo ab Aegypto egressi per desertum, annos quadraginta, eraverint et septem gentibus chananaeis prostratis, terras eorum, et civitates possederint: « Et usque dum non peccarent in conspectu Dei sui, erant cum illis bona, Deus enim illorum odit iniquitatem. Nam et ante hos annos cum recessissent a via, quam dederat illis Deus, ut ambularent in ea, exterminati sunt praeliis a multis nationibus, et plurimi eorum captivi abducti sunt in terram non suam. Nuper autem reversi ad Dominum Deum suum ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunati sunt, et ascenderunt montana haec omnia, et iterum possident Hierusalem, ubi sunt sancta eorum. » Eadem describuntur in codice graeco, sed perspicue magis. Ibi enim dicitur: « Postquam ejecerunt Chanaam .... habitaverunt in terra eorum diebus multis et usque dum non peccarunt coram Deo eorum, fuerunt bona cum eis, quoniam Deus, qui odit iniquitatem, cum eis est. Quando autem defecerunt a via, quam proposuit eis, perditi sunt bellis multis valde valde, et captivi ducti sunt in terram non suam, et templum Dei eorum solo adaequatum est, et civitates eorum hostibus subditae fuere. Nunc conversi ad Deum suum

ascenderunt e dispersione, qua dispersi fuerant, et obtinuere Hierusalem, ubi Sanctuarium eorum, et habitaverunt in montanis, quoniam erat desertum. » Haec verba adeo patent, ut destruant hypothesim, hanc historiam nempe praecessisse captivitatem judeorum in Assyria. Insuper et alia animadvertantur. Assyriorum imperium latet tam longe et spatiose extensum fuisse, sicuti in duobus primis hujus libri capitibus describitur, nisi post Cyri persae irruptionem in Assyriam, in Graeciam asianam in Aegyptum ac alias orientales plagas; et Aegyptus eadem haud plane assyriis cessit, nisi post Judaeae captionem, quemadmodum de ea vaticinatus est Hieremias. Item dicatur de Cilicia aliisque regionibus Occidentis, quae juxta Herodotum traduntur a Cyro primum, et a Dario dein subditae fuisse (1).

Praeterea, quod ibidem cap. I. dicitur de Nabuchodonosoro, qui misit legatos in omnes civitates usque ad terminos Aethiopiae, prorsus conformatur Scripturae Esther, cujus historia profecto Cyri aetati inferior extat. In capite enim illius I. habetur: « In diebus Assueri, qui regnavit ab India usque Aethiopiam super centum et viginti septem provincias, quando sedit in solio regni sui etc. » Item historia (2) Judith pro assyriorum nomine succedunt vocabula *medi et persae*: « Horruerunt persae constantiam ejus et medi audaciam ejus. » Ambo nomina a Daniele Propheta ab Esdra, et speciatim in libro Esther aptata sunt ad indicandum regnum persicum, universam Assyriam affinesque provincias comprehendens. Ita namque loquitur (3) Mamuchan Assuero: « Si tibi placet, egrediatur edictum a facie tua, et scribatur juxta legem persarum et medorum, quam praeterire illicitum est. » Insuper *Bagoa* nomen persicum est, hoc ajunt Plinius et Diodorus Siculus, eoque appellabatur servus aulae regis; et hoc legitur in historia Judith, ex quo regem eruitur tunc imperantem assyriis ad dynastiam persarum attinere a Cyro fundatam.

Etsi, voluerimus, juxta quorumdam interpretum opinionem,

(1) Hoc in tractatu nobis una cum Vulgata latina, praesto erit quoque textus graecus Septuaginta juxta codicem vaticanum, qui cum sit longiori sermone traditus, quidquam claritatis auget sacrae historiae. Ille enim codex universim hoc in libro convenit alii vetustiori codici britannico, sive alexandrino, et satis commendatis editionibus aldinae et complutensi, exceptis quibusdam variis lectionibus ex incuria amanuensium repetendis, quae nullam historiae conferunt diversitatem, uti Lambertus Boss in editione codicis vaticani ostendit. — (2) Jud. c. XVI. 12. — (3) Esth. c. I. 19.

sub monarchiam hebraicam, Judith gesta remittere, haud mihi hoc videtur satis par, cum siluerit historicus ubique hujus Scripturae, nomen regis, qui tunc temporis Judae et Israel imperabat; atque aliter ex Libris Regalibus percipiamus stante hebraeorum monarchia, qualis foret civilis regiminis ordo, et quale sacerdotale munus; siquidem ambo vario modo variisque viris exercebantur. Et si regis obitus, vel morbus inveteratus illum semoveret a regimine, filius haeres judicabat populum terrae una cum senatu, negotiaque forensia perficiebat, uti factum est sub Joas, qui regnare coepit anno septimo vitae suae, et sub Johatan, qui regebat populum Judae, cum pater ejus lepra laboraret (1). Caput IV. Judith satis aperte probat conditionem populi Israel e captivitate reversi, et nulla mentio ibi habetur de rege Judae neque Israel. Summus sacerdos Eliachim, qui apud Septuaginta dicitur Ioachim (nomine etsi vario, eodem tamen significatu) in Hierusalem senatusconsultu, curam gerebat populi, omnium scilicet tribuum, quarum plurimi e captivitate reduces post Cyrum incoluerunt terram patrum suorum. Et hac ex metropoli, senatus statuta, aliarum civitatum senioribus committebantur; sicuti et ex aliis hujus Scripturae sententiis colligitur. Et quid est hoc, nisi regiminis complementum, quod ab Esdra statutum fuit in populo Dei statim ac e captivitate babylonica in patriam sese recepit? : « Tu autem Esdra (2) (testatur illius liber primus) secundum sapientiam Dei tui, quae est in manu tua, constitue judices, praesides, ut judicent omni populo, qui est trans flumen, his videlicet, qui noverunt legem Dei tui, sed et imperitos docere libere. Et omnis, qui non fecerit legem Dei tui, et legem regis diligenter, judicium erit de eo, sive ad mortem, sive in exilium, sive in condemnationem substantiae ejus, vel certe in carcerem. » Quod et ipse Esdras egit cum congregasset de Israel principes familiarum, qui ascenderant secum de Babylone in regionem suam.

Ordo autem legis civilis et religiosae ab Esdra institutus in regno Judae et Israel exacte servatur et percipitur in Judith historia. Talmudistae hunc senatum *Sanhedrim magnum* vocarunt, et ex ejus nutu pendebat omnis respublica sacra, et civilis. Praeterea Talmudistae iidem asserunt singulis inferioribus urbibus institutos alios senatus, ubi viginti tres viri censebantur.

(1) 2. Paral. c. XXVI. 21. — (2) Esd. c. VII. 25.

qui res minoris momenti decernebant. Et haec omnia constituta sunt in Israel post reditum e captivitate, in quibus etiam numeratur consilium illud, quod Bethuliae (1) congregatum est, cui praeerant Ozias filius Micha de tribu Simeon, et Charmi, qui et Gothoniel, aliique presbyteri civitatis. Campegius Vitringa in libro inscripto - De synagoga veteri cum Ecclesia Christiana collata, in forma regiminis - plura tradit de hebraica republica post captivitatem ex rabinorum libris sumpta, illis prorsus similia, quae traduntur in Judith historia.

Tandem Judith in oratione, quam ad Dominum extulit, dicit conditionem populi Israel hujusmodi se habere, ut nullus in ea terra inveniretur populus, neque vir, qui non coleret Deum Coeli, idolis gentium de medio illorum sublatis, quod quidem ante captivitatem vix probari potest; dicit enim Judith (2): « Quoniam non surrexit in generationibus nostris, neque est in die hac neque tribus, neque patria neque populus neque civitas ex nostris, qui adorent Deos manufactos, quemadmodum evenit diebus qui nobis praecesserunt, quorum causa dati sunt in gladium, in dispersionem patres nostri, et ceciderunt lapsu magno coram inimicis nostris. » Eusebius in suo Chronico, Hieronymus, Augustinus, Ephraemus syrus in Ezechielem aliique Ecclesiae doctores veteres universim Judith historiam post captivitatem collocant, etsi inter se non conveniant de illius aetate facti. Ex his Hieronymus in c. XIV. 2. Isaiae ait: « Potest et intelligi temporibus Assueri, quando occiso Holoferne, hostilis ab Israel caesus est exercitus. »

§. IV. Qui autem non ausi sunt historiam Judith collocare post Cyri aevum, mihi videtur timor eorum in eo versari, quod arduum illis appareret, locum et aetatem statuere, qua ea gesta sunt in Israel. Ast, quaeso, scire cuperem, quibuscum mihi disserendum est de hac re, an cum hebraeis, an potius cum christianis? Etenim si mihi de hujus historiae aetate agendum est coram christianis, vel leviter cogito, eos meae opinioni assensuros, cum chronologia veterum scriptorum tum ethnicorum, tum christianorum, intervallum satis spatiosum praebeat in monarchia persica, ubi gesta Judith assignentur, quin ulla instet oppositio Scripturarum. Profecto scriptores profani unanimi sententia, regnum persarum fatentur perdurasse longiori aevo,

(1) Jud. c. VI. 11. — (2) Judith. c. VIII. 18 juxta 70.

quam illud faciant synagogae hebraicae magistri. Chaldaei, aegyptii, graeci, romani persicae monarchiae assignarunt aetatem fere biscentum annorum, quibus varia multaque fata subiit illud imperium. Xenophontes ex illis, Polybius, Plutarchus, Cornelius Nepos, Diodorus Siculus veterum gentium fastos colligentes, regum persicorum censionem fecere, qui aperte aetatem praedictam confirmant. Ex eisdem scriptoribus educitur monarchiam persarum, juxta seriem accuratam, duodecim seu tresdecim reges numerare, qui dicuntur Cyrus, Cambyses, Magi, Darius Hystaspes, Xerxes, Artaxerxes Longomanus, Xerxes secundus, Darius Nothus, Artaxerxes Memnon, Artaxerxes Ochus, Arsames Ochi filius, Darius Codomanus. Quamvis autem, ut dicebam, cujusque illorum anni non habeantur certi, nihilominus de universa monarchiae aetate fere conveniunt praedicti historici. Sed parum esset ab ethnicorum monimentis hanc collationem excerpere, nisi Ecclesiae scriptores quoque nobis suffragarentur. Clemens alexandrinus libro 1. Stromatum ait: « A capta autem Babylone ad mortem Alexandri, anni centum octoginta sex. » Africanus pariter, Eusebius, Hieronymus, Syncellus huic opinioni cohaerent. Vossius, Pridaux, Pezron aliique, persarum regum seriem ad eam aetatem retulere; ex quo hauritur ethnicos et christianos scriptores hoc in censu convenire. Tantummodo judaei nobis in hoc adversantur; multis enim silentio mandatis persarum regibus, firmo tenent regnum persicum in Assyria per annos tantum quadraginta duos stetisse. Sed hujusmodi discrepantia, et quidem maxima, nostram revocat mentem, ut probetur quis horum, utrum hebraei, an gentiles et christiani fidem nostram mereantur. Christiani et praesertim gentiles obtestati sunt sine partium studio monarchiam persarum tot annis permansisse, historicorum, qui eos praecessere, auctoritate suffulti. At contra agultur de hebraeis, qui haud absque malitia tam brevem aetatem concesserunt persarum imperio in Assyria. Flavius censetur inter eos, quasi primus, qui in libris Archeologiae hebraicae hunc calculum reducit, cui ceteri magistri synagogae obsequuntur. Id clare adstruit nuper celebratus Pezron capite undecimo - De Antiquitate temporum - . Is contra judaeos disserit, non quatuor tantum numerari reges persarum; ideoque scribit: « Haec utique artificiosa est hebraeorum ignorantia nonnisi ex intima illorum improbitate emanans. Eorum namque magistri bene noverunt graecos, romanos, plures persarum re-

ges numerare, quam ipsi censebant. At ipsi veteris synagogae falsam traditionem sequi malunt. En verba, quae satis eorumdem malitiam proferunt, excerpta e *Seder Holam Rabba*, quod est hebraeorum chronicon : - Secundum gentilium calculum fuerunt quindecim reges Persidis ; at secundum seriem doctorum nostrorum quatuor fuerunt reges. » De hac malitiosa reticentia hebraeorum circa persarum reges, conqueritur idem Hieronymus in Danielem cap. VI. ubi scribit : « Alios tres reges post Cyrum fuisse persarum autumant, et quae illis sunt nomina reticent. Nos vero, quum post Cyrum, qui regnavit annis triginta, sciamus apud persas regnasse Cambysem filium ejus, et fratres Magos, et deinceps Darium, cujus secundo anno, coeptum est aedificari templum Dei Hierusalem etc. » Inde censitis aliis regibus persarum, quos quatuordecim fuisse credit usque ad Darium, concludit : « Quomodo tres reges persarum fuisse dicemus ? » Neque excogitandum est, addit Pezron, judaeos gratis annos hujus monarchiae breviasse. Noverunt christianos, collatis hujus regni annis, hac aetate usos fuisse ad patefaciendum Messiae adventum, civitatis Hierusalem templique ruinam, indeque excipiebant aeque eosdem interpretatos esse septuaginta hebdomades Danielis Prophetae, qui illam aetatem et eventum adamussim praevidit, et his tam patentibus argumentis cum mentiri non valuissent, hujus monarchiae annos mutilarunt ; et quemadmodum ipsi Canonem divinarum Scripturarum dissecuere, chronologiae leges quoque corruperunt.

§. V. Probatis et additis monarchiae persicae annis pluribus, quam vellent hebraei, temporis quoque superest intervallum, quo collocetur historia Judith. Sed anteaquam instituantur aetas, et rex persarum, sub cujus imperio haec acciderunt, difficultates expediendae sunt in capite I. quae quodammodo nostrae hypothesi reluctantur. Potissimae vero versantur circa nomina Arfaxad et Nabuchodonosor, qui videntur stetisse ante hebraeorum captivitatem, sicuti et Ninive.

Historiam Judith orditur divinus scriptor ex anno duodecimo Nabuchodonosori, qui expeditionem suscepit contra Arfaxad regem medorum ; ac ibi narratur quid fecit idem Arfaxad Ecbatanis. Animadvertas primum, lector, codices graecos hujus Scripturae, haud asserere Arfaxad civitatem Ecbatanorum aedificasse ; sed tantum indicat munitionem, qua Arfaxad sese defenderet ab hostibus, qui contra eum irrupissent. Ita enim di-

citur: « Aedificavit autem super Ecbatana, et in circuitu muros ex lapidibus politis in latitudinem cubitorum trium, et in longitudinem sex cubitorum, et altitudinem fecit septuagitnta cubitorum . . . . Et turres posuit in altitudinem super portas eorum etc. » Ecbatanorum civitas medorum metropolis ex aevo vetustissimo fundata erat. Herodotus hanc describit, aulamque regiam tantum maeniis roboratam altissimis dicit; populus autem extra murum habitabat. Progressu vero temporis non solum arx, verum etiam universa civitas muris instructa fuerit, quod fecit iste Arfaxad, ut se suosque defenderet, uti ex hoc Scripturae loco graeco eruitur; ac ita evanescit difficultas.

Praeterea notandum est, nomina Arfaxad, et Nabuchodonosor quae in hoc libro leguntur, nequaquam singulari viro propria esse; sed vocabula generica a sacris scriptoribus instituta, et apta ad censendos reges omnes, qui vel in Media, seu in Assyria degebant, utpote filii ac successores eorum, qui primi imperarunt illis in regionibus. Revera ex Genes. c. XI. Arfaxad erat filius Sem, sicuti et nati sunt ex eodem Sem, Assur et Elam, qui regiones incoluerunt Assyriam Elymaidem, et Mediam, quarum ultimam sortitus est Arfaxad, qui primus ibi regnavit, cujus nomine deinde insigniti fuere sui successores, e quibus ille, de quo hic agitur (1). Hoc maxime divinae Scripturae peculiare est, nuncupandi scilicet gentium reges, qui tunc stabant nomine illorum, qui primum illud regnum obtinuere. Ita ex. gr. Assur, de quo supra, pluries a Prophetis accipitur generatim rex Assyriorum, sive Salmanasar, seu Sennacherib, sive quisquis alius eorum tunc in Assyria regnans; atque sic appellarunt illos, ex eo quod Assur primus illius provinciae regimen aggressus sit. Item in Psalmis dicuntur hebraei habitasse in tabernaculis Cham, quippe qui primus in terra Aegypti degit Noe filius, ibique imperavit. Pariter apud hebraeos Pharao dicitur tum ille, qui aetate Abrahami in Aegypto regnabat, is qui diebus Jacob et Josephi vivebat, ille, quo imperante, hebraei ab Aegypto egressi sunt, tum is, qui in regno Josiae regis Ju-

(1) Etiamsi Judith gesta instituantur ante captivitatem, Arfaxad aetas, qui Sem filius dicitur in Genesi, nunquam cohaereret historiae. Idcirco jure sentiendum nomen illud genericum esse, ac omnibus regibus nuncupatum, qui Mediae praefuerunt, dum ibi perstitit rex, sive antea, sive post judaeorum captivitatem.

dae dominium in Aegyptios exercebat, Pharao vocatus fuit. Pari ratione Nabuchodonosor, postquam totius Assyriae regnum occupavit, aliasque provincias quoque extra illam regionem subegit, magnificatum est nomen ejus; et successores illius ob progenitoris gloriam, idem nomen apud scriptores sacros sortiti sunt. Daniel, Metasthones, et, teste Flavio in libro x. Antiquitatum c. 2, Berosus eodem nomine *Nabuchodonosor*, patrem filiumque suum pariter appellant. In Chronico Eusebii dicitur Cambyses ab hebraeis secundus Nabuchodonosor vocari, et sic jure de ceteris regibus persarum dicendum est. Clare hoc quoque accipitur ex historiis ethnicorum, uti ex. gr. post Alexandri Magni obitum, reges in Aegypto Ptolomaei cognominati sunt, ac item Antiochi reges Syriae, et in parthis Arsacides, ne dicam de Caesaribus, qui Romae imperarunt. Haec vero nomina, et alteri titulo privo jungebantur aliquando ab historicis, sive ex gestis eorum, sive ob quasdam qualitates illis accommodato.

§. VI. Deinde sunt expendenda, quae leguntur in versiculo primo ejusdem capitis: « Anno duodecimo regni Nabuchodonosor, qui regnavit Assyriis in Ninive civitate magna. » Ex eo, quod supra firmatum est hanc historiam locum habuisse post captivitatem babylonicam, opus erit, ut aeque disseramus de Ninive, ibidem censita. Imperium enim et civitas Ninive, seu Ninon videntur sublata a Nabuchodonosoro rege Babel tum, cum potitus sit aliarum quoque regionum Judaeae, Tyri, Sidonis, Aegypti, Moab, ac ceterarum in Asia superiori sitarum. Hujusmodi quaestio duplici argumento solvi potest. Et primum, quum in libro Judith nulla mentio fiat de urbe Babyloniae, quippe quae tunc temporis civitatum Assyriarum maxima erat et metropolis, et ab omnibus scriptoribus celebrata, et cum contra, illis diebus, Ninive fere oblivioni tradita; vel saltem latet, utrum illa antiqua urbis magnificentia eo usque temporis permaneret, videretur Babel Ninivi hoc in loco esse praeferenda, cujus primae ne verbum quidem fecit sacer historicus. Necesse est ergo ut, nisi velimus Assyriorum imperium post captivitatem transferre in urbem Nini, nomen ibidem antonomastice sumatur loco Babel. Jure quodam vero hoc factum fuisset a sacro auctore. Is enim in Nini memoriam, qui primus regnavit in Assyria, extulit Ninive nomen loco Babyloniae, una comprehendens et Nivive, et Babel omnesque urbes et pagos Assyriae, quibus imperavit Ninus. Haec quoque interpretatio erui potest ex graeco textu hujus

Scripturae, dum ibi dicitur Nabuchodonosor imperare Assyriis, qui erant Ninive, scilicet in ditione Nini, vasta provincia. Nam vocabulum hebraicum עיר *hir* seu chaldaicum מדינה *medina* indicant et civitatem, et provinciam, vel regionem circa metropolim sitam eique obnoxiam, uti vulgo apud veteres scriptores voce *Babylonia* urbs regia, omneque una imperium assyriorum inter duo flumina comprehensum innuebantur. Et hic dicendi modus divinis scriptoribus familiaris est; uti ex. gr. Urbs Samaria capitur pro civitate Somer, et pro regione, ubi degebant decem tribus Israel, et urbs Juda pro omni Judaea. Animadvertendum est etiam hebraeos saepe in notis geographiae sequi doctrinam veterum Prophetarum; ac ita, cum quamdam civitatem seu regionem appellent, nomine illam donant, quo antiquitus nuncupata fuit, et ex illo, qui primum ibi habitavit, licet volventibus annis fere lateret illud vocabulum. Reapse, auctor libri primi Machabaeorum cap. VI. vocavit civitatem, quam praedaturus venit Antiochus, Elymaidem nomen antiquissimum et genericum regionis Elam, loco Persepolis (sicuti eam vocat auctor libri secundi) quae Elymaidis regionis caput erat tunc temporis. Eadem ratione in Scriptura Judith dicta fuit, loco Babel, Ninive, utpote Ninos imperium assyriorum statuit primus, sedesque imperii, suo nomine fuerat nuncupata.

Vel aliter potiori jure dicendum est aetate Judith, instauratam fuisse urbem Ninive, ibique aulam regiam persarum collocatam. Si fides est praestanda historicis, ac illis veteribus scriptoribus, qui geographiae sese applicuere, fateamur oportet sub persarum imperio stare Nini urbem, ubi rex Nabuchodonosor ille, qui hac in historia quaeritur, morabatur. Diodorus Siculus libro II. suae Bibliothecae ait: « Adhuc suae aetatis arcem Nini urbis per multa stadia conspiciendam offerri » etsi Ninon diruta fuisset et per medos cessasset assyriorum imperium. Hoc vero dicit Diodorus ex traditione. Mosys Chorensis in armenorum historia innuit stare Nini civitatem anno ante Christum 150. Tacitus libro XII. annalium de Cassio praefecto Syriae locutus, scribit: « Sed capta in transitu urbs Ninos, vetustissima sedes Assyriae, castellum insigne fama, quo, postremo inter Darium, et Alexandrum praelio persarum illic opes conciderant. » Ammianus Marcellinus domo antiochensis dicit lib. XXIII: « In hac Adiabene Ninus est civitas, quae olim Persidis regna possederat, nomen Nini potentissimi quondam regis Semiramidis ma-

riti declarans.» Et alibi ait nomen veteris Nini immutatum esse a graecis in Hierapolim. Ptolomaeus libro VI. Geographiae, describens civitates et oppida assyriae, statuit Ninum juxta flumen Tigridis. Alibi idem, libro VIII, vocat Ninive civitatem insignem Assyriae, et scribit: « Ninos, quae et Ninive, distat ab Alexandria ortum versus hora una, et quinta parte.» Philostratus item de vita Appollonii: « E Nino profectum cum Damide Appollonium ad Zeugma venisse, ac trajecisse Mesopotamiam.»

Ut ergo dicatur sub persarum regno stare Ninive urbem, ac una evanescat antilogia, et sacrorum Prophetarum firmentur oracula de illius ruina prius, quam Babyloniae regnaret Nabuchodonosor ille, quem Hieremias saepe memorat, denuo illam Ninon fuisse instauratam, nomenque Nini vetustum praesetulisse asserendum est. Neque vero miremur, quod, stante persarum imperio, rursus Ninive sit aedificata, ibique reges quoque sedem imperii statuerint. E longo aevo, quo assyrii hoc sub persico regimine prospere res suas duxerunt, illius soli foecunditate, regionis amoenitate, incolarumque quiete inspectis, facillime fieri potuit, ut civitas Nini a medis capta, et aula regia diruta, moeniisque urbis sublatis, illius magistratu, nobilibusque viris seu interfectis, sive in captivitatem ductis (ut omnis auferretur victoris metus, ne rursus illius cives deficientes sese suo imperio subducerent) fieri potuit, inquam, ut illa civitas reaedificaretur seu instauraretur, illius sumpto nomine, qui primum ibi regnavit, deindeque quisquam a regibus persarum eamdem incoleret. Puto, inquit Cellarius, post eversionem a medis factam, resurrexisse tandem e ruinis oppidum Nini, quod priscum nomen ferret.» De variis fatis, quae brevi, vetusta Orientis imperia subibant juxta rudes illius aetatis mores hominumque pravitates, plurima exempla ob oculos habentur, et maxime Hierusalem, quae a Nabuchodonosoro solo adaequata, post Septuaginta annos sub Cyro iterum aedificatur, et volventibus annis antiquissimum splendorem acquirit. Civitates graecanicae aliaque orbis oppida hujusmodi vices sustinuere.

Praeterea notandum est, ex historicorum testimonio, persarum reges non continuo eadem in imperii civitate habitasse, sed unumquemque urbem regiam sibi deligere, etiamque regni sedem variis anni tempestatibus mutare. Hujus rei testis Plutarchus, qui ait aestivo tempore regem persarum in Media degentem, hyemare Babylone. Plinius de Susa, lib. VI. c. 27. scribit: « In-

fra est Susiane, in qua vetus regia persarum Susa, et ipsa a Dario Histaspis filio condita. » Et in historia sacra Esther, ibi degisse rex Assuerus legitur. Persepolis erat caput regni Darii ultimi, quem vicit Alexander Magnus. Hoc dicit Quintus Curtius libro IV. Et libro V. ait diutius in urbe Babyloniae, quam usquam constitisse regem. Et prae omnibus hac in re nobis suffragatur Dion orat. VI. De Tyrannide, qui disserens de Diogene Sinopensi, qui modo Corinthi, nunc Athenis vivebat, ait illum imitari regis persarum vivendi rationem, quippe ut ille hyeme quidem Babylone, et Susis, interdum autem Bactris, in serenissimis totius Asiae locis; aestate autem Ecbatanis Mediae provincia viveret, ubi semper aer frigidissimus est, similisque aestas hyemi circa Babylonem. Ex his omnibus argui potest, imperantibus in Assyria persis, stare Nini urbem, ibique etiam aliquando reges immoratos esse, ideoque conjiciendum non immerito, illum assyriorum regem, qui bellum in Palaestinam intulit, urbem Nini habitasse.

§. VII. Ejusmodi scopulis, quoad potuimus, superatis, nunc liberius pergendum est ad ceteras hujus historiae partes expendendas; et primum ex qua causa, vel metu ibi innuitur, sese muniisse Arfaxad super Ecbatanis, et cur Nabuchodonosor bellum instruit contra eumdem. Sedulo advertentes in hoc primo capite et secundo descripta, facile inde eruimus, fere universam defectionem populorum a rege Nabuchodonosoro, quae a medis incipiens paullatim in ceteras Asiae regiones pervenit, describi ab historico. Hujus vero defectionis causa postea explanabitur. Interea, cum compertum sit persarum regnum a flumine Indo ad Hellespontum usque, et ab alta Armenia ad Aethiopiam usque fuisse dilatatum, narrat divinus scriptor, quomodo gentes illis in regionum finibus contentae, respuerant regis mandatum, et non convenerunt milites earum Nabuchodonosoro contra Arfaxad medorum regem, qui ab eo defecerat. Haec omnia clarescunt, siquidem legimus in graecis codicibus maxime, eumdem Nabuchodonosorum, ut sensit Arfaxad regem descivisse, eumque pugnam parasse contra se, misisse nuncios ad omnes provincias imperii sui, eisque mandasse, ut convenirent ad praeliandum contra Arfaxad; quarum incolae omnes uno ore, jussu regis contempto, non convenerunt cum eo in bellum, quoniam non timuerunt eum, sed erat coram eis quasi vir aequalis, remiseruntque nuncios vacuos in dedecore a facie eorum. Quid ergo innuit hoc

simplex et sollicitum edictum Nabuchodonosori regis praecitatis populis, nisi una ex eo edicto accipiatur, singulas illas gentes regi assyriorum subditas fuisse ? Vana et ridicula quidem videretur illa regalis denunciatio, non probato jure, quod super easdem provincias, assyriorum reges exercebant. Verba ipsa capitis II. Judith hoc proferunt ; legitur namque ibidem ultionis decretum contra civitates illas, quae Nabuchodonosori non perfecerunt jussa, et ait rex, ubi Arfaxad subegit, jaculisque transfixit : « Se ulturum esse omnem terram, sicut locutus est. Deinde inito cum principibus suis consilio, consummavit omnem malitiam terrae ex ore suo, ipsique judicarunt disperdere omnem carnem, quia non paruerunt sermoni oris illius, » idest, exageravit rex injuriam sibi et legatis suis irrogatam ab omnibus gentibus, quae sub signa sua venire renuerant.

Reapse ex historicis novimus Mediae et Persidis gentes, Syriam antiochenam, Ciliciam, Cypri insulam, Phoeniciam, Aegyptum (quas regiones aliis nominibus dicit Judith historia juxta Scripturae consuetudinem, Damascum, Galilaeam, Samariam, civitates maritimas Occidentis, Ammon, Moab, Judaeam, Libanon, Gosen, et Ramesse Aegypti urbes) persarum regi servire, et unicuique insuper harum provinciarum fuisse duces, praesides seu satrapas, seu alio nomine, legatos regis, ac etiam regis titulo insignitos, qui a summo rege regum assyriorum praefecti, ubique harum regionum respublicas gerebant. In libro Esdrae et Nehemiae memorantur duces, qui praeerant regionibus trans flumen juxta voluntatem Cyri, Darii, et Artaxerxis, uti ex gr. Sanaballat, Tobias, Mithridates, Zorobabel, aliique, qui in Palaestina ejusque finibus a praedictis regibus suffecti fuere. Item sub Assuero in Esther eruitur. Apertius ex Diodoro Siculo narratur Aegyptus sub imperio persarum contineri, ibique praefici rex, sub magno dynasta Babyloniae constitutus. Libro XVI. c. 42. de Cypro haec scribit : « Erant in hac insula novem magni nominis civitates, quibus minora oppida jurisdictioni adstipulabantur, unaquaeque suum habebat regem, qui rempublicam administraret, regi tamen persarum subjectus. » Idem ait de dynastis Sidonis, Tyri, et Phoeniciae, quique praesertim regi persae sanguine affines erant, vel ob eorum fidem, cognatorum regis nomine adaucti. Hae vero provinciae regi persico vectigales, persoluto tributo, et promptis nutui regali earum incolis, cum ad bellum vocarentur, seu ad aliud opus regium perficiendum,

singulae suis propriis legibus, patriis institutionibus utebantur, et maxime in eo, quod cultum religiosum spectabat. Et hujusmodi sese habebat imperii persarum facilitas, et potissimum erga gentem hebraeorum, quos, inspecta eorum probitate, nuper celebrati Cyrus, Darius, Artaxerxes, Assuerus in suam fidem acceptaverunt, et legibus avitis eos uti siverunt. De regimine persarum his recte ponderatis, plurimae historiae Judith evanescunt difficultates, ac etiam complanatur via, qua leviter expendetur omnis illa narratio; nec non jus probabitur, quo legitime hebraei sese imperio Nabuchodonosori regis subducentes, suo exercitui restiterunt, quemadmodum paulo post patefiet. (1)

§. VIII. His omnibus animadversis, viisque ita aggeratis, ut aditus nobis patent ad stabiliendam Judithae historiam post hebraeorum in Assyria captivitatem, superest nunc, ut aetas et rex decernantur, sub cujus imperio haec facta sunt. Profecto, quum aetatem persicae monarchiae longiori intervallo invenerimus perdurasse, quam synagogae magistri docent, liberius ac tutius intra hujus dynastiae fines versati perscrutabimur aevum, quo Judith gesta componantur. Haud latet, prout ex eadem Scriptura infertur, ante hoc tempus totam gentem hebraeorum, qui Babel capta, et favore Cyri in Palaestinam reversi domos patrias incoluere, aequitatem sectatam, mosaica instituta juxta Dei voluntatem perfecisse, paceque inde fruitam esse. Hoc utique dicit Judith coram Domino precata: « Quoniam non secuti sumus peccata patrum nostrorum, qui dereliquerunt Deum suum, et adoraverunt Deos alienos. » Vel juxta 70. «Quoniam non surrexit in generationibus nostris neque est in die hac, neque tribus, nec patria, neque populus, neque civitas ex nostris, qui adorent Deos manufactos, quemadmodum praeactis diebus factum est, quo pro scelere dati sunt in gladium et rapinam et in confusionem inimicis suis; nos autem alterum Deum nescimus praeter

(1) Non autem mirandum est quod, uti legitur cap V. Holofernes nescierit, israelitas illam regionem colere etsi imperio persarum subditos. Inspecto enim assyriorum lato imperio quippe quod tot variisque populis confertum, et ad invicem dissitissimis, nihil mirum si Holofernem e persarum genere, ut nomen illius indicat, latuerint ea Palaestinae loca, et Israel ibi degens, instituta, et potentia illius. Et quamvis vectigalia inter alias gentes persolverent assyriis hebraei, et Holofernes sciret quoque illos in omnes Asiae provincias dispersos, fieri tamen potuit, ut nesciverit ea montana loca incoli ab ea gente; et ideo principes Ammon et Moab consuluit.

ipsum. » Hujusmodi erat conditio populi Israel, quando sub Nabuchodonosoro tam grave discrimen sustinuit. Constat insuper ex hoc libro, hebraeorum rempublicam recte sese gessisse, ac ideo prosperasse Judithae aetate (quae vixit centum et quinque annos) diebusque multis etiam post illius obitum. Ita scribit divinus historicus in fine libri : « Et senuit in domo viri sui annos centum quinque .... In omni autem spatio vitae suae non fuit, qui perturbaret Israel, et post mortem ejus annis multis. » Ex his verbis fatendum est ad centum annos, nisi plures velis, populum Israel prospera fortuna usum, dies suos transegisse. Ideoque necessario transferenda est haec historia ultra Esdrae, Neemiae et Esther aetatem. Qui enim legit sacra horum scriptorum volumina, non repererit ibidem tam longum, et tam pacificum aevi intervallum, ut in eo statuantur gesta Judith. Vere ad dies ultra citatos auctores, transvecti, omnia hoc in nostro libro contenta conformari sentiemus divini auctoris menti, chronologiae, historiae, sanaeque rationi.

§. IX. Interea, haec eadem exquirentes, quemnam statuemus, vel nuncupabimus regem illum assyriorum, qui per Holofernem arma intulit contra regiones Occidentis, uti dicitur ibi, postquam expugnavit Arfaxad regem medorum? Cum nobis desit librorum sacrorum auctoritas circa ea, quae sub imperio persarum facta sunt post illum Assuerum, cujus meminit historia Esther, necesse erit, ut disquiramus ethnicorum monumenta ad colligendum quidquid historici memoriae mandarunt de persarum dynastia, de gestis et speciatim illorum expeditionibus extra Assyriae fines. Auctoritatibus Xenophontis, Polybii, et Diodori innixi novimus plures, variasque expeditiones suscepisse persas Occidentem versus. Praeter irruptiones, memoratu dignas traditas ab Herodoto, Darii et Xerxis, alias reperimus successivo tempore susceptas a persis contra praedictas regiones. Ea porro, et nobis potissimum animadvertenda extat, quam tradit inter alios historicos Diodorus, susceptam ab Artaxerxe Ocho, cum is magna copia militum irruperit in Ciliciam, Cyprum, Phoeniciam et Aegyptum. Operis vero pretium erit ex historia discere primum de hujusmodi Ocho rege persarum, quomodo ad solium pervenit, illius deinde gesta meditari in imperio patrata.

Artaxerxes, cognominatus *Memnon*, de quo sequenti Propositione sermo habebitur, quatuor filios sortitus est Darium, Ariaspen, Ochum et Arsamen. Ex his Ochus throni paterni valde cupidus

omnia periclitatus est, ut praeter jus obtineret imperium assyriorum, quod quidem assecutus est dolo, et impietate, sublatis binis fratribus, solii legitimis haeredibus, Dario, et Ariaspe. Alter vero Arsames, quum ei in imperio aemulus esset, ac insuper ob suam prudentiam, et morum integritatem patri, et cunctis carus, solio reputaretur dignus, Ochus effecit, ut per sicarium Harpaten Tiribazi filium occideretur. Hujusmodi impietates pater aetate provectus cum sustinere haud valuisset, supremum diem explevit, postquam regnum tenuit adeo clementiae et aequitatis per annos quadraginta, ut ubique omnium provinciarum, illius auctoritas foret solidata. Ochus vero aperte praevidit se in patris successionem propter sua scelera minime prospero eventu subiturum fuisse, cum omnibus innotesceret et plebi, et magnatibus fratrum suorum coedes. At ille prudentissime eunuchis domi regiae conveniens, patris mortem ad decem menses coelavit; ac ita genitoris quasi infirmi nutu, neque vero mortui, fungebatur imperio.

Interea autem hoc artificiousus, cum mandata, patris nomine, populo institueret, et opinatus tunc firmiorem haberi suam auctoritatem, decretum annulo paterno signatum edidit, quo rex persarum totiusque imperii renunciabatur Ochus. Ut vero sensere Asiae populi Artaxerxis Memnonis mortem, et Ochum eidem successisse, provinciae et illae maxime extra Assyriam sitae unae post alias ab eo defecerunt, Aegyptus, Phoenicia, Syria circa Damascum, ceteraeque civitates maritimae. Id in principio potissimum Ochi animum anxit; thesaurus enim regius rebellionis causa tributis imminuebatur, simulque sumptus maximi necesse erant ad expugnandos rebelles, et ob hoc cessasse sibi visum est ab expeditione in refractarios. Alii vero asserunt Ochum initio regni sui desidem vitam duxisse. Deinde vero cum cogitasset animadvertere in rebelles, factum est ut provinciae partim inter se contendentes, partim regis potentiam veritae sese ad invicem prodiderint, et Ochus firmius sese continuerit in solio. Quo vero furoris aestu egit in suo regimine tum contra eos, qui defecerant, cum contra satrapas provinciarum qui seditionem moliti fuerant, vel tantum suspicio aliqua de illorum fide mentem suam ingesserat, historici hoc satis indicant. Omnes enim tradunt illum persarum reges vicisse impietate, duritie, et turpitudine. Cunctos interfecit regio sanguine natos, nulla habita aetati et sexui ratione. Quintus Curtius libro x. Sysigambim Darii matrem de Ale-

xandri morte lamentatam describens, memorat, octoginta fratres suos eodem die ab Ocho saevissimo regum trucidatos, adiectumque stragi tot filiorum patrem. Ob hoc et alia turpia illum saevissimum et atrocissimum vocat Plutarchus, et ab aegyptiis ob sua scelera, et impuritates asinum vocatum fuisse dicit. Quod brevi hic dissertum est de Artaxerxis Ochi indole, videtur quodammodo convenire iis, quae dicuntur in Judith historia de rege Nabuchodonosoro. Sed in majorem hujus libri perspicuitatem conferantur simul tum a divino scriptore narrata, cum illa in monimentis graecorum de eo tradita rege (1).

Scriptum est ibi cap. II. dixisse Nabuchodonosor se se ultorum esse omnes, qui nutui suo contradixerant; ait enim Holoferni: « Egredere adversus regnum omne Occidentis, et contra eos praecipue, qui contempserunt imperium meum. Quo facto, timor invasit omnes habitantes terrae et maxime Sidonios, Tyrios, urbes maritimas, Jamnem et Ascalon et ceteras civitates, quae miserunt legatos suos dicentes, desinat indignatio tua circa nos. Omnes facultates nostrae, atque familiae in conspectu tuo sunt; sint omnia nostra sub lege tua; et nos et filii nostri servi tui sumus. Veni nobis pacificus dominus, et utere servitio nostro, sicut placuerit tibi.... Tantus metus provinciis illis incubuit, ut universarum urbium habitatores, principes, et honorati simul cum populis exirent obviam venienti, excipientes eum cum coronis, lampadibus, ducentes choros in tympanis, et tibiis; nec ista tamen facientes ferocitatem ejus mitigare potuerunt. » Diodorus de Ocho scribens, expeditionem eum contra praedictas provincias suscepisse ait, ut illas ulcisceretur, et ita sacrum historicum imitatus est: « Capta Sidon cum fuisset, in manus persarum devenit, et cives in domibus incendio consumpti sunt. Et quingenti primores sidoniorum, qui ad regem cum ramis oleae supplicatoriis venere, jaculis transfixi sunt. Istis calamitatibus, aliae civitates terrore perculsae persis deditionem fecere. » Telis quoque jaculatus est Arfaxad rex medorum, quem subegit priusquam veniret contra Occidentem, uti tradit Scriptura Judith (2). Diodorus idem censet maximos armorum, telorum, commeatus et exercituum apparatum fecisse Ochum, eosque per suos duces

(1) Ne miremur quod Nabuchodonosor, quem Ochum in hoc libro fuisse opinamur, titulum praeseferat regis assyriorum, cum et primores sui in Esdrae libro dicantur reges Assur. Esd. c. VI. 22. — (2) Jud. cap. I. 15. juxta 70.

misisse contra provincias rebelles. Hac in expeditione (1) numerabantur tercentum millia peditum, et triginta millia equitum. Divinus auctor ait: « Tunc Holofernes vocavit duces, et magistratus virtutis assyriorum, et dinumeravit viros in expeditionem, sicut praecepit ei rex, centum viginti millia peditum pugnatorum, et equitum sagittariorum duodecim millia cum camelis, bubus, armentis, gregibus ovium, quae sufficerent copiose exercitui, et frumentum ex omni Syria parari constituit. » Si jungantur centum viginti millia peditum, et duodecim millia equitum, quos numerat Scriptura, cum omnibus viris auxiliariis ab Holoferne sumptis de singulis urbibus, seu sibi conciliatis sive subactis, per quas transivit, uti docet divina historia (2) amborum scriptorum aequabitur numerus. Pariter in sacro textu legitur (3), quod tremor, et horror invaserit sensus eorum, ne haec faceret Hierusalem, et templo Domini, quae fecerat ceteris civitatibus, et templis earum; expoliaverat nempe omnia templa earum, et diruerat ea. Id ab eodem Diodoro firmatur: « Et Artaxerxes in Aethiopiam exulante Nectanebo, totam Aegyptum occupat, oppidorum maxime nobilium maenia destruit, et fanis expoliatis ingentem copiam auri, et argenti coacervat. »

Scriptores Ecclesiastici quoque nonnulli Judith historiam asserunt expletam sub Ocho, nomine Nabuchodonosori donato. Sulpicius Severus saeculo IV. haec ait: « Ocho rege, ut opinamur, haec gesta sunt anno imperii ejus duodecimo. » Prosper aquitanus saeculo V. post historiam Esther, alteram Judith componit. Bartholomaeus Tortoletti suo in poemate, quod inscripsit - Judith vindex, et vindicata - Urbano VIII. pontifici dicato, Nabuchodonosor regem, qui in Judith ejusdem historia memoratur, Ochum assyriorum, et persarum regem esse asseruit. Isidorus hispalensis de vita et obitu sanctorum, post Esther deponit Judith historiam. Item Gibert, unde Nicolai ea, quae de hac disserit historia, sumpsit, hanc amplectitur, et vindicat opinionem. Pridaux quoque veterum auctoritati innixus fatetur ob citatam Ochi expeditionem in Phoeniciam, judaeos quidquam sustinuisse. Quod vero celebrati viri de hac re brevi scripserunt, ego longiori sermone explicare et probare conatus sum, et adhuc instabo, ut, siquan-

(1) Diod. Sicul lib. XVI. n. 44. 45. — (2) Jud. c. VII. 2. — (3) Jud. c. III. et IV.

do fieri possit, illa pacifica aetas instituatur, quam censet divinus historicus in vita et post Judith mortem.

§. X. His de Nabuchodonosoro persarum rege, qui in judaeos egit, notatis, modo superest disquirendus Bethuliae locus, cujus cives primum hostis impetum sustinuere, et quae dicitur a sacro scriptore in cacumine montis sita. Prius vero necesse erit, ut sedulo expendatur persici exercitus via, quam tenuit hac in expeditione, et ubi castrametatus fuerit. Ex hac historia videntur milites persae, seu assyrii, haud ordinatim et simul venisse in Judaeam, sed huc illuc irrumpentes, provincias praedari, agros vastare, messesque succendere; uti de hoc improbo more ex veterum graecorum historia Thucydides nobis suffragatur. De hac porro militum dispersione una asserunt codices graeci et latini dicentes persas, percurrisse regiones aramaeas, moabitas, ammonitas, idumaeas ad Orientem et ad Meridiem terrae Israel, advenisse in civitates maritimas Tyri et Sidonis, in satrapias philistinorum Azoton, Ascalon, usque dum dux Holofernes Judaeae ac Israel montana veritus, jussit colligi omnem suum exercitum ut, iis locis obsessis, caperentur. Hoc legitur in cap. III. « Venit ad idumaeos in terra Gabaa. » Grecus vero ait: « Et castrametatus est in medio Gabaa, Scytopolim, et mansit ibi per triginta dies, in quibus adunari praecepit universum exercitum virtutis suae » qui postea per ea loca effusus est (1).

Ex his dictis insuper atque ex illis, quae capite XV. leguntur de caede Holofernis, et de fuga totius sui exercitus a filiis Israel profligati Damascum versus usque ad terminos eorum, fas erit conjicere Bethuliae civitatem, de qua hac in historia agitur sitam fuisse ad Septemtrionem Hierusalem supra Samaria, et probabilius in tribu Zabulon, quemadmodum et scriptor sacer, et circumstantiae topograficae etiam postulant. Revera commentatores hujus libri plerique, loca animadvertentes nominata ibidem, urbem Bethuliae in illa tribu collocarunt, et potissimum hujus testimonium profertur ab itinerantibus: « Sita est civitas Bethulia, inquiunt, in conspicuo et elato monte, et nunc temporis

(1) Haud est mirandum, si nomina propria hujus historiae in Septuaginta versione quodammodo varient a nostra Vulgata latina. Fieri enim potuit, ut interpres graecus urbium et regionum nomina inscripserit, prout invenit in codicibus autographis; et Hieronymus, vel si velis, interpres chaldaeus, illas regiones et civitates nuncuparit sicuti, ea ipsa aetate, qua scribebat, vulgo appellabantur.

appellatur *safet*, locusque valde difficilis, qui utique provocare poterat potentiam Holofernis suique exercitus. Illius topographia conformatur plane verbis historiae Judith. Hac vero in civitate dicuntur degere ferme quadringentae familiae hebraeorum. Ex eo loco longe quidem visus expanditur, et quasi lata montium planities oculo objicitur; lacus Tiberiadis ab extremitate ad aliam inspicitur et acutus oculo montes quoque Ghilaad ad quadraginta millia passuum speculatur (1). » Superiori aevo super hunc montem arx instructa fuit, ac ibidem christianorum praesidia fuerant collocata. Circumquaque hos montes castrametati videntur milites Holofernis in latitudine supra Dothaim et usque Beltam, et in longitudine a Bethulia usque ad Chiamonem, ut legit graecus Interpres. Hujusmodi autem divisione exercitus circa ea montana, quae a Bethulia quaque versus late se se extendunt, expenditur illud, quod post caedem Holofernis dicitur capite XV.: « Per dies autem triginta vix collecta sunt spolia assyriorum a populo Israel. » Cum enim israelitae invasissent castra hostilia, tanto tempore eis opus erat ad colligendum omnia vario genere spolia inimicorum, quantum erat intervallum, quod comprehenderat ea copia militum, quorum castra in montibus et in planitie posita faciem terrae operuerunt. Flavius quoque libro IV. de Bello Judaico Tabor montem, sive Itabyrium describens, Bethuliae praeruptum innuit situm (etiamsi sileat hoc nomen) et alia dicit, quae sane aequiparantur topographiae hujus sacrae historiae: « Vespasianus, ait, inter curas obsidionis (gamalensis) subcisivum opus aggreditur adversus eos, qui montem Itabyrium occupaverant inter Campum Magnum et Scytopolim medium, cujus altitudo triginta stadiis adsurgit septentrionali latere inaccessa. In vertice planities viginti sex stadiorum patet tota muro circumdata. » Itabyrium, inquam, idem est ac Thabor in tribu Zabulon, quem Septuaginta interpretes ex hebraeo vertentes, aliquando dixerunt Thabor, et alias Itabyrium. De hoc monte mentionem facit Polybius, vocatque Atabyrium tum cum Anthiochi contra Ptolomaeum narrat expeditionem, ac multa ibidem dicit de iis locis montanis, quae auctoritatem libri Judith adaugent.

(1) Consulas Borchardum in Geographia Palaestinae, qui illucusque peregrinatus est, et Jowet disquisitiones syriacas pag. 184. et Carne Epist. pag. 367. Item divinus auctor hanc scripsisse historiam videtur in ipsa Bethulia; loca enim montana circa illam civitatem enunciat, sicuti inde oculis suis objiciebantur.

Neque mirandum est si Judith, cum esset de tribu Simeon, ut dicit Scriptura, ad Meridiem Hierusalem sita et gazaeis contermina, habitaret tunc temporis cum viro suo in tribu Zabulon ad Aquilonem Hierosolymorum, quod videretur mosaicae institutioni dissonum. Hoc vere ante captivitatem accurate expletum est ab hebraeis; sed post reditum, cum eorum regio partim ab alienis, idumaeis, philisthim, et assyriis occupata foret, hebraei, quaecumque Judae, et Benjamin, et aliarum decem tribuum Israel loca sibi commoda arbitrabantur, selegerunt incolenda. Hujus rei exemplum eruitur ex divi Lucae Evangelio, ubi Joseph, et Maria, qui erant de domo, et familia David, leguntur habitasse Nazaret in tribu Zabulon. Ita credimus fecisse patres Judithae et Manassis viri sui, qui domum in tribu Simeon deserentes in tribu aliena habitarunt.

§. XI. Etsi vero hucusque censita de Ochi expeditione in Syriam et Phoeniciam et de aliis ibidem ab Ocho patratis, quodammodo Diodori aliorumque et hujus nostrae Scripturae auctoritate cumulata, conveniant, attamen quae in sacra historia memorantur de judaeorum munimine contra illius ducem Holofernem eorumque constantia, deque ejusdem ducis caede ac totius exercitus dispersione, pauca et obscura nobis exhibentur ab ethnicis. Nihilominus hic juvat notare quae citatus Diodorus brevi sermone scripsit de hoc rege: « In Asia rex persarum superioribus quidem annis numerosissimam armatorum multitudinem in Aegyptum expeditionem fecerat, sed infelici eventu. Cum Aegyptii a persis ante haec tempora defecissent, Artaxerxes cognomento Ochus, quod bellicae rei studio non teneretur, vitam in quiete continebat. Licet vero exercitus cum ducibus expediret, improbitate tamen praefectorum, et imperitia, factum est, ut saepe numero adversam fortunam experiretur. » Henricus Valesius in Excerptis ex Collectaneis Constantini Augusti Porphyrogenetae, quidquam dicit a Polybio notatum, de gazaeis p. 87.: « Mihi vero aequum et opportunum hic videtur gazaeos merito virtutis testimonio minime fraudare. Nam cum fortitudine in rebus bellicis nihil a reliquis Coele-Syriae incolis differant, tamen in societate incunda ac servanda fide longe illos superant, et invicta quadam audacia utuntur. Nam in quarta expeditione perculsis aliis ob exercitus magnitudinem, seque medis ac urbes suas ultro tradentibus, soli periculum sustinuerunt omnes simul obsidionem perferentes. » Mihi videretur hoc etiam Polybii testimonium de gazaeis, quid-

quam conferre ponderis historiae Judith ac aevo, quo haec patrata aestimantur. Illa enim verba τέταρτην ἔφοδον *quartam expeditionem* jure quodam referri possunt ad Artaxerxis Ochi imperium ; siquidem ante hoc tempus tres censentur ab historicis, persarum irruptiones in provincias occidentales. Duas priores nobis tradit Herodotus sub Dario et Xerxe. Tertiae expeditionis nobis auctor est Xenophontes sub Artaxerxe Memnone ; et quarta ea est, de qua hic agimus. In his omnibus magna copia militum persarum et medorum reges provincias supra memoratas peragrarunt. Insuper verba Polybii : « Perculsis aliis ob exercitus magnitudinem se medis ac urbes suas ultro tradentibus » conformantur illis, quae dicuntur in libro Judith: « Omnis civitas nostra, omnis possessio, campi, armenta et familiae nostrae in conspectu tuo sunt, utere servitio nostro » et aliis a Diodoro relatis de Sidoniis ceterisque urbibus vicinis. His adde alteram sententiam ejusdem Polybii ibidem : « Tamen in societate ineunda, et servanda fide longe illos superant, et invicta quadam audacia utuntur. » Hujusmodi qualitates hebraeorum indoli potius accommodantur, quam aliis gentibus. Mosaicas nempe institutiones de fide servanda, qui legerit, hoc probaverit, sicuti alia verba de audacia invicta. Hae utique hebraei praestabant aliis nationibus, Dominus quippe exercituum ante eos praeibat, et ipsi divino freti auxilio, audacia et alacritate simul irrumpebant in hostes, ad cujus exemplum vere Judith nostra subit, quae invicta audacia Holofernis castra ingressa ejusdem caput exscindit, totumque illius exercitum disperdit. Neque etiam ignorandum est, Polybium hoc in loco nuncupare maximam Phoeniciae partem sub nomine *gazaeos*. Veteres enim graeci Palaestinae loca sub titulis Gazae, Ascalon, Tyri, Sidonis, quae mari finitima erant, ac sibi ob negotiationem nota, exprimebant, et maxime Polybius, cum circiter bis centum annos scriberet, postquam illud Judith factum fuerat. Huc quoque conferas quae ipse Polybius in citato libro v. de gazaeorum studiis erga Ptolomaeos aegyptiorum reges scripsit.

Haec sunt testimonia sumpta ab ethnicorum historia, quae de hebraeorum resistentia contra assyriorum impetum, et de casu Holofernis, conformari videntur sacrae Judith narrationi. Attamen fatendum est historicos profanos de hujus Ochi improbitate concordes, haud sibi cohaerere, dixi, circa hujus viri expeditiones, modum, aetatem, et exitum. Alii initio, alii ineunte suo im-

perio, et nonnulli duces suos praemisisse asserunt, alii illum ipsum suscepisse deinde hoc bellum tum, cum dicitur venisse in Aegyptum. Haec explanatu difficillima sunt, siquidem citati scriptores vivebant longo annorum spatio, ex quo haec facta sunt; ac inde iis erroribus obnoxii, in quos ob eorum distantiam a loco, ubi haec acciderunt, studium partium, ac propter mixtas traditiones hominum, seu haud accurate traditas, pluresque ob alias vices illis aetatibus insertas, saepissime offenderunt rerum vetustarum historici. Nobis interea sufficiat hinc inde ex monumentis circa hujus Ochi gesta aliquid decernere affinitatis sacrae historiae.

§. XII. His itaque probatis, quae ad Ochi aetatem spectare videbantur, argumentis sumptis e sacra et profana historia, percipiemus pariter, nullo detenti discrimine, rata se haberi verba divini scriptoris circa tranquillitatem populi Israel ante et post obitum hujus clarae mulieris. Scriptura ait: « Judith vixisse centum et quinque annos, omnique spatio vitae ejus non fuisse, qui perturbaret Israel, et post mortem ejus annis multis. » In Eusebii Chronico legimus Artaxerxem Ochum subiisse imperium persarum Olympiade 104., ac Antiochum Magnum, sub cujus imperio multis malis affecti sunt judaei ob simultates inter syros et aegyptios, regnasse Olympiade 139. Spatium ergo temporis, quod hos duos interfuit reges, eruitur fuisse annorum 140. quo intervallo nec scripta hebraeorum, neque ethnicorum libri tradunt Israelis gentem quidpiam calamitatis passam fuisse; quinimmo prospere egisse hebraeorum rempublicam, facile ex iisdem scriptoribus accipitur. Imperii persici casus per Magnum Alexandrum intra hos annos, qui vixit paulo post Ochi mortem, nobis est auctor maximus de plenissima nationis hebraicae tranquillitate. Alexandrum enim, scribit Flavius libro XI. Antiquitatum, Tyro potitum, exercitu redacto in Hierusalem, incidisse in Jaddo summum sacerdotem sacris vestibus indutum, quem Alexander veneratus ab ultione desiit. Deinde templum ingressus obtulit sacrificia Deo exercituum quippe, qui suos triumphos sensit, soli hebraeorum Deo referendos fore. Benigne et ob hoc egit erga hebraeos, eorum tributa imminuit, suis legibus uti eos sivit, ac alia hujusmodi bona illis contulit. Item paulo post sub Ptolomaeis pacifica perstitit eorum respublica, dum aegyptii reges, hebraeorum probata fide erga semetipsos, inter aulicos eos cooptarunt; et in omnes tum Aegyptum, tum Judaeam incolentes mitissime sese gesserunt, uti de origine versionis Septuaginta

disserui. Cum ergo talis prospera et continua hebraeis collata sit aetas post Judith gesta, vera quoque et rata habebuntur sacri scriptoris verba, dum ait in omni spatio vitae Judith nullum, qui turbaret Israel, fuisse, neque post mortem ejus annis multis. Ideoque si vir clarus Pridaux ante hoc tempus minime invenerit sub medorum et persarum imperium, ubi institueret Judith Scripturam, ad hoc aevum eadem reportata, haud sibi querendum esset de tam longo et pacifico intervallo, quo fruiti sunt hebraei post obitum Judith.

Nihil vero officit quod dicit Flavius idem, testimonio Agatharchidis Cnidii innixus, testati sub Ptolomaeo Sotero Lagi filio, ipsum, dolo capta Hierosolyma, dure in hebraeos egisse, pluresque illorum traduxisse captivos in Aegyptum. Huic vero testimonio, etsi parvi sit momenti contra ea, quae supra relata sunt, Polybius libro v. longiori sermone Ptolomaei gesta et Antiochi in Phoenicia censens, contradicit. Ait enim, apud Gazam superato Antiocho, ac profligatis militibus, Ptolomaeum in Phoenicia et Coele-Syria mansisse ad tres menses ad componendum statum illarum urbium. Populus autem illarum regionum, addit, ad demerendum Ptolomaei gratiam, nullum blandimenti genus praetermisit, eum scilicet coronis, sacrificiis honoravit, utpote gentes, quae innata quadam inclinatione ad hujus Aegypti regiae venerationem incitantur. Nihil vero mali innuit Polybius, intulisse hebraeis Ptolomaeum.

§. XIII. Neque tandem contra hypothesim nostram officit summi sacerdotis Joachim aetas, qui tunc temporis ministerio supremo fungebatur Hierosolymis. Flavius sub Xerxe persarum rege statuit summum sacerdotem nomine Joachim. In Esdra item legitur Joachim filius Josue, qui alius videtur esse ab eo, quem censet Flavius lib. xi. Antiq. et ab illo nuncupato in historia Judith. Summus Sacerdos, qui circa aevum Artaxerxis Ochi Hierosolymis praeerat juxta Chronicon Eusebii ex scriptoribus Flavio et Africano collatum, ignoratur, quemadmodum alii, intervallo biscentum annorum dynastiae persicae, in Judaea praefecti. Tantum ibi memoratur Iaddo, ille idem, qui obviam venit Alexandro Magno Phoeniciam invadenti, annos circiter viginti quinque post ejusdem Ochi expeditionem. Auctores porro hebraei neque cum Josepho, neque cum Scriptura conveniunt in censu summorum pontificum, neque circa nomina illorum propria. Nonnulli enim pluribus et variis nominibus nuncupati fuere, uti ex iisdem Scri-

pturis eruitur, quod quidquam obscuritatis addit interpreti. Notandum insuper est, cum hebraei una cum Flavio rescidissent annos monarchiae persarum, etiam sacerdotes summos, qui eo tempore ministerium sacrum in Judaea perficiebant, oblivioni mandatos fuisse; ideoque nobis ex illis nihil est eruendum pro historia Judith, neque de sacerdote, qui illis diebus praerat Hierusalem. His addas quoque in Scripturis non haberi ordinatim nomina summorum pontificum adeo, ut ex iis decerni possit series annorum, et rerum, quae sub eorum sacerdotio acciderunt. Etenim scriptores divini, illorum genealogiam censentes, haud semper secuti sunt successivam et realem generationem patris, et filii et nepotis et sic vicissim, sed aliquando nonnullis praetermissis, ex patre ad nepotem, vel etiam ulterius progressi sunt. Siquidem vocabulum gignere, seu generare in libris propheticis non innuit semper successivam generationem patris relate ad filium; sed saepe dicitur simpliciter de illius prosapie praeter terminum verae generationis.

§. XIV. Expensis omnibus, quae ad ordinem sacrae historiae pertinebant, et aggeratis, quoad potuimus, viis ad perspicuam ejusdem historiae assequendam narrationem, alia supersunt modo disquirenda, neque minoris difficultatis et momenti, quae respiciunt mulieris hebraeae incessum et actus, tum cum ea ab omni spe salutis suae Israelisque dejecta, facinus audet heroicum, satisque mirum et animo delicato praestans.

Hujusmodi porro ita se habent Judith actiones, sicuti nobis exhibet sacer illius historicus, ut adversarii offendantur, quippe in ejus historia adprobentur ea, quae aliis in Scripturis vetantur. Uti ex. g. mendacium, dolus, caedes praemeditata, quam ipsa Holoferni intulit, aliaque hujusmodi descripta circa conversationem Judith cum eodem duce assyriorum, quae divinitati libri videntur obstare. Reipsa, ut innuitur ibidem, Judith e Bethulia egressa, Holofernis castra pertransiens tentorium illius adit. Coram ipso adeo pulchra et compta, ut caperetur quisque in oculis suis, nonnihil Holofernis iram sedat; ducis virtutem et regis Nabuchodonosori potentiam extollit; arguit populum suum de eo, quod facturus esset, Holofernis spem erigit occupandi Judaeam, eumque ducendi in medium Hierusalem, quoniam Deus ait, hebraeis iratus, traditurus eos esset in manus assyriorum. Et alia ibidem addit verba illusionis coram Holoferne usque dum deceptus, per mulieris manus interficitur.

Primum vero, quod attinet ad dolum, quo Judith vicit Holofernem, adversariis haud esset mirandum, cum et plura Scripturae Proto-Canonicae ab eis acceptae, exempla his similia praebeant, quae hebraeorum mendaciis et illusionibus aliquando sunt ornata. Rebeccae verba (1) ad Isaac filium suum, et Isaaci ejusdem sermo ad Jacobum patrem suum jam senem in supplantationem fratris sui Esau, quidquam doli ostendunt. Attamen hunc actum Jacob, ut sensit, probat, et ratus a Deo habitus fuit. In libro Judicum (2) haec leguntur. Aod filius Gera a filiis Israel missus fuit dona allaturus Aeglon regi Moab; quae cum fecisset ait, se verbum secretum habere ad regem, ex quo, egressis omnibus, qui erant cum Eglon, infixit Aod sicam in ventrem ejus, et abiit, ac ita liberavit populum Israelis. Pariter in eadem Scriptura, (3) Jahel Sisarae occurrens in domum suam eum recepit, utrem lactis praebuit bibendum, ac dormientem pallio operiens, clavo illius tempora transfixit, populique Israel confirmat libertatem; et sic de ceteris, quae hujusmodi occurrunt in Scripturis. Hucusque interim dicta intelligenti satis. Et studium nostrum satius impendamus exquirentes apta argumenta, quibus mulieris hebraeae rectitudo, et suorum actuum in castris assyriorum aequitas coram omnibus lucescant; ac inde Dei justitia pateat in eo, quod perfecit Judith.

§. XV. Omnis Judith conversatio cum Holoferne in eo erat prorsus, ut liberaret populum suum ab instantibus, et gravissimis calamitatibus, quae omnia subversurae forent civilia et religiosa judaeorum instituta. Bene noverat ipsa, quae fecerat assyriorum dux omnibus civitatibus, quae ei restiterant, ac aliis insuper, quae pacificis verbis ei occurrerunt. Et ob hoc precatur Deum, ut, si fieri potest, illius superbiam dejiceret, illius furorem contunderet, vanaque omnia fierent Nabuchodonosori et Holofernis molimina contra populum Israel. Non in propriam ultionem inimicorum, Deum deprecata est Judith, sed in gloriam suam illud petiit ab eo; ita enim patres sui in Aegypto, in deserto, in Assyria a suis Deique veri hostibus vexati, triumpharunt non tantum in bonum Israel universi, verum etiam in argumentum verum divinitatis, quae omnia creavit, idola gentium et ipsos homines, qui impie contra Dominum efferebantur. Ad haec intuita Judith cogitat illorum superbiam

(1) Gen. c. XXVII. — (2) Judic. c. III. — (3) Judic. c. IV.

conterere, et quod maxima erat humilitatis nota et opprobrii, per manus foeminae. Hac perfecta ad Deum oratione Judith, demissis vestibus viduitatis suae, induit se omni ornatu muliebri, seque unxit myro optimo, ut placeret Holoferni ac singulis, qui eam viderent. Omne namque in Judith ornamentum non ex libidine, sed ex virtute pendebat. Ejus facies pulcherrima, eximia corporis forma, loquendi venustas, conversationis elegantia, animi sapientia adeo in muliere composita erant, ut ei aditum patefacerent ad Holofernem, illius furorem sedarent, atque in cor suum amorem pariter et timorem injiceret, ne ei invitae quidquam mali machinaretur hostis. Ac ita compta Judith exit Bethulia, castra Holofernis ingreditur ad perficiendum quod excogitavit (1).

Interea venit Judith ad excubias assyriorum, graditur inter milites, simulat causam adventus sui, loquitur coram Holoferne, et dum ait, Deum ob peccata populi sui traditurum fuisse eum in hostium potestatem, memorat ipsa Judith sermonem, quem locutus fuerat Achior Holoferni eidem, ut is attente observaret utrum ne esset peccatum in Israel, in cujus poenam Dominus eos ultus traderet inimicis suis. Judith sermo omnis in eo erat ut ostenderet in impium animadvertere Deum, justum vero non derelinqui ab eo; et ideo sedulo ponderanda erant ab Holoferne Judith verba, sicuti et altera Achior, num scilicet ex parte judaeorum staret justitia, an ex sua parte, et utrum nec ne jure invaderet ipse Judaeam, ex quibus omnibus praelii exitus pen-

(1) De ornatu Judith (cap X. 4.) Latina versio ait: « Cui etiam Dominus contulit splendorem etc. » Ea verba non habet graecus interpres, sed pro illis dixit: « Et pulchra facta est valde in seductionem oculorum virorum quotquot viderent eam. » Hic emphaticus loquendi modus hebraeorum phrasi peculiaris est, et passim in libris Scripturae occurrit, uti ex. g. in Genesi de fratribus Joseph dicitur: « Biberunique, et inebriati sunt cum eo » quod idem est ac: biberunt valde. Juxta morem incessit coram Holoferne Judith quemadmodum Esther coram Assuero. Hoc etiam animadvertatur; aliud est enim personae venustas, ceteraeque corporis qualitates; et aliud quidem incessus, et habitus inverecundia. Ob oculos nostros id quidpiam anachronismi conferret, dum faciei decor, et personae comptus vix sejunguntur ab immodestia et impudicitia. Hoc non perfecit Judith; se induit in sui aevi morem, et quemadmodum se Israel habebat consuetudo. Nihil addidit in vestimentis impudicitiae, nil indecorum in ea apparuit; nil ergo in ea est arguendum. Illius facies pulchra, aetatisque vigor, quae a natura obtinuit ornatu muliebri adaucta hoc speciei genus contulere in Judith ita, ut placeret omnibus, qui videbant eam, prout describit sacer historicus.

deret, uti Holoferni enunciaverat et Achior. Recte nos arguentes invenimus verba a Judith contra Israel pronunciata aliter esse super exercitum assyriorum vertenda. Siquidem Israel gens a Deo electa; assyrii vero impii. Prima humilis et in Deo exercituum fidens; alteri superbi, et in copia militum spe elati. Prima Deo placens; secundi peccatores, quorum desiderium perire debebat. Et hanc ob necessitatem simulandi, qua victa erat Judith in tanto discrimine, Origenes libro Stromatum plura dicit ut Judith simulationem coram Holoferne explicet ac purget.

Neque contra hoc facit quidquid dixit Holofernes Judithae, cum ei promiserat captionem civitatis Bethuliae, et judaeorum dispersionem illis dictis: « Et quoniam bona est promissio tua, si fecerit mihi hoc Deus tuus, erit et Deus meus, et tu in domo Nabuchodonosor magna eris, et nomen tuum nominabitur in universa terra. » Haec porro promissio nihil boni in animo ducis ostentabat, Deoque haud erat accepta; dum Holofernes bona spondet in impii operis intuitum, ob patratam nempe populi innoxii ultionem, ob iniquam sui gloriam, et in ipsius Dei contemptum. Hujusmodi verba quoddam solummodo blandimenti genus erant, ut Holofernes placeret Judithae. Notandum insuper in Judith, praeter illa verba simulationis, neque de peccato incusari posse mulierem, dum ipsa versatur in tentorio Holofernis. Ea ibi memorat erga Deum suum officia, patrias leges haud oblivisci tur, accumbit mensae Holofernis, neque tamen polluitur ethnicorum cibis. Fit grata Holoferni, sed et cor suum rectum in oculis Dei. Illam diligit Assyrius, simulque eam veretur et nihil in ipsam vis agit; et hoc omne obtinuit praeclara mulieris virtus, quae divino auxilio innixa, impuras calcat hominum pravitates, easque abhorret, et semetipsam vicit, ducisque impudicitias superavit. Et profecto, cum longa mora lacessitus Holofernes, Vagao dixerit: « Vade et suade hebraeam illam, ut sponte consentiat habitare mecum, foedum est enim apud assyrios, si foemina irrideat virum, agendo ut immunis ab eo transeat. » Judith opi divino fisa, nutui obsequitur; venit ad eum, mensae accumbit; et cum Holofernes voti se compotem existimans cibo, et potu sopitus jacet, altera vero vigilans coelesti virtute roborata capite illius abscisso, concupiscentiam illius explevit; ut congrue de ea scribit Hieronymus ad Furiam viduam: « Vincit viros foemina, et castitas truncat libidinem. »

Alphonsus Nicolaus dissertatione XIV. de Judith actis,

animadvertit honestum in Holoferne amorem excitare, ac licito dein stratagemate uti voluisse Juditham: « Ideo civili et politica adoratione coram eo pro more orientalium se prostravit. Idcirco obsequium mere politicum professa, ubi agebatur de causa patriae et religionis, juravit per Nabuchodonosorum, et Holofernem, quin in iis numen aliquod recognosceret, uti Joseph per salutem Pharaonis, Anna mater Samuelis, Elisaeus, Abigail, Abner per vitam hominum jurarunt; ac divino Spiritu ducta, ejusque auxilio confisa pro patria, et religione in media se pericula intulit, per formulam urbanitatis sensu bono dixit: - Quidquid illi placuerit, hoc mihi erit optimum: - ac diversa a communi more et oeconomia nonnulla, quae speciem simulationis et mendacii habent, egit locutaque fuit. »

Advertas insuper, judaeos, ut legitur ea in historia, tunc temporis Dei cultum, proprias leges, opes, filios, libertatem, commoda omnia propugnasse contra Nabuchodonosorum Ochum, qui, patre et satrapis regni invitis, thronum persarum impie occupans, et patrum statuta destruens, Judaeam invasit animo, illius incolas omnibus praedictis bonis privandi et templum Dei diruendi, quae quidem omnia nullo modo abdicare poterant hebraei, quinimmo omni jure vindicanda. Et ob hoc Clemens Alexandrinus Stromatum libro IV. ita de hac muliere disserit: « Sed etiam Judith, quae consummata fuit inter mulieres, cum esset urbs circumsessa, precata seniores ingreditur quidem in castra alienigenarum, omne periculum contemnens, pro patria seipsam tradens hostibus in fide Dei; praemia autem fidei mox accipit mulier; cum in hostem fidei se praeclare gessisset; et potita sit capite Holofernis. » Divus Augustinus, quaestione super Josue, verba dicit, quae Judith opera comprobant: « Cum justum bellum homo justus susceperit, utrum aperta pugna, utrum insidiis vincat, nihil interest. » Item libro I. de Civitate Dei c. 21. addit: « Nequaquam contra hoc fecerunt praeceptum, quod dictum est: - non occides: - qui Deo auctore bella gesserunt, aut personam gerentes publicae potestatis secundum leges ejus, idest juxta justissimae rationis imperium, sceleratos morte punierunt. » Serarius in hunc librum his Augustini sententiis plaudens sequitur: « Cum justum bellum, divinisque legibus consentaneum est, licet hostem ubi, et quando sese offert occasio, necare, ac tum quisquis eum necat, divinae justitiae minister est. » Praecitatus denique Origenes, cum inter alios viros doctos, gestorum Judith rectitudinem

comprobasset, virtutem quoque illius extollit hoc encomio, quod de ea texit Homilia IX. in Judices: (1) « Quid ego illam magnificam, et omnium foeminarum nobilissimam memorem, quae jam perditis pene rebus non dubitavit sola succurrere, seque suumque caput immanissimi Holofernis neci sola subjicere? Et processit ab bellum non in armis, neque in equis bellicis, aut in subsidiis militaribus freta, sed virtute et confidentia, consilio simul et audacia hostem perimit, et quam viri perdiderant, foemina reddidit patriae libertatem. »

§. XVI. Animadvertenda quoque existimo ea verba Judith, quibus precatur Deum dicens: « Domine Deus patris mei Simeon (2), qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, et denudaverunt femur virginis in confusionem. » His verbis Judith Dei justitiam extollit in puniendo sichemitas violatores Dinae, neque vero actum probat patrum suorum, modum scilicet, quo ulti sunt Sichemitarum gentem; quod quidem reprobaverat Jacob. Tantummodo innuit Judith, grave adeo fuisse in Deum peccatum Sichem ob violatam Dinam, ut per Simeonem et Levi suae ultionis instrumenta, percussi sint. Haec porro elocutio Prophetis peculiaris est. Nabuchodonosoro a Deo vocatur servus suus, ut expleat vindictam in populum Judae et in omnes regiones finitimas. Praemia quoque ei affert laborum suorum, quos pertulit in obsidione Tyri: « Et merces, ait Deus (3), non est reddita ei neque exercitui ejus de Tyro pro servitute, qua servivit mihi adversus eam. » Ideo Deus dedit Aegyptum mercedem regi assyriorum Nabuchodonosori pro opere, quo laboraverat ei adversus Tyrum. Hoc facto, attamen Dominus neque approbavit opera Nabuchodonosori, neque duritiem, qua affecit captivos judaeos, nec illius superbiam, quinimmo eum quoque deprimit. Sed eo rege tantum usus est Deus, veluti instrumento, ad explendam iram suam contra impios, et hebraeos et alias gentes, quarum opera iniqua erant. Hoc sub intuitu, neque aliter, oravit Judith Dominum, ut removeret assyrios, per quos certo noverat in confusionem et opprobrium danda fuisse omnia sacra hebraeorum, bona, et mulieres quoque humiliandas ex eorum impetu in terram Israel.

§. XVII. Satis sint hucusque expensa de Judith historia,

(1) Tom. II. p. 477. ed. mau. — (2) Judit. c.IX. 2. — (3) Ezech. c.XXIX.

illius aetate, deque jure, quo ipsa in exercitum assyriorum intulit confusionem caede Holofernis. Omittantur alia, quae satius interpretis est diluere. Neque hic insto criticorum opiniones animadvertens contra hypothesim nostram de hujus historiae aetate institutam. Potest enim lector, collatis inter se et nostris et aliorum sententiis, ac argumentis utrinque trutina ponderatis, judicium ferre.

Huc etiam referre placet Hieronymi verba in praefatione hujus libri, ne quisque miretur illam varietatem, quae aliquando occurrit hoc in libro, inspectis latina Hieronymi versione e chaldaeo, et altera vetusta Alexandrina. Nec primam, neque alteram de errore arguamus, quum in Ecclesia Catholica ambae editiones authenticae habeantur. Sciendum est tamen latinam Hieronymi versionem breviori sermone fuisse exaratam ; siquidem divus doctor sensum aliquando e codice chaldaico potius transtulit, quam litteram, uti ait: « Et sepositis occupationibus, quibus vehementer arctabar, huic unam lucubratiunculam dedi, magis sensum e sensu, quam ex verbo verbum transferens. »

Quod Hieronymus hoc in libro fecit, haud viderer deceptus, eamdem asserens sententiarum contractionem, quae percipitur in Tobiae Scriptura, ex ejusdem Hieronymi calamo processisse, cum Divus interprete hebraeo usus, utriusque linguae hebraicae, et chaldaicae perito, in sermonem latinum transtulerit illum librum. Antiquissimi enim codices Bibliorum latini ex graecis Septuaginta interpretibus versi ipsas exhibent additiones, quae hodie leguntur in hellenicis omnibus manuscriptis Scripturarum, ut notavit clar. Sabbatier in Collatione Vulgatae etc.

Tandem siquis me de auctore Judith libri, et aetate, qua scriptus fuit, postularet, arduum etsi hoc sit, ex novissimis tamen hujus Scripturae verbis de pace, qua fruitus est Israel post obitum Judith annis multis, et ex diebus festis, quibus victoria Judith ejusdem celebrata fuit ex eo tempore usque ad praesentem diem, ut dicit illius historiae auctor, eruitur eumdem, hanc historiam compegisse ex veteribus actis hebraeorum, quae apud eos servabantur, quemadmodum divini Librorum Regalium scriptores testantur in texendis gestis regum Juda, et Israel. Certum quidem est, ut satis altera parte probatum fuit, hunc librum primo hebraice sive chaldaice fuisse exaratum a quodam, ut videtur, Bethuliae cive; ac deinde inter sacros libros Proto-

Canonicos ex hebraeo translatum graece ab interpretibus aegyptiis in usum synagogae. Hoc insuper addam, cum dictio graecanica hujus libri conformetur graeco eloquio libri Josue, et vocabulum celticum γαῖσος *gesos jaculum* peculiare tantum sit et Scripturae Josue et historiae Judith, eadem aetate, ac per eumdem interpretem quoque ex hebraicis codicibus opinarer ambos libros versos fuisse; quod hujus historiae auget auctoritatem,

PROPOSITIO III.

De additamentis Deutero-Canonicis in libro Esther.

§. I. Alia praeclara admirandaque gesta profert Estheris historia. Ea enim mulier non inferior utique virtute alteri, cujus nuper acta expendimus, populum Israel servat non ope gladii, sed vi et elegantia sermonis. At cum haec historia partem constituat Canonis hebraici, neque respuatur ab adversariis, praesens disquisitio versatur tantum de additamentis nonnullis in textu alexandrino repertis et ab hebraico alienis, quae a Hieronymo in editione vulgata ultimo loco mandata, spectant somnium Mardochaei de discrimine, in quo degerunt hebraei ob Aman impietatem, insidias regi a Mardochaeo delatas; regium edictum de judaeorum caede; preces Estheris et Mardochaei coram Deo effusas; ejusdem Estheris coram rege aditum; ac tandem edicti revocationem in Israelis salutem.

§. II. Idcirco enucleatum pergentes harum pericopum difficultatem, necesse est ut antea universim expendamus narrationem. Ita namque agendo, non solum magis pateflet historia, ejusdemque accommodatio aetati et regi Assuero, seu Artaxerxi illi, qui ibidem personam gerit, verum etiam majoris momenti habebuntur rationes, quibus credenda erit divina inspiratio additionum, quae extra Canonem hebraeorum leguntur.

Sicuti paulo ante dictum in libro Judith, longum aetatis intervallum hausimus, quo perduravit persarum et medorum dynastia, et latius quidem eo, quod instituerunt synagogae magistri. In hoc pariter spatio versati disquiramus, quis esset ille Assuerus, de quo mentio fit in hac historia, et quo anno facta sunt ea, quae ibidem narrantur. Praetergressi interea dies Cyri, Darii Hidaspis, et Artaxerxis Longimani, quippe vitam degentium, quando collati sunt libri ambo Esdrae et Nehemiae, aevum assequemur, quo Ecclesiae patres, ac nonnulli interpretes opinati sunt gesta fuisse, quae in Estheris Scriptura memorantur. Ex his censetur Eusebius, qui in Chronico disserens de altero Artaxerxe, *Memnon* nuncupato, ait: « Sub hoc rege mihi videtur historia, quae in Esther libro continetur, expleta, ipse quippe est, qui ab hebraeis Assuerus, et a Septuaginta interpretibus

Artaxerxes vocatur. » Hieronymus quoque huic opinioni annuit, dum in Ezechielis caput IV, scribit : « Post Darium cognomento *Nothus* Artaxerxes cognomento *Memnon*, vel *Mnemon* Darii et Parisatidis filius regnavit annis quadraginta, qui ab hebraeis Assuerus appellatur, sub quo Mardochaei et Esther narratur historia, quando omnis populus judaeorum de mortis periculo recepit pristinam libertatem. » Hos excipit Sulpitius Severus, qui duos novit Artaxerxis nomine reges, et dicit sub secundo evenisse, quae referantur in Esther historia : « Quia haud fuit verisimile, ait, ut, si sub priore Artaxerxe fuisset, qui ejus tempora complexus est (Esdras) nullam tam illustris foeminae memoriam retulisset. »

§. III. Hisce positis, disquirantur in ethnicorum historiis hujus Memnonis monimenta, utrum ne ista conformentur hujus libri verbis. Plutarchus, et Xenophontes suis scriptis plurima tradiderunt, e quibus quodammodo conjicitur Memnonem Artaxerxem, illum esse, cujus fit memoria in libro Esther. Utrisque porro collatis, res magis patefiet. Testis est Plutarchus, in aula Artaxerxis versari sexaginta, et tercentas praecellentissima forma concubinas ; valde insuper, ait, illum indulgere cibo et potui, et ob hoc singulis diebus mensam refertam esse novis variisque epulis, summoque studio elaboratis. Sacra Scriptura de hoc Artaxerxe dicit (1) : « Tertio igitur anno imperii sui, fecit grande convivium cunctis principibus, et pueris suis fortissimis persarum, et medorum inclytis, et praefectis provinciarum coram se. » Censito porro a divino auctore sumptuoso apparatu convivii addit : (2) « Bibebant autem, qui invitati erant aureis poculis, et aliis atque aliis vasis cibi inferebantur. Vinum quoque, ut magnificentia regia dignum erat, abundans, et praecipuum ponebatur. Nec erat, qui nolentes cogeret ad bibendum. Sed sicut rex statuerat, praeponens mensis singulos de principibus suis, ut sumeret unusquisque quod vellet . . . . . Itaque die septimo, cum rex esset hilarior, et post nimiam potationem incaluisset mero, praecepit etc. » Verum capite v. dicitur : « Postquam vinum biberat, abundanter etc. » De concubinis item, repudiata regina Vasthi, ait, ex (3) universis provinciis quaesitae sunt puellae virgines, et speciosae tradendae in domum foeminarum sub manu Egei eunuchi praepositi, et custodis mulierum regia-

(1) Esth. c. I. 3. — (2) Esth. c. I. 7. — (3) Esth. c. II. 2 et 14.

rum, quae omnia cohaerent ethnico historico. Etsi porro mollitie diffluentem hunc regem pingat Plutarchus, is idem attamen vocat illum quasi moderatiorem, blandiorem aditu, atque in elargiendis pro merito honoribus, beneficiisque effusum, omni supplicorum exactioni detrahentem contumeliam, ac in accipienda gratia exultantem; quae aemulationi fuerunt fratri Cyro. Et haec virtutis genera lucent quoque in Estheris libro, erga Mardochaeum, qui pro fide sua honoratus fuit a rege, et constitutus super domum suam. Erga eamdem Estherem clemens factus est, cum ipsa ingressa sit ad eum contra legem, pro populo suo precata, cui ait rex: « Quae est petitio tua, Esther, et detur tibi; et quid vis fieri, etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. » Blandus, mansuetus, moderatus describitur in suis litteris (1) ad universas provincias regni sui, in quibus bonitas animi sui in subditos patent, humanitas ac pietas.

Insuper in hujus historiae capite I. dicuntur duo eunuchi insidiati fuisse vitae regis Artaxerxis: « Hi morabantur cum Mardochaeo ad fores regii palatii; Mardochaeus vero, cum intellexisset cogitationes eorum, et curas diligentius pervidisset, didicit quod conarentur in regem Artaxerxem manus mittere, et nuntiavit super eo regi, qui de utroque habita quaestione confessos, jussit duci ad mortem: » Plutarchus pariter quidquam narrat circa insidias vitae Artaxerxis, et quomodo eunuchus has regi patefecit; scribit enim: « Ubi frequentes jam conspirarunt, consilium detexit regi eunuchus, qui etiam rationem rei gerendae exacte cognoverat, statuisse eos nocte in thalamum regis irrumpere, et obtruncare quiescentem. Audienti haec contemnere tan-

(1) Huc quoque referri possent quae dicit citatus Plutarchus de ejusdem Artaxersis uxore nomine *Atossa*, quae eadem esset, ac הֲדַסָּה *hadassa*, uti appellatur in codice hebraico: « Et fuit (Mardochaeus) nutritius Hadassa, haec Esther. » Nisi a Plutarcho Ctesiae aliisque syris scriptoribus innixo, diceretur ea Atossa fuisse filia ipsius Artaxerxis Memnonis (quam contra leges graecorum duxit uxorem) quodammodo hoc nomen accommodaretur sacrae historiae, nostraque opinio magis praevaleret. Verum tamen est, historias persarum, medorum, et syrorum saepe commentitiis rebus refertas esse, sicuti prae aliis dicit Strabo libro XI. de persarum fastis locutus: « Sed neque ait, de his quisquam veritatem exacte perhibuit, neque de priscis persarum, medorum, syrorum rebus fidem admodum magnam invenerunt scriptores. Idque ob ipsorum simplicitatem, et fabulas edendi studium. Cum enim viderent in honore esse eos, qui e professo fabulas scriberent, existimarunt quoque suam scriptionem lectoribus fore jucundam, si sub narrationis vera specie, ea dicerent, quae neque vidissent, neque audivissent. »

tam periculum, et delationem negligere, videbatur grave Artaxerxi; credere vero, nullo intercedente indicio, gravius. Quare sic facit. Eunucho imperat, ut sese adjungat adhaereatque illis. Ipse cubiculi parietem pone lectum exscindit, aperitque in eo januam, quam tapetibus velat. » Itaque conspirati, re infecta, comprehensi poenas luerunt.

Hae ad invicem collationes inter divinam Estheris historiam, et Ethnicorum dicta de Artaxerxe Memnone, argumentum adaugent, sub eo rege patrata fuisse, quae in ejus libro memorantur.

§. IV. His animadversis, ulterius progrediendo disquiratur, utrum ne congruant inter se et textus hebraeus, quem transtulit Hieronymus, et versio graeca Septuaginta, simulque conveniant ea additamenta aetati, qua imperavit Assuerus, sive Memnon.

Si accurate expenderimus additiones illas sparsim in editione Septuaginta interpretum, ac in omnibus codicibus graecis hujus libri, et speciatim in illis vetustissimis, quos prae manibus habuit Origenes in collatione textus exaplaris, nihil aliud ex iis eruerimus, nisi explanationem ejusdem historiae, et comprobationem rerum, quae ibi dicuntur, quum in hodiernis codicibus hebraeis brevitatis causa omissae fuerint. Et quidem in textu graecanico, qui hebraice non habetur, narratur somnium Mardochaei, quod antea viderat (1). Vidit enim duos dracones magnos, paratosque contra se ad praelium; etc. . . . . usque ad ea verba: « Donec lux, et sol ortus est, et humiles exaltati sunt. » Illa dicta symbolice exprimebant, quod accidit populo Israel, uti paulo post (2) describit hebraea Scriptura dicens: « Omnisque civitas exultavit atque laetata est. Judaeis autem nova lux oriri visa est, gaudium, honor, et tripudium; dies festi celebrati sunt, et Mardochaeus exaltatus est a rege, et magnus fuit apud judaeos. »

In capite tertio legitur satis temere decretum Assueri, quod per litteras misit ad omnes provincias de caede totius hebraeae gentis. In codice hebraico tantum innuitur ejusdem epistolae sensus, et hoc aperte testatur auctor divinus, se illas breviasse litteras dicens: « Summa autem epistolarum haec fuit, ut omnis provincia sciret, et pararet se ad praedictam diem » qua scilicet occidendos, et delendos esse omnes judaeos etc. Hic porro defectus suppletur a Septuaginta interpretibus; et traditur epistola

(1) Esth. c. XI. — (2) Esth. cap. VIII. 16.

juxta quod in exemplari autographo descriptum fuit. Item ejusdem decreti revocatio, hebraice breviter seu summatim exarata, apud Septuaginta instituitur ,. uti autographum praeferebat. Eae namque epistolae commissae fuerant regum persarum et medorum commentariis in posterorum memoriam, quemadmodum a sacro historico dicitur ibidem. Praeterea in codice hebraeo indicuntur preces et jejunia populo Israel, mandantibus Esther et Mardochaeo. In graeco amborum orationes deponuntur, quibus precati sunt Dominum. Capite v. narratur ingressus ad regem Assuerum, Estheris, regalibus vestimentis indutae. Huic addunt Septuaginta interpretes omnem muliebrem ornatum reginae, illiusque actus, incessum coram rege; quae omnia ad ejusdem iram mulcendam idonea credebantur (1). Idcirco hujusmodi additamenta, praeter illud, quod satius explicent narratum, ut dixi, nullimode officiunt divinitati ejusdem.

§. V. Neque insuper audiendi sunt, qui minoris facientes easdem additiones, ajunt, illas ex tempore dici potuisse, excogitando nempe sicut solitum est in scholis, quibus verbis uti potuit, qui injuriam fecit, vel qui injuriam passus est. Ea enim, inquam, quae Septuaginta transtulere, et addiderunt praeter id, quod hodie hebraice legitur, neque inventa nec excogitata sunt, sed uti eduxere ab antiquis hebraeorum commentariis interpretati sunt in graecum sermonem. Verosimillimum profecto est, tum litteras Assueri, decretum de hebraeorum extirpatione praeseferentes, tum alias de revocatione ejusdem, haud esse tam paucis verbis descriptas, sed sermone longiori, quam ibi traditur, exaratas. Ac ita esse innuit idem hebraeus auctor dicens, se sum-

(1) Quod dicitur in cap. xv. juxta Vulgatam, Esther ingressa esse ad Assuerum haud vocata (quod contra persarum legem erat) ut pro se et pro populo intercederet, eaque regio fulgere habitu, secum sumptis duabus famulabus, quarum uni innitebatur, ac altera sequebatur defluentia in humum vestimenta sustentans, ex recenti ac veteri historia comprobantur hujusmodi consuetudines. In notitiis diurnis (Gazzetta di Firenze, 15. Ottobre 1842.) de Cinarum imperatore legitur, ut res peculiaris, quidam illius anlicas adeo sese temere gessisse, ut ausus fuerit haud vocatus adire imperatorem. Estherem porro vario ornatu comptam supplicem ad regem ingressam imitatur (ex libro XIV. Histor. Justini) Olympias, quae morte damnata a Macedonibus, ubi venire ad se armatos vidit, veste regali induta, et duabus ancillis innixa ultro obviam procedit. Qua visa, percussores attoniti fortuna pristinae majestatis, substiterunt, donec a Cassandro missi sunt, qui eam confoderunt. Ambarum mulierum ornatus ac ratio similis fuit, sed non pari fato res utrisque contigit.

matim epistolarum ambarum sensum collegisse. Minime ergo asserendum est eas litteras fuisse commentitias. Item alia addita de insidiis eunuchorum, quae bis leguntur in graeco, et semel in hebraeo. Describuntur autem initio libri, veluti prologus illius historiae, et in rerum explanationem, quae deinceps dicuntur. Pariter preces coram Deo effundunt hebraei simul in propriam salutem. Graecus vero adjicit verba, quae Esther et Mardochaeus in coelum extulere. Numquid ne hoc inventum dici potest potius, quam pars hujus Scripturae? Exempla his similia traduntur in Proto-Canonicis Scripturarum libris. Oravit Jona in ventre ceti; precatus est Ezechias gravi morbo laborans; canit Deo Anna in gratiarum actionem; Deo cecinere Debbora, et Barac de victoria Jabin. Insuper in divinis Bibliis, Prophetae impios contra Deum alloquentes proferunt. Ita enim Isaias Sennacherib in Dominum locutum inducit (1): « In manu servorum tuorum exprobrasti Domino, et dixisti: in multitudine quadrigarum mearum ego ascendi altitudinem montium, juga Libani; et succidam excelsa cedrorum ejus, et electas abietes illius, et introibo altitudinem summitatis ejus, saltum Carmeli ejus. »

His adde; illa discrepantia, quae exsurgit inter graecum et hebraeum textum historiae Esther, relate ad citatas additiones earumque divinam auctoritatem, mihi videretur conformari discrimini illi, quod aliquando intercedit libris Regum, et Paralipomenon, qui versantur de iisdem rebus et viris similiter. Attamen in Paralipomenon, qui post Regum libros collati sunt, saepe censentur a divino scriptore multa, quae praetermissa sunt in primis. Haec ne officiunt veritati et auctoritati harum Scripturarum? Minime. Illud quoque perfecerunt Evangelistae in actis Christi Jesu. Et hoc item jure fieri potuit in hac Estheris historia, quod et Vossius firmavit, ut altera parte demonstratum est.

§. VI. Nihilominus citatus Vossius cum ad ea verba pervenerit, ubi scriptum (2) in epistola Artaxerxis: « Et ut manifestius quod dicimus intelligatis, Aman filius Amadathi, et animo et gente macedo alienusque a persarum sanguine, et pietatem nostram sua crudelitate commaculans, peregrinus a nobis susceptus est .... Hoc cogitans, ut illis interfectis (judaeis) insidiaretur nostrae solitudini, et regnum persarum transferret ad macedonas; » hujus

(1) Isai. c.XXXVII. 24. — (2) C. XVI. 10.

pericopis genuitatem negat, rejicitque dicens : « Errorem (1) hunc mirum in modum aggravat scriptor additionum apocrypharum, in quibus Aman accusatur, quod voluerit persarum imperium ad macedones transferre; sed additionibus istis nihil profecto ineptius posset excogitari. » Ad huic Vossii illudendum sententiae, et sacrorum verborum firmandam genuitatem, et fidem, sciendum est primum, illam pericopen inveniri in omnibus vetustis graecis codicibus, eamque conformari epistolae nexui et tempori, quo Estheris historia expleta fuit. Tempori, dixi, namque, uti paulo ante ostendimus, Artaxerxe Memnone imperante, gesta sunt quae narrantur in libro. Neminem fugient vices, quibus subiit regnum persarum ante illud tempus et post Xerxis expeditionem in Graeciam, ob simultates, quae inter Artaxerxem et Cyrum fratrem ejus exortae sunt; quare fieri potuit, inquam, ut populi occidentales, sive graecos, sive macedones vocaveris, venirent in terras persarum, ibique in aula Assueri, seu Artaxerxis degerent, inter quos etiam Aman, qui hospes acceptus ab Assuero, conculcatis hospitalitatis legibus, regnum persarum evertere et ad macedones transferre conaretur. Juxta Eusebii Chronicon sub Memnonis imperio regnarunt in Macedonia reges Pausanias, Amintas et Argeus, qui scientia militari, justisque legibus regnum constituerunt satis firmum, suisque in posteris auctum, Philippo, et Alexandro Magno tradiderunt, quos paucis annis post, Europae et Asiae regiones peragrantes novimus, et ultra fines assyriorum praetergressos Dynastiam persarum sustulisse. Ea de ratione, haud a veritate alienum est illum Amannum in suspicionem regi venisse, cum macedonibus gente sua pangentem Orientis imperii eversionem. Huic adjicias, hoc sub titulo macedonum comprehendi posse graecas etiam provincias, quae antiquitus persas oderant, nullumque conamen praetermiserunt, nec subdola consilia ad persarum vires cohibendas, ut proprias firmarent, quod paulo post obtinuere, duce Alexandro Magno (2).

Sed id, quod, autumo, Vossium impulit illam exprobrare pericopen Scripturae Esther, versatur circa originem seu genealogiam Amanni, qui ex hebraeo codice videtur fuisse e genere

(1) Vossius de 70. Interp. Hagae. p. 24. — (2) Consulas Herodotum de expeditione Darii et Xerxis in Graeciam, Xenophontem et Plutarchum de vita Artaxerxis Memnonis.

amalecitarum, et juxta graecam Artaxerxis epistolam, e gente macedonum oriundus. Amalecitarum enim regio ad meridiem prope Palaestinam sita erat, valdeque dissita a Macedonia in Europa occidentali. Ad hanc dissolvendam oppositionis speciem, primo notandum est Agag, sive amalecitarum genus, eo tempore, minime extitisse; a Moyse enim audivimus de ea gente praedictum: « Bellum contra Agag in aeternum. » Et a Propheta Samuele discimus contra eumdem pronunciatum esse exitii anathema, cum ait Sauli: « Vade et percute Amalec, et demolire universa ejus; non parcas ei, et non concupiscas ex rebus ipsius aliquid, sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum atque lactentem, bovem et ovem, camelum et asinum, » quemadmodum reapse factum est, periitque genus Amalec, et Agag rex illius. Ideoque mallem hoc in Scripturae loco vocabulum *Agag* non realiter, sed antonomastice sumi, quod facile excogitare potuit divinus libri auctor ad annuendam Amanni impietatem, ejusdemque poenam. Et sicuti Agag, suaque gens ob eorum scelera internecioni penitus tradita fuit a Deo, ita Aman ac tota illius familia suspensi dispersi sunt, perierunt quasi illi abominabiles, et execrandi amalecitae (1).

Joannes Clericus, etiamsi huic ultimae explanationi vocis *Agaghi* non conveniat, attamen contra Josephum Flavium, qui existimavit Aman fuisse de genere Amalec, ait: « Sed haec conjectura orta est ex voce *Agaghi*, quam putant esse patronimicam ab Agago amalecitarum rege ductam, cujus rei nullum est certum argumentum. » Dubitat inde idem interpres, an fuerit nomen urbis, vel provinciae, aut cujusdam familiae persicae. Sed si institerimus vetustis codicibus lectionis exaplaris Origenis, omnia tum graecus, tum hebraicus textus coalescent de stirpe Amanni Amadathae. Aliter enim legerunt, et interpretati sunt nomen *Agag* alexandrini interpretes. Duo manuscripta bibliothecae arundellianae, quae exhibent hujus libri textum exaplarem, tradunt pro *Agagi* γωγαιον *gogaeon*. Alii codices, sed erronee, ut videtur, leguñt *Bugaeon* loco *gogaeon*. Sed vera lectio, et conformis mihi videtur esse *gogaeon*, scilicet e genere Gog. Et juxta hanc interpretationem vocabuli *Agaghi* cohaerent tum Scriptura hebraica

(1) Quod vulgatus textus dicit: « Aman filium Amadathi, qui erat de stirpe Agag, » hebraeorum codices tradunt tantum: « Aman filium Amadathi Agaghi. »

Esther atque Septuaginta, tum verba graeca epistolae Artaxerxis, qui significatum explicat *Agaghi* dicens : « Aman filius Amadathi, animo, et gente macedo. » Ita evanescit antilogia, siquidem in divinis Scripturis, eo vocabulo *Gog* et *Magog*, nuncupantur, testibus Flavio, Theodoreto, divoque Hieronymo, posteri Japhet, idest gentes septentrionales scytae, et occidentales thraces et macedones, qui tunc temporis, ut paulo ante dixi, imperium latum tenuere (1).

§. VII. Superest autem discutiendum, quod opinioni de gestis Esther sub Artaxerxe Memnone obstat, ob Mardochaei genealogiam. Dicit enim Scriptura : « Erat vir judaeus in Susan civitate vocabulo Mardochaeus, filius Jair filii Semei filii Cis, vir Jemini, qui translatus fuit de (2) Hierusalem eo tempore, quo Nabuchodonosor rex Babylonis transtulerat Jechoniam regem Juda. » Juxta chronicam supputationem, a Jechonia rege usque ad Artaxerxem Memnonem spatium biscentum annorum circiter interfluit, quod aevum minime assequi poterat Mardochaei vita. Staret utique difficultas, quatenus in citato loco Mardochaeus e Judaea emigrans nuncuparetur, et non Cis tertius in ea generatione retrograda, qui in captivitatem ductus generavit illic Semei, is Jair, et Jair Mardochaeum, de quo hic agitur. Mardochaeus (alius omnino ab eo, cujus mentio fit in Scripturis Esdrae et Nehemiae, e captivitate reduce) in regno persarum captivus natus a Jair filio Semei, filii Cis, tertio gradu, satis cohaeret aetati, qua statuimus Estheris historiam. Huic interpretationi plaudit Rupertus, qui libro VIII. c. 5. ait : « Non ociose hic commonendum, quia non Mardochaeus, sed Cis proavus ejus subaudiendus. » Serarius pariter scribit : « Non per se Mardochaeus, et in se ipso, sed per Cis tantummodo, et in hoc translatus dici potest. » Idem sentiunt Canus, et Bellarminus. Nuper citatus Clericus, etsi sub Artaxerxe Longimano putet gesta fuisse ea, quae narrantur in libro Esther, de genealogia Mardochaei ita arguit : « Sed non Mardochaeus dicitur abductus in captivitatem a Nebuchadnetzare, verum proavus ejus Cisus. »

§. VIII. Denique adversarii, lecta alia pericope de parvo fon-

(1) Septuaginta interpretes in antiquis hebraeorum codicibus videntur legisse גוג *Gog*. Insuper Interpres graecus libri I. Regum c. XV. legit Αγάγ *Agag*; et non *Gog*, neque *Gogeon*, quod innuit, alium esse Agaghi in libro Estheris ab eo, qui habetur in citato libro Regum, ut Amalecitarum rege. — (2) Esth. c. II. 5.

te c. X. qui crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est etc. quae figura erant Estheris, hanc veluti commentitiam faciunt, et alienam a divina Scriptura. Nonne fontes, lux, sol, indicia erant prosperitatis, et gaudii in Israel? Nonne vulgatae habentur a sacris scriptoribus dictiones ejus generis? Nonne et Horatius Caesarem Augustum lucem patriae et fulgorem populi appellat? Prophetae omnes pluries symbolice futura praeviderunt, et hujusmodi symbola suis mentibus objiciebantur. Clarius inquam; fortasse visio illa, quam in somnio vidit Mardochaeus de periculo gravi, et salute Judaeorum, opponitur divinae inspirationi, quippe quod Deus nunquam in somnio hominibus apparuerit, eisque suam voluntatem indicarit? Illi, qui continuo prae manibus divina Biblia habent, divinamque ibi revelationem pariter contestati sunt, noverint quot modis et variis suam voluntatem homines docuerit Deus. Nonne in extasi, sive mentis excessu Petrus Apostolus (1) vidit coelum apertum, et descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis, submitti de coelo in terram, in quo erant omnia quadrupeda, et serpentia terrae et volatilia coeli? quae Cornelii omniumque ethnicorum conversionem exprimebant ad Christum, cum esset ipse Deus omnium, omnesque vellet salvos fieri. Nonne in somnio et visione vidit Nabuchodonosor fatum regni sui, quam ei interpretatus est Daniel (2)?

Haec omnia si aeque ponderentur, conformantur visioni divinae, quam vidit Mardochaeus in somnio circa ea, quae eventura erant Estheri, et populo Israel. Satis dixi de hac historia, reliqua potius interpretis est expendere. Et ob hoc plurima hujus libri commentaria conflata sunt, quae lectori commendantur.

(1) Act. Apost. c. X. — (2) Daniel c. II.

PROPOSITIO IV.

De libro Sapientiae vulgo Salomoni nuncupato

§. I. Ubi mirabilia Dei in sanctis suis ante exposuimus tribus propositionibus, quaeque reapse Deum esse in coelis, qui omnia moderatur, ostendunt; modo progressi in duos Scripturarum libros incidimus, qui haud opera Domini coram creaturis suis enarrant sed coelestem Dei doctrinam praeseferunt. In horum primo homines Deum verum norunt; divinae namque illius perfectiones, omniaque illius attributa ibi adeo elucent, ut perspicuum sit unum esse Deum ceteris omnibus ethnicorum diis praepollentem, ipsumque aequitate summa componere et regere orbem terrarum. In altero vero docentur homines juxta illas Dei perfectiones incedere, suae sese conformare voluntati, actusque omnes temperare ita, ut placeant ei; atque inde, de medio sublatis, quae sanctitati suae officiunt, Deo sancto et puro servire sentiant. Adeo nempe ibi excellit doctrina divinitatis et morum, ut ambo libri a graecis patribus antiquitus, ne dicam ab eisdem hebraeis, fuerint titulo Sapientiae decorati. Eusebius ita eos nuncupat, et Augustinus libro II. De Doctrina Christiana, nonullos e veteribus autumasse ait, unum et eumdem scriptorem fuisse eorum librorum. Ita enim scribit: « Libros Sapientiae, et Ecclesiastici a Jesu Sirach conscriptos esse constantissime perhibetur. » Nihilominus divus Pater In Speculo divinae Scripturae auctorem libri Sapientiae in dubium vocat, ac tantum statuit Sirach Ecclesiastici librum scripsisse: « Nec tamen, ait, ejus, qui Sapientiae dicitur, quisnam sit auctor, apparet; illum vero alterum, quem vocamus *Ecclesiasticum*, quod Jesus quidem scripserit, qui cognominatur Sirach constat inter eos, qui eumdem totum librum legerunt. » Ideoque varios existimantes et nos harum Scripturarum auctores, dum expensum eos accedimus, congruum videtur, partim ambos discurrere libros, eorumque difficultates solvere, et adversariorum refellere opiniones, qui eorum divinitati mentiti sunt.

§. II. Haud ignorandum est antea, eruditos, Sapientiae librum dividere in tres partes; alios vero in duas tantum, easque in alias sectiones pariter divisisse. Alii porro insuper non unum et eumdem, sed varios sentiunt fuisse auctores libri. De illis, qui dividunt hanc Scripturam in duas vel tres partes, prout eis

materies subjecta videtur expostulare, non est ut verba faciam. Quomodocumque hunc librum sumas, sive dividi velis, sive non, nil mea interest. Certum tamen est hujus Scripturae auctores, non plures fuisse, sed unum tantum; atque ipsum auctorem inspiratum divinitus in rebus scribendis, quae ibidem leguntur, conformari ceteris sacris Prophetis tam veteris, quam novi Testamenti.

Et relate ad eos, qui plures auctores asserunt hujus libri, ita dissero; etsi quapiam ratione variet in eo materies, et aliquando stilus majori emphasi videatur elatus; attamen probandum est ejusmodi se habere nexum hujus Scripturae, ut capita, seu sectiones, minime una ab altera secerni queant. Ex. gr. ut sileam de primis capitibus, quorum omnes fatentur unitatem; quomodo quis sejungeret caput VI. a VII. et VIII. In sexto enim, ubi locutus est sacer philosophus de rege sapiente, qui stabilimentum populi est, idem auctor regis Salomonis personam gerit, et sapientiam illius describit, quam a Deo petiit, ut aequitate regeret populum suum. Arctius deinde juncta sunt capita VIII. et IX. ubi eadem Salomonis persona, eademque de causa loquitur. Item caput IX. capiti X. cohaeret; siquidem explicit caput nonum illis verbis: « Nam per Sapientiam sanati sunt quicumque placuerunt tibi Domine a principio. Haec (Sapientia, subjungit caput X.) custodivit illum, qui formatus est a Deo pater orbis terrarum. » Item caput X. arctissime inseritur capiti XI; postrema namque verba decimi, undecimi initium excipiunt, uti dicitur: « Queniam Sapientia aperuit os mutorum, et linguas infantium disertas fecit. Direxit (incipit alterum) opera eorum in manibus Prophetae sancti. » Et sic deinceps de ceteris capitibus ad finem usque.

Praeterea non solum res, et finis scriptoris ubique idem statuuntur, sed etiam vocabula praestant quidquam indicium de unitate hujus auctoris. Plurimae enim sunt dictiones in hoc libro peculiares, primis et ultimis capitibus pariter inscriptae, quod factu perarduum esset, si plures hujus Scripturae haberentur auctores. Ex.gr. λογισμὸς *logismos cogitatio*, legitur in cap. I. XI. et XIX. Ἀγαθότης *agathotis bonitas benignitas* vocabulum singulare hujus libri, habetur in cap. I. VII. et XII. Ἀχηλίδοτος *achilidotos immaculatus* vox extat peculiaris Sapientiae libro, et occurrit in cap. IV. et VII. Alia dictio ἀποτόμος *apotomos severus durus* in citato libro tantum excipitur, et incidit in cap. V.

VI. XII. et XVIII. Pariter ἀγαναχτέω *aganacteo indignor* legitur in cap. V. et XII. et semel in Scriptura Danielis; Ἀνυπόκρυτος *anypocrytos non simulatus* bis solummodo in Sapientia legitur, scilicet in cap. V. et XVIII. Παραμυθία *paramythia consolatio* propria vox hujus libri, et eruitur e cap. III. et XIX. Ἀλαζονεία *alazonia jactantia*, verbum hoc tradit caput V. et XVII. Ejusmodi vocabula, praeter alia ejusdem generis, textus graecanicus Septuaginta de libro Sapientiae exhibet, quae cum sint communia huic integrae Scripturae, seu illius auctori, rarissima inveniuntur apud alios aegyptios interpretes. Et hoc etiam innuit, ut dixi, unum tantummodo calamum exarasse Sapientiae librum, prout nunc habetur.

Quod vero respicit eam stili varietatem, quae hauritur in secunda, vel si velis, tertia parte hujus libri, quasi emphasi majori divinae sententiae enuncientur ibi, nihil officit auctoris unitati. Hoc enim in primis vix probatur, siquidem ille stilus emphaticus identidem in priori libri parte etiam elucet. Deinde vero illud stili discrimen Prophetis quoque aliis commune est, quodque operi, eorumque objecto aptatur. Claro id percipitur in Hieremia et Isaia ceterisque sacris Scriptoribus, quorum dictio alias concisa et humilis, alias contra emphatica, et sermone vivido conferta; et generatim hoc exit e varietate argumenti, et prout res ab eis pertractantur, vel historice, seu poetice.

§. III. Sed priusquam subeamus, quid divinus Sapiens potissimum intuitus sit cum hunc librum ediderit, necesse est, ut quaedam notentur de auctoris aevo. Sicubi altera parte disceptatum est de origine et phrasi librorum Deutero-Canonicorum veteris Testamenti, dictionem inde eruimus Bibliorum tum Sapientiae, tum II. Machabaeorum vel admodum variare ab aliis Scripturis Deuteris, quarum phrasis prorsus coincidit ceteris Proto-Canonicis; et ex hoc conjecimus amborum auctores scripsisse haud hebraico eloquio usos, sed potius (hoc enim nil obstat divinae revelationi) graecanico, prout etiam innuit divus Hieronymus, qui, praefatione in libros Salomonis, hunc Sapientiae librum ait graecam eloquentiam redolere. Hac autem de causa fatendum esset divinum auctorem illam conflasse Scripturam, cum in hebraeis vulgatus foret graecorum sermo, idest postquam graeci in Orientem irruperunt. Arduum tamen est exacte aetatem instituere hujus auctoris, cum etiam omnino lateat illius nomen. Ex hellenicis nonnullis dicendi modis, ut ex. gr. στεφανηφόρεια

stephaniphorin coronam ferre, quae victoribus propria erat; πομπίνειν *pompevin triumphum ducere*, quasi victores; ἀγών *agon stadium*, sive locus ad cursum aptus; βραβίνειν *vravevin pretium victoriae conferre*, ac ceteris hujusmodi, videntur tum temporis in Oriente, seu in Palaestina, sive Aegypto inolevisse non solum lingua, verum etiam graecorum mores. Et ob hoc opinarer Sapientiae auctorem vixisse secundo fere saeculo, nisi serius, ante Christum Jesum. Sed de hujus auctore infra longiori sermone disseretur. Interea, his praepositis, disquiramus in eo libro auctoris mentem.

§. IV. In omnibus, et singulis Scripturis, sive historicis, sive propheticis, sive agiographis, homo coelesti scientia imbutus, aliquem in scribendo scopum animadvertit, prout circumstantiae, loca, et tempora postulabant, ut quisvis leviter incipiens a Moyse ad obitum Apostolorum usque, ubique sacrorum Bibliorum hoc bene noverit. Noster itaque Sapientiae auctor finem intuitus est in hoc conscribendo libro, quemadmodum et ceteri Prophetae et Agiographi. Sensit enim, quam immerito, ne dicam impie, homines coaevi tum ex hebraeis nonnulli, et maxime ethnici de Deo cogitarent, de illius actis, de ejus regimine in orbe terrarum, ac de eo, qui est in hominibus, spiritu, illorum fine, ceterisque qualitatibus, quibus, brutis animantibus praestant. Haec utique erat philosophia aegyptiorum, assyriorum, et graecorum, qui a veritate semoti, vani facti sunt in studiis suis, et qui Deum agnoscentes, tanquam Deum non adoraverunt nec ei dederunt laudem, neque opera sua meditati sunt, ut illum scirent, ejusdemque caperent perfectiones. Plurimi sane iis diebus erant, qui philosophiae operam dedere, et valde ipsi inter se dissidentes, suam quisque doctrinam propugnabant, suosque inde sibi sectatores comparantes. Notissimum est etiam tunc hebraeos, non amplius sese continere in una regione Palaestinae, sed ex quo captivi facti sunt ab assyriorum regibus, inter se divisos, plures eorum Mediam, Persidem, Syriam, Aegyptum, et graeciam deinde incoluisse. Ob haec omnia divinus hebraeus philosophus, et genti suae consulens, atque alios quoque docens, corripit ethnicorum doctrinas, conterit opiniones illorum, illudit idolis gentium, eamque solum Sapientiam extollit, quae humanam sapientiam vincit, quae suam cum Deo aeternitatem praesefert, puram, unam, eamdemque omnibus se praebens, qui eam exquirunt. In his speciatim versatur mens auctoris, ut le-

ctor, prout antea dixi, collatis inter se et doctrina hebraeorum et ethnicorum opinionibus, decerneret quantum insaniae, et vanitatis protenderent horum institutiones, quae aliae ab aliis alienae sese mutuo destruunt eo, quod illi nescierunt Deum Sapientiae fontem, neque ab eo petiere, ut divinae Sapientiae suae radiis illustraretur infirmus eorum intellectus. Atque ita hinc inde Sapiens illos philosophos arguit ad illorum emendationem.

§. V. Etsi vero hujusmodi doctrina ita clarescat, attamen adversarii hujus Scripturae divinitati mentiti, objiciunt, illius auctorem, pro eo quod redargueret graecorum philosophorum doctrinam, ut nuper ostendi, illorum principia sectatum esse. Sed, si contra hanc doctrinam scripsit Sapientiae auctor, sumpto themate ex antiquis et divinis Scripturis Moysis et aliorum Prophetarum, quomodo probari poterit illum fuisse imbutum graecorum philosophorum institutionibus? Hoc sane hebraeorum statutis ac conditioni officeret, eosdem in omnibus suis consuetudinibus perpetuo ab ethnicis alienos ad hanc usque diem, et paternarum traditionum aemulatores, mutuatos esse a philosophis profanis doctrinam de Deo, de animae immortalitate, de judicio futuro, de vita aeterna, aliisque mysteriis, quae in veteri Testamento praedicta, in novo per Christum Jesum confirmata fuere. Hoc utique christianis esset attendendum, qui e libris hebraeorum haurientes Evangelii veritatem, omniumque dogmatum, quae in eo stabilita sunt ab Apostolis, noverint quanta conformitate pollent hae sententiae Salomonis, novi Foederis Bibliis. Summa res esset eis, (adversariis dico) et christiano nomini valde congruum, dum Platonis nempe dicta e Sapientia Salomonis hauriunt, cogitare, Platonem eumdem-ceteresque Graeciae philosophos potius ab hebraeis quidquam sanae doctrinae didicisse, quam hebraeos id ab ethnicis acquisivisse. Probrum judaeis primum, deinde christianis, fieret, hanc instituere et probare sententiam. Doctrina hebraeorum summa Sapientia referta est, uti eorum Deus essentia sapientissimus, illam Moysi et Prophetis primum indidit, sicuti filius ejus deinde, qui voluntatem Patris expleturus in terram descendit, ibique conversatus est. Nunquid ne hujusmodi Sapientia auctoritate profana roboranda, seu commiscenda esset ad illius augendum testimonium? absit; aeterna et eadem ipsa est cum Deo, infinita et nulli freta humano auxilio.

Aliter vero asserendum est de aliis gentibus; earum namque viri cum ingenio humili et brevi ditati sint, et suapte natura incitentur ad rerum humanarum adipiscendam notitiam, conantur omni sollicitudine, et studio, mentis suae tenebras illustrare. Et ob hoc, res actas, alios viros, regiones dissitas et historicos perscrutantur ad ea consequenda, quae huic innato desiderio satisfaciant. Hujus generis maxime extitere graeci, e quibus plures sciendi cupiditate acti, mare transgressi, orientales regiones Asiae et Africae peragrarunt, ubi tunc fama percrebuerat viros haberi praeclaros, eximia praestantes doctrina; ibique iidem edocti sunt. Traditio, cui modo mentiri non posse videmur, et a sacris et profanis historicis suffulta, testatur philosophos hellenicos, vel eos saltem omnium antiquissimos, gratia in scientiis proficiendi, Phoeniciam, Aegyptum aliasque Asiae provincias adiisse. Solon enim et Lycurgus dicuntur in Orientem peregrinati, inde graecis leges sapientes contulisse, iisdemque rempublicam instaurasse. Justinus martyr et Clemens alexandrinus valde institere contendentes graecos philosophos, orientales regiones prefectos e coelestis inspirationis fonte ebibisse. Et Eusebius, omnium philosophorum vetustissimam hebraeorum doctrinam propugnans, hoc ita astruit: « Pythagoras (1) enim primus omnium fuit, quem philosophiae quoque nomen invenisse constat. Hunc multi samium, alii tyrrenum, alii syrium, aut tyrium fuisse contendunt. Ita non plane graecus maximus, et primus philosophorum ab omnibus dicitur. Nam Pherecydem doctorem Pythagorae, syrium omnes fuisse tradunt; quamvis non eum solummodo, sed persarum etiam magos, et aegyptiorum divinatores audisse Pythagoram asserunt eo tempore, quo judaeorum alii in Babylonem, alii in Aegyptum emigrarunt . . . . . A graecis autem nihil eum habuisse ausus quisquam est dicere, tanta doctrinae et bonarum artium penuria in Graecia fuit, antequam Pythagoras omnia, quae ab illis collegit summo studio, docuit, et divinos meruit honores, a quo prima philosophia processit, quam *italicam*, quoniam ibi maxime docuit, appellare solent. . . . . Solonem vero unum de septem, qui leges atheniensium conscripsit tempore, quo judaei Aegyptum frequentes habitabant, eo pervenisse, Plato in Timaeo testatur. Quo quidem in libro doceri eum a barbaro, videmus his verbis: - O Solon, Solon, graeci

(1) Euseb. praep. Evang. lib. X. c. 2.

semper pueri estis; senex autem nullus unquam graecorum fuit, ac ideo apud vos nulla disciplina vetus inveniri potest: - Plato quoque ipse, cum italicam philosophiam hauserit, Aegyptum abiisse traditur, nec brevi tempore conversatus ibi fuisse. Unde grato animo, omnia, quae optima sunt, a barbaris se consecutum profitetur. Dicit enim in Epimenide, causam fuisse barbarum illum, qui primus haec invenit. Vetusta namque regio, inquit, eos aluit, qui primi haec invenerunt. Longam autem aetatem multi consecuti sunt propter aestivi temporis serenitatem, quam Aegyptus maxime, atque Syria possidet. Quare ab initio usque ad haec tempora, innumerabilibus annis examinata nobis tradita sunt. Deinde subjicit: - Fateri autem oportet quidquid a barbaris graeci acceperunt, ad meliorem finem id perduxisse -: Haec Plato. » Altero demum libro XI. idem historicus totus in eo est, ut statuat non hebraeos a graecis, sed graecos ab hebraeis accepisse doctrinam de Deo, ejusque essentia, de animae immortalitate, de creatione mundi, de resurrectione mortuorum, de judicio futuro, de pietate in Deum, ac de ceteris, quae ad theologiam et vitam moralem pertinent.

Ex his omnibus arguendum esse videtur, Sapientiae auctorem, non ex Platone seu ab hellenicis sapientibus eruisse doctrinam, quam scripto mandavit, sed ab hebraeis eisdem, ex eorum Scripturis, et ex traditione suorum patrum, ei Divino Spiritu adstante, comprobasse, quae scripto mandavit, ac reapse ubique hujus Scripturae expletum vidimus, quemadmodum antea dictum est. Nonne quae docuit Sapiens de praedictis mysteriis, tradebantur et in vetustioribus Bibliis hebraeorum? Nequaquam necesse erat, ut hebraei a graecis imbuerentur hujusmodi fide. Moysis et Prophetarum libri, ac patrum traditio oralis, dogmatum firmabant veritatem (1). Ea enim monimenta inconcussa veritatis erant, e quibus procul dubio hauserint, quae nobis scripto mandarunt de Deo, suisque attributis, de spiritu hominis, de vita aeterna. Et quid boni praestolabatur Abraham in illis Dei verbis: « Ego ero merces tua magna nimis. » Quid

(1) Cum ex.g. in Deuteronomio c. XVIII. et alibi Scripturarum Deus minetur magos et divinatores, qui futura praevidere conati, spiritum defunctorum consulebant, aperte infertur ex his hebraeos credidisse animae immortalitatem post obitum, quorum fides in hanc et in cetera universim accepta et probata haud opus erat, ut a Moyse peculiari lege sanciretur inter illos.

muneris contulit Deus sancto viro, dum viveret, et ejus posteris Isaaco, Jacobo, Judae ceterisque justis, nisi aerumnas, timores, praelia, captivitates? Profecto alia merces speranda ipsis erat, scilicet post obitum, in altera vita beatitudo aeterna. Idem eruitur in libris Prophetarum. Quid praemii assecutus est Hieremias inter tot labores, et vitae suae discrimina. Quid Job historia, Proverbiorum liber? Quid innuit Ecclesiastes, dum ait: « Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum? » Quae sententia affirmative potius sumitur, quam interrogative; quaeque roboratur sequentibus Salomonis dictis: « Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum? Et adeo ab eis haec habentur, ut Tacitus libro v. c. 5. Historiarum scripserit: « Animasque (hebraei) praelio aut suppliciis peremptorum aeternas putant. » Sileo de Dei perfectionibus, quae in omnibus Scripturis censentur, et explanantur aptissime suae divinae essentiae.

Praeterea, etsi fatendum sit eumdem Platonem aliosque philosophos plurima didicisse ex Scripturis hebraeorum, attamen fas est dicere, illos non explanasse haec dogmata, neque sensisse de iisdem, prout divini scriptores intellexerunt in illis enunciandis; nisi quoque dicere velimus eos divina mysteria corrupisse potius, quam sectatos. Et hoc facit ad ea, quae leguntur in nostro libro, quaeque communia fiunt ab adversariis, ethnicis philosophis. Esto quidem sacrum Sapientiae auctorem vocabula seu dictiones quasdam in suum librum contulisse e graeca philosophia excerptas; sed quid inde eruitur? Fortasse ne anologia doctrinae percipitur? Nullibi hoc probatur. Quinimmo Rabbi Abraham Zacuth in libro Juchasim p. 157. scribit: « Quidquid solidum est in doctrina Aristotelis, furtim ablatum est a Sapientia Salomonis, super quem pax sit. Postea enim quam Alexander macedo rerum potitus est Hierosolymis; summam rerum concredidit Aristoteli praeceptori suo, ipsosque adeo Salomonis libros. Ea propter, quidquid boni ibi invenit, suo ipsius nomine postmodum edidit, admixtis tamen quibusdam conclusionibus pessimis, qualis est illa de aeternitate mundi. »

§. VI. Insuper, quod respicit vocabula, quae pariter leguntur in profanis philosophis et in Sapientiae libro, nihil urget. Ex unitate quorumdam verborum, minime educitur sententiarum unanimitas. Vocabula eorumque significatus hominum conven-

tione instituuntur, ac ipsi iidem ea accommodant rebus nuncupandis. Sententiae, seu sermonis unitas magis, quam verba animi nostri conceptus proferunt, cum sive dicendo, seu scribendo mentem adjiciamus. Alexandrini vero interpretes in transferendis ex hebraeo in graecum eloquium divinis Scripturis, usi sunt graecanico sermone, et eo, inquam, qui vulgatus tunc temporis erat in Aegypto, quique hebraeis ibi colonis una communis, uti eis agendum erat. Omnia igitur vocabula profana, inter aegyptios vulgata, sacrata fuere ab interpretibus hebraeis in hac conficienda versione; quaeque ideo varia significatione, ut par erat, ditata sunt, prout variae fuere amborum, aegyptiorum scilicet ac hebraeorum institutiones, religio, et fides.

Hisce positis nihil obstat, si Septuaginta interpretes hebraei vocabula adinvenerint, et sibi ipsis et aegyptiis communia; vix enim contra hoc fieri poterat. Quod porro valde ponderandum est citatos graecos interpretes, aliosque sacros auctores, qui graece scripserint, minime in rebus divinis, vel spiritualibus enunciandis, significationi, menti et doctrinae aegyptiorum se se conformasse. Alius namque erat hebraeorum Deus, alia doctrina, alius cultus, alia fides. Ex. gr. Nomen Dei Θεὸς *Theos*, dictio et hebraeis et aegyptiis communis erat, sed interpretatione seu definitione integra admodum distabat; sic et alia hujus generis de sacrificiis. Sed speciatim id dicatur de graecis vocabulis nonnullis, quae leguntur in nostro Sapientiae libro ab adversariis citata veluti Scripturis dissona, graecisque ethnicis scriptoribus propria. Ejusmodi est vox γίγας *gigas* qua vir potens et altus innuitur. Hanc dictionem tam Sapientiae scriptor, quam interpretes graeci Scripturarum, quae Proto-Canonicae dicuntur, usurparunt loco vocis hebraicae *rephaim* vel *ghiborim*, seu *hanachim*. Nunquid ne Septuaginta, Sapiens atque Hieronymus hujus vocabuli usu, commentitias narrationes de Gigantibus, ut tradunt ethnici, comprobarunt? Item ἅδης *adis*, et huic libro et Proto-Canonicis verbum commune ex hebraeo *schehol infernus* versum, haud conformatur significatione ethnicorum opinioni; alius quidem erat *scheol* et *adis* hebraeorum ab eo, quod commenti sunt ethnici poetae. Ex hoc explanatur etiam quod dicitur in Sapientia eadem (1): « Nec est regnum *adis* seu inferni super terram, » quod innuit mortem non praevaluisse in terra, uti huic

(1) Sap. c. I. 14.

phrasi simile dicit Isaias : « Vadam ad portas *adis* inferi. » Et in Psalmis legitur : « In inferno inferiori. » Eadem ratione dicit scriptor divinus de Manna, quo vescebantur hebraei in deserto ita : « Nec dissolvebant illum, veluti glacies, quae dissolvitur, genus ambrosiae, cibum. » Ut antea dixit Sapiens antonomastice angelorum escam, sicuti in Psalmis legitur (1) : « Panem angelorum manducavit homo » nuncupavit ibi ἀμβροσίαν *ambrosiam* dictionem vulgatam inter graecos, ad exprimendum cibum deorum, alias vero communiter epulas, seu cibum quemcumque eximium, dulcem, placidum. Hoc enim modo, Manna deserti memorans Sapiens coram hebraeis, qui graece loquebantur, in similitudinem usus est voce *ambrosia* ad illius saporem praestantem significandum. Nihil vero fabulae ibi approbavit auctor de hujusmodi ambrosia, uti graecorum poetae commenti sunt. Pariter λόγος *logos* (2) dictio vulgaris Septuaginta interpretum, et ab iis in Priores et Deuteras quam saepe Scripturas relata, et sibi vult *quivis sermo*, juncta nomini Dei, illius voluntatem et decretum exprimit, ejusque agendi potentiam emphatice comprobat, non veluti corporeis formis induti, sed ex nutu ipsius, qui, ut scriptum est in Genesi : « Dixit et facta sunt » disperdidit impios. » Ac antea in eadem Sapientia (3) dixerat : « sed tuus Domine λόγος *sermo*, qui sanat omnia. »

Ex his et similibus vocabulis nihil eruitur contra doctrinae puritatem Sapientiae. Ubique ejus auctor incessit fide eadem, qua scripserunt Prophetae ipso seniores, nihilque profani ex graeca philosophia subintulit, etsi eadem verba cum hac, aliquando suo inseruit libro. Supra dictum est, etsi quaedam videantur in Scripturis hebraeorum communia philosophis graecis, hos ex illis didicisse, ac inde plura etiam corrupisse. Et ut quaedam in ejus rei exempla praebeam, Platonis definitionem proferam, quam tradit de vocabulo λόγος *logos*, quod nuper expendimus juxta sacrorum scriptorum mentem. Dicit enim Plato in Timaeo λόγον *logon* rationem seu cogitationem Dei esse. Alibi in Phaedone hos *logus*, vel rationes multas ait esse in Deo ; et in dialogo XIII. ultimo de legibus, ubi asseruit, se ab aegyptiis et syris accepisse quidquid docuit de Astris, et de Mundo, scribit : « Mundum una perficiens, quem *logos* ratio omnium divinissima conspicabilem constituit. » Videas quam longe aber-

(1) Psalm. LXXVII. 25. — (2) Sap. c. XVIII. 15. — (3) Sap. XVI. 12.

ret in his definitionibus a simplici et sincero Scripturae eloquio. Certum quidem est, sicuti seduli platonicae doctrinae interpretes arguunt, Platonis libros, qui divinitatem, seu res supernas, spectant, puram hebraeorum doctrinam cum mythologia confudisse, lucem cum tenebris permiscuisse, ac omnia inde sua scripta enigmatibus explanatu difficillimis, esse conferta.

Quod vero ad vitam moralem, et civilem pertinet, Platonem majori aequitate se se gessisse, atque libros suos mosaicae legislationi conformasse, mentiri non possumus. Ac adeo de vitae institutionibus calamum moderatus est, ut apertissime decerni possit aliquando eumdem decerpsisse e Moysis et Prophetarum Scripturis, quidquid tradidit speciatim in omnibus suis Dialogis-De legibus-. Ex. gr. De agricultura scribit: « Primae igitur sunto agriculturae leges; ac Jovis quidem terminalis prima haec lex sanciatur. Nemo limites terminosve agri moveto cujusvis domini sive civis, sive peregrini finitimi, sive in extrema regionis parte habeat agros, ratus nefas esse hos movere etc. » Conferantur haec verba illis, quae leguntur in Deuteronomio (1): Non assumes, et transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in terram, quam acceperis possidendam.» Et alibi dicit Scriptura: « Non transpones terminos aeternitatis, quos posuerunt patres tui. » Item de connubio propinquorum, siquis sine liberis masculis decesserit, docet Plato eadem, quae leguntur in citato Deuteronomio (2): « Quando habitaverint fratres simul, et unus ex his absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, et suscitabit semen fratris sui. » Haec sint satis praeter alia, quae ex iisdem libris statuuntur, quaeque summo jure arguendum est sumpta fuisse a Platone e mosaicis constitutionibus. Denique si Plato Moysi ceterisque Prophetis vetustis praecessisset, quodammodo conjiciendum foret eos platonica doctrina imbutos fuisse. Sed quis senior? Moyses ne an Plato? Moyses ne Graeciam petiit, an potius Plato Syriam et Aegyptum concessit? Nec in primo neque secundo Plato Moysi praestat. Credamus ergo Sapientiae auctorem minime mutuatum esse a graecis, quae scripsit in suo libro; quinimmo ex patrum suorum scriptis et ex traditione, Spiritu Sancto ei adstante, docuisse, quae ibidem legimus.

(1) Deut. c XIX. 14. — (2) Ibid. c. XXV. 5.

§. VII. Instant tamen adversarii, ac sententias hujus Scripturae objiciunt, quae eis videntur ethnicorum doctrinis adhaerere, ac ceteris Proto-Canonicis repugnare libris. Ita namque dicunt (1): « Gentilium sententiae de animarum transmigratione, quae pariter Scripturis contradicunt, leguntur Sapientiae cap. VIII. 19. 20.: - Puer autem eram ingeniosus, sortitus sum animam bonam, et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum. »

Augustinus plura in libro X. De Genesi ad litteram, sedule ea Sapientiae verba discutiens, scribit c. 30 : « Jam itaque videamus quantum suscepti hujus operis necessitas patitur, quale etiam illud sit, quod paulo ante distulimus. Scriptum enim in libro Sapientiae: - Puer eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam, et cum essem magis bonus veni ad corpus incoinquinatum: - Cum enim videatur, illos adjuvare hoc testimonium, qui non ex parentibus creari, sed venire ad corpus, vel descendere, Deo mittente, animas dicunt, rursus hoc impedit eorum sententiam, quod ait: - Sortitus sum animam bonam: - cum procul dubio, vel ex uno fonte manare quodammodo tanquam rivulos, vel pari natura fieri animas credant, quas Deus mittit in corpora, non autem alias bonas, vel magis bonas, et alias non bonas, vel minus bonas. Unde enim bonae, aut magis bonae, seu non bonae aut minus bonae, nisi vel moribus secundum liberum voluntatis arbitrium, vel differentia temperaturae corporum, dum aliae magis, aliae minus gravantur corpore, quod corrumpitur, et aggravat animam .... Deinde, sortitus sum animam bonam, idest, ait, ex paterno ingenio, vel corporali temperamento. » Postrema ea dicta Augustini aeque mihi videntur mentem divini auctoris in citatis verbis interpretari, nec ideo aliorum opinioni plaudere, qui ajunt ethnicorum sententias ibi collectas esse de animarum transmigratione.

Sed ad majorem explanationem, accuratius illud testimonium enucleemus ex codicibus graecanicis. Ita enim ibi legitur: « παῖς δὲ ἦμην εὐφυὴς, ψυχῆς τε ἔλαχον ἀγαθῆς, μᾶλλον δὲ ἀγαθὸς ὢν, ἦλθον εἰς σῶμα ἀμίαντον. » Innuerat antea scriptor divinus personam Salomonis gerens, nativitatem suam aliis similem; narrat et sapientiae studium, quam a juventute amaverat, et exquisierat, dicit se eam sectatum esse, eique convixisse ac communicasse quippe quae omnia bona secum ipsa conferebat. Et ibi docet,

(1) Par. I. pag. 11. §. III. n. 2.

quomodo illam assecutus sit ab adolescentia sua: « Puer, inquit (ita interpretatio graecorum verborum) puer seu adolescens eram a natura solers, vel industrius. » Deinde firmat priora verba, uti stilo scripturali commune, et ait: « Sortitus sum animam bonam » idest bonam indolem sortitus parem acquirendae sapientiae. Pergit et dicit: « Insuper cum essem bonus i. e. bona hac indole ditatus veni in corpus incoinquinatum; veluti diceret, vitam innocuam consecutus sum, vel innocue me me gessi. » Venire, ingredi in aliquid, phrasis hebraeorum communis, sibi vult *aliquid consequi*; huic similis in Psalmo LXVIII. 28.: « Et non intrent in justitiam tuam, idest, non consequantur justitiam tuam. Pariter vocabula *corpus*, *anima*, *vita*, *cor*, *caput meum* in Scripturis idem valent ac *ego ipse*. Duo porro distieha parallelismum syntheticum componunt, quemadmodum alibi, secunda parte ostendi, ubi versus secundus similia primo recensens, quidquam vis sermoni addit, ac ita tertius, et quartus. Summa ideo horum distichorum haec esset: « Adolescens, fui solers, bonamque indolem sortitus sum. Insuper hac bona indole ditatus, me me gessi innocue. » Et haec utique iis conformantur, quae paulo ante dixerat de sapientia (1): « Hanc amavi, et exquisivi a juventute mea; et quaesivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formae illius. »

§. VIII. Quod vero respicit oppositam narrationem, quae, ex adversariorum dictis, eruitur e Sapientiae libro circa Salomonis imperium (2), haud expendendum esset, cum alius a Salomone, hujus Scripturae auctor fuisse vulgo credatur. Illud autem, quod quaestionem agit, et putatur Salomonem fuisse hujus libri auctorem, prout in nostris manibus versatur hodie, incidit in capita VII. VIII. et IX. Ibi enim de seipso loquitur Salomon, et narrat quomodo solio assidens, universi Israel et finitimarum gentium regimen obtinuit. Quanti momenti sint ea verba pro Salomone hujus libri auctore, et quantum officiant ejusdem divinitati, consuetudo scriptorum hebraeorum, qui ante hunc extitere, hoc decernat. Divini Bibliorum auctores, sive prophetici, sive historici, sive agiographi, in libris conscribendis prae oculis habuere potissimum Moysis Scripturam et ceteros vicissim Prophetas, qui Moysi eidem successere; adeo, ut quodammodo

(1) Sap. VIII. 2.— (2) Par. I. p. 10.

sacri scriptores plures, mosaicae legis interpretes vocarentur, ac veterum Prophetarum, quippe qui res anteactas, in libris suis componerent ex seniorum Bibliis. Sic ex. gr. David, Isaias, Hieremias praecepta et historias e libris Moysis, Josue, et Judicum et Samuel conferunt. Praeterea haud latet Prophetas, et scriptores omnes, qui perpetuo in populo Dei perstitere, omnia hebraeorum actus tradidisse commentariis, (uti ex libris Regum legimus) atque ex his acceperunt omnes sacri historici ea, quae nunc legimus in eorum Scripturis. Novimus etiam ex eisdem commentariis divinos auctores, pro varia illorum ratione et mente, plura Scripturis suis conseruisse omissa ab aliis, quamvis ab eisdem fontibus biberent. Uti ex. g. Auctor librorum Regum et auctor Paralipomenon, etsi haud inter se dissoni, hoc perfecerunt; et ita factum excipitur ab Evangelistis in historia Christi. Atque iidem insuper id contulere, vocabulis ac phrasi propria usi, et animadversionibus ibi inscriptis, prout viris, locis, aetati suoque id uniuscujusque consilio par videbatur, in omnibus tamen coelesti veritatis lumine suffulti. Ita factum credendum est et in libro Sapientiae. Divinus enim auctor scriptis Salomonis hebraicis perlectis, ac aetati suae utilibus aestimatis ad errores ethnicorum profligandos, ad reges edocendos, suosque commonendos contribules, ea scripta, haud seclusis aliis Prophetarum libris, commentatus fuerit, atque publici juris illud opus fecerit. Nunquid ne hoc obstat divinae revelationi?

Insuper ex testimonio librorum Regum, quibus neque hebraei neque ab Ecclesia Romana alieni, neque nos contradicimus, aperte docemur multa scripsisse Salomonem. Dicitur in libro III. Regum (1) locutus fuisse Salomon tria millia parabolarum, et fuisse carmina ejus quinque et mille. Traditur etiam a sacro scriptore, universa, quae fecerat Salomon, et sapientiam ejus scripta esse in libro verborum dierum Salomonis. Librorum Regum porro auctor, vel saltem ille, qui postremos duos contulit, gesta regum Israel et Juda collegit ineunte vel cessante captivitate Babylonica, sicuti et serius scriptor Paralipomenon; et ambo ii scriptores fatentur se a fastis Juda, et Israel suas historias exornasse eo usque aetatis superstitibus. Sed usque etiam ad dies, quibus collatus et editus fuit liber Sirach et secundus Machabaeorum, commentaria, aliique varii generis hebraeorum

(1) Cap. IV. 32.

libri reperti sunt (1). Idcirco quemadmodum auctores Bibliorum Regum, Paralipomenon, et Machabaeorum quoque, ex vario cujusque intuitu, e vetustis judaeorum monimentis exararunt, quae hodie leguntur in eisdem Scripturis; ita Sapientiae auctor ex libris illis sapientia Salomonis ditatis, nondum in lucem editis hauserit, quae tunc gentibus congrua habita fuerint, ac titulo inde *Sapientia Salomonis* nuncupata.

Eo autem potiori jure hae animadversiones acceptandae sunt quo magis rationi accommodantur. Salomon hac in Scriptura ad reges, et ad judices terrae loquitur, quippe ex illis reipublicae bonum, pax, securitas penderent. Nonne et hoc fecit Salomon, uti tradunt Biblia Regum? Nonne et ipse vectigales continuit omnes reges finitimos, aliosque foederatos habuit? Nonne ex alienis regionibus, Hierusalem profecti sunt ad audiendam sapientiam illius? Dicit enim Scriptura (2): «Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, et de omnibus regibus terrae, qui audierunt sapientiam ejus.» Et ob hoc ille inquit in nostro libro: « Diligite justitiam, qui judicatis terram, sentite de Domino in bonitate.» et alibi: « Ad vos reges sunt hi sermones mei ut discatis sapientiam, et non excidatis.» Holkothius, qui hunc librum commentatus est, ait sententiarum, ac sensuum auctorem esse Salomonem, collectionis vero, ac phrasis, graecae alium, sive Interpretem Alexandrinum. Et hoc quidem sensit divus Hieronymus scribens, istius operis auctorem ex multis sententiis Salomonis illum librum compilasse. Hisce positis, etiamsi ex hujus Sapientiae libro eruatur hebraeos veluti populis finitimis subditos, nihil officit. Qui ibi scribit, Salomonis doctrinam protulit, sive interpretatus est, ac suae aetatis viris, linguae, et operi aptavit; neque vero ibi disquiritur ipsius Salomonis calamus.

§. IX. Ceteris difficultatibus omissis, quae minoris sunt momenti, ac potius ab interprete diluendae, superest disquirendus hujus Scripturae auctor, et potissimum quidquid nonnulli suspicati sunt de Philone aegyptio, quasi hunc librum compegisset. Hoc autem in libri obsequium accurate expendendum est, ut ejusmodi evanescat suspicio. Quamtumvis polleant argumenta eorum, qui asserunt Philonem aegyptium, vitam sub Cajo Caesare degentem, hoc opus perfecisse, attamen ex plu-

(1) 2. Mac. c. II. — (2) 3. Reg. c. IV.

rimis intrinsecis notis tum ex Philone, tum ex Sapientiae Scriptura hauritur apertissime Philonem haud hunc conflasse librum. Prima nota, quae unum ab altero decernit, e magna eruitur stili varietate, usuque verborum; sed speciatim notanda est illa Parallelismi species, quam, parte secunda, expendi Scripturas Proto-Canonicas, et Deutero-Canonicas quoque pervadere, sicuti et hanc Scripturam, dum ex adverso hoc indicium occultatur in libris Philonis. Nota secunda discriminis eruitur ex testimoniis patrum apostolicorum, qui hunc librum in divinam auctoritatem sumentes, ad Biblia veteris Testamenti retulere, uti Clemens Papa ferme Philoni aequalis, Irenaeus, Clemens alexandrinus, aliique; ex quibus deinde scribit Augustinus - De praedestinatione Sanctorum: - « Quem (librum) sibi anteposuerunt, etiam temporibus proximis Apostolorum, egregii tractatores, qui eum testem adhibentes, nihil adhibere, nisi divinum testimonium crediderunt. » Tertia nota, uti docet Calmet, qui singulari dissertatione de hujus libri auctore egit, percipitur ex doctrinae varietate, siquidem Sapiens c. VII. scribit, puerum decem mensium tempore coagulari in sanguine ex semine hominis. Philo contra - De Mundi Opificio - septem ait, additque fieri, ut siqua mater hoc tempus transgrediatur, nempe si octavo mense enitatur, dilati nimium partus incommoda proles sentiat, vel plerumque vitam non proroget. Insuper auctor libri dicit hominem creatum esse ad Dei similitudinem immortalem, et innocentem; hominisque corpus e terra eductum in terram reducendum. Aliter autem edoctum est a Philone, et circa hominis creationem, et circa societatem angelorum malorum, quos sibi junxit Deus in homine construendo; quae in manichaeorum haeresim diffluunt.

Grotius hunc quasi Philonis foetum respuit, et immo opus judaei veteris existimat hebraice scriptum post Esdrae aetatem, ac ante Simonem summum sacerdotem, etsi nonnulla alia de hoc libro erronea censeat. Maxime vero animadvertendi sunt Clemens alexandrinus Pantaeni discipulus, et Origenes, ambo aegyptii, qui saepissime hunc librum citarunt veluti divinitus inspiratum; at nullibi suis in scriptis Philonem ut hujus libri auctorem existimarunt. Quapropter hoc scriptum jure Philoni abjudicandum est. Sin vero quaedam communia Philonis libris cum Sapientiae Scriptura reperiantur, dicendum erit, Philonem ut hebraeum et doctrina hebraica imbutum legisse et excerpsisse

ex eo libro quemadmodum e ceteris vetustis Bibliis quaecumque institutionibus suis apta fiebant, uti secunda parte prop. I. de hujus scriptis disserui.

Pari ratione contemnenda altera opinio eorum, qui non Philonem Cajo Caesari aequalem conjiciunt Sapientae auctorem, sed alium Philonem seniorem. De hoc porro Philone; qui *senior* dicitur, ante Christi Jesu utique aevum vixit, sed ille ethnicae religioni addictus legitur in libro I. Josephi Flavii contra Apionem, isque inter historicos profanos numeratur ab eodem. Si ita res est, facile arguitur eum non esse libri Sapientiae auctorem. Noster enim divinus scriptor omne idololathriae genus, tamquam rem stolidissimam despuit, judaeorum cultum prorsus gentilium superstitioni praefert, israelitas tantum Dei populum nominat, et perhibet se ex judaeis ortum esse, dicens c. XII.: « Et auctores parentes animarum inauxiliatarum perdere voluisti per manus parentum nostrorum. » Hic porro Philo videtur esse de quo dicit Hieronymus in Prologo libris Salomonis, quamvis judaeum genere vocet: « Et nonnulli, ait, scriptorum veterum hunc esse judaei Philonis affirmant. » Sed notatores (1) Maurini in opera divi Hieronymi ad citatum doctoris locum, arguunt aberrare ab omni veritatis specie, qui Philonem alexandrinum hic innui putant: « Etenim multo est Philo iste, cui liber Sapientiae tamquam auctori, vel saltem interpreti tribuatur, antiquior, utpote qui ab Alexandro Polyhistore, qui Lucio Sullae temporibus vixit, laudatur, ut dicit Eusebius (2). Hieronymus vero appellavit judaeum contra sententiam, videtur, Flavii; et ejus gentis eum fuisse, persuadent argumenta librorum, quae tractavit, ut est illud - De Regibus hebraeorum - Porro librum Sapientiae a seniore isto Philone exaratum esse, uti ait Hieronymus, nonnullos scriptorum veterum putasse, minus est verisimile, quam quod habet vulgo recepta sententia, collegisse eum tantum, atque descripsisse, et exposuisse illum liberiori interpretatione, » quemadmodum et hoc placuit Huetio.

Ceterum, traditio hebraica, et christiana parum nobis suffragatur circa aetatem et nomen illius, qui hoc opus sacrum perfecit. De aetate quidquam eruimus ex stilo, uti paulo ante diximus. Auctor vero, sive is, qui posteritati hoc scriptum

(1) Hieron. tom. IX. pag. 1296. edit. Veron. — (2) Euseb. Praep. Evan. lib. IX.

commisit, omnino latet, ac una locus, ubi degit, an in Palaestina, an Aegypto, an alibi. Vulgo tamen creditur in Aegypto moratus, pro israelitis ibi colonis, ac aliis, qui in Judaea degebant inter se fraternitate, doctrina, et religione concordes, veluti altero loco explanatum est, scripsisse, quae aetate sua ad sanctae reipublicae bonum conferebant. Denique si adhuc temporis ignoretur auctor, alterius vero nobis sat erit, nosse nomen, Spiritus Sancti nempe, qui occulti scriptoris manum moderatus est.

PROPOSITIO V.

De Sapientia Sirach, vulgo nuncupata
Ecclesiasticus.

§. I. Illa, quae de Sapientiae auctoris scopo hucusque expendi in eo edendo libro ad hebraicae reipublicae ac ethnicorum quoque regiminis institutionem ac bonum, firmantur apertissime e prologo Scripturae, quam nos disserendam aggredimur, sub nomine *Sophia Sirach* sive Ecclesiastici, traditam nobis. Interpres enim hujus libri fatetur, avum suum Jesum in lege Moysis, Prophetis aliisque agiographis valde exercitatum, quidquam scribere voluisse eorum, quae ad disciplinam et sapientiam conferrent, ut et desiderantes discere, iisque imbutis, magis magisque in legitima vita proficerent. Et ob hoc, idem interpres, communi hujus libri utilitate inspecta, conatus est illud scriptum ex hebraea lingua in graecum sermonem vertere. Hoc testimonium, cujus antiquitati et genuitati mentiri nequimus, quippe quod eodem interpretis calamo exaratum, innuit hebraeos scriptores omnes, quaecumque litteris mandabant, e veteri Prophetarum doctrina eruere, neque aliunde sapientiam ethnicorum exquisivisse. Secundo, arguitur hebraeos, hujus interpretis aevo, Bibliis graecis assuetos esse, ac invalescente inter eos hac lingua, neglexisse quodammodo Scripturas patria lingua descriptas, ac ita graece translatae in eorum manus comportabantur ad vulgi eruditionem. Et ob hoc recte ajunt Clemens alexandrinus et Joannes Chrysostomus gratiam divinam providisse, ut Scripturae veteres ex hebraeorum lingua in graecum transferrentur, non in usum gentium tantum, verum hebraeorum quoque, cum haud amplius patriam linguam tenerent. Et id perfecit in libro Sirach nepos ejus centum fere annos postquam conflatum fuit hoc opus (uti deinde explanabitur) sentiens maximum fratribus suis se commodum comparaturum fuisse, translatis et vulgatis tam sanctis avi sui institutionibus.

§. II. His praemissis, disquirantur libri auctor, aetas et locus, ejusdemque auctoris ratio in hoc conscribendo libro. Quod attinet ad Ecclesiastici auctorem, satis nobis erit, libri hujus percurrere verba, quae recitantur in cap. L. hujusmodi: « Doctrinam sapientiae, et disciplinae scripsit in codice isto Jesus

filius Sirach Hierosolymita, qui renovavit sapientiam de corde suo. » Quis porro fuerit hic vir, latet. Doctorem, et Prophetam in medio Israel se facit, ac una auditores monet ut quicumque in praeceptis Sapientiae illius versatus fuerit, prospere res suas egisset, cum lux Dei vestigium illius foret. Instar aliorum veterum Prophetarum, legem Moysis instaurabat in populo, et interpretabatur, et filios Israel imbuebat iis, quae necessaria tunc fiebant. Et non solum hebraeos Palaestinae incolas docebat auctor, verum etiam ceteros, qui extra Judaeae fines immorati in Aegypto nempe et Assyria aliisque regionibus, facilius in gentium errores offendissent. Haec namque hujus exemplaria revera, uti ex illius interprete eruimus, in praedictas provincias mandabantur, ut perlectis his ab hebraeis magis in divinis sanctionibus firmarentur, ac legitime viverent, omnibus abdicatis ethnicorum institutionibus.

Aetas vero hujus auctoris, quamvis adamussim institui non possit, attamen videtur is extitisse ante aevum Machabaeorum, et post Simonem summum sacerdotem Oniae filium. Ante gesta Machabaeorum quidem dixi; nam fieri non potuisset ut divinus scriptor tam durissimas hebraeorum calamitates caelaret, tam facta miranda Judae et fratrum suorum in medio populi Israel in civitate sancta, et in templo patrata sub Antiocho Epiphane. De his nullum e libro Ecclesiastici indicium eruitur. Quinimmo ex cap. L. hujus, postquam auctor laudibus extulit viros summos, qui ad dies suos usque valde praestitere in populo, Simonem Oniae filium memorat, qui gratias Deo agit pro tot bonis ab eo Israeli collatis, utque in gente sua perstent pariter rogat: « Et nunc benedicite Deo, ait, qui magna omnia facit in terra, qui auget dies nostros a vulva, et facit nobiscum juxta misericordiam suam. Det nobis laetitiam cordis, et fiat pax in diebus nostris in Israel per dies sempiternos. » Item facit ipse Sirach in hymno, ubi discrimina multa passus, et a Deo liberatus laudes Domini canit. Ex amborum dictis et Simonis et Sirach percipitur, postremum diem illos explevisse, rebus hebraeorum pacificis. Nemo ex his vidit et expertus est mala Antiochi Epiphanis, nihilque de illis animadvertitur hoc in libro. Necesse est ergo, ut ante Machabaeorum gesta descriptus sit Ecclesiasticus.

§. III. Ex celebrato viro Simone Oniae filio, qui in hujus Scripturae fine memoratur, quodammodo argueretur auctoris aetas, nisi quoque lateret, quis iste Simon Oniae filius, cum ex he-

braeorum genealogiis, et Eusebii Chronico plures Simonis nomine viri censeantur. Attamen juxta exposita ibi de hujusmodi sacerdote, videtur conjiciendum Simonem, qui dicitur secundus, fuisse illum, de quo ait Eusebius in citato Chronico sub Olympiade 138 : « Judaeorum pontifex maximus Simon Oniae filius clarus habetur, sub quo Jesus filius Sirach Sapientiae librum componens, quem vocant *Panareton*, etiam Simonis in eo fecit mentionem. » Quod vero admodum ad hanc opinionem confert, id est, quae Flavius narrat in libro XII. Antiquitatum de Antiocho Magno, qui circa illud aetatis judaeorum regionem occupavit ; haec si recte mediteris, noveris valde conformari Ecclesiastici verbis in Simonis encomio. Et ideo illa huc referenda existimo, quum fortasse quidquam perspicuitatis huic sacrae Scripturae praebeant. Sub Antiocho Magno dicit, judaeos multa adversa passos fuisse ob praelia inter ipsum Antiochum, et Ptolomaeum Aegyptiorum regem ; ex quo factum est, ut judaei illi, qui in medio eorum erant, undique affligerentur, et haud dissimiles essent navi in tempestate fluctibus utrinque vexatae, utpote qui in medio jacebant ; cum et Antiocho res prospere cederent et in contrarias partes mutarentur, donec, victo Ptolomaeo, Antiochus rerum judaeorum potitus est. Haud ignorans tunc temporis Antiochus Magnus, quam praeclare de se ipso meriti fuerint judaei, eorum studium erga se et liberalitatem remuneratus est. Et hoc ostendit suis litteris ad Ptolomaeum, ubi ait : « Visum est nobis eos pro his remunerari, et eorum urbem, casibus, qui solent hominibus accidere, adversis labefactatam, recreare atque frequentare, revocatis in eam, qui sunt dispersi. » Ac ubi dixit de pecudibus et variis, quae eis praebenda erant, addit : « Atque eis haec solvi volo, quemadmodum imperavi, templique opus expediri, et porticus, et aliquid aliud, aedificandum est.... Vivant omnes ex legibus patriis, immunis sit senatus, et sacerdotes, et scribae templi, et sacri cantores a tributis etc. » Haec, si recte expendas, congruant verbis Ecclesiastici de Simone : « Qui in vita sua instauravit domum et in diebus suis corroboravit templum, et sub ipso fundata est altitudo duplex, munimen celsum ambitus templi. » Et progressus inde Sirach narrat Simonis zelum pro lege Dei, qui curam populo suo gessit et a perditione liberavit eum ; qui luxit quasi sol in templo Dei, qui coram populo obtulit sacrificia, cum circa eum essent sacerdotes et filii Aaron tubis

personantes, et psallentes, voces suas extulerint in domo Dei, et ipse Simon sacro ministerio fungeretur, et pro Israel rogaret. Quid haec omnia sibi velint tunc quasi mirabilia in Israel? Perpetuo enim in solemnitatibus ea ab illis perficiebantur. Nulla ideo admiratione sacrum scriptorem afficerent, nisi quaedam potissimae circumstantiae intercessissent adeo, ut quidquam novi objiceretur judaeis in his explendis caeremoniis. Haec utique facta spectant hebraeorum maxima discrimina, quae passi sunt toto eo tempore, quo perdurarunt simultates et praelia inter Antiochum Magnum et Ptolomaeum. Id a quovis conjicitur, quanta nempe illis diebus sustinuerit sacra hebraeorum respublica. Flavii similitudo de navi in medio mari fluctibus agitata, varias eorum calamitates satis exprimit, ex quibus civitas Hierusalem et templum Dei direptum ac pollutum fuerint, sacrificia omnia, sacerdotum ministerium remissa, omnisque dispersus magistratus Judae. Cum vero Antiocho Magno victori cessisset Judaea, erga eamdem Antiochus benigne agens, libertateque donatis hebraeis, omnia innovata fuere et restaurata in Sanctuario, atque in civitate sicut et antea. Et ob hoc Sirach Simonem laudibus prosequitur, qui eo tempore summi sacerdotis et judicis ministerio functus, ita se prudentissime gessit, ut de judaeis tam large benemereretur Antiochus.

§. IV. Circa hos dies videtur quoque conflasse Sirach Ecclesiasticum, et suo hymno in gratiarum actionem respexisse misera ea fata, quae subierunt hebraei illis instantibus praeliis inter ipsos Antiochum Magnum et Ptolomaeum. Ibi enim et ipse Sirach innuit vitae suae angustias, cujus verba vere respiciunt conditionem hominis in dubiis fluctuantis, undique malis vexati absque evasionis spe, uti status erat hebraeorum ob praedictas regum Aegyptiorum et Syrorum contentiones. Ex illis porro verbis, quae in fine libri sui recitantur de salute, quam obtinuit a Domino, opinarer auctorem, compositis hebraeorum rebus ab Antiocho Magno, in pace supremum diem explevisse priusquam rursus, ut ait Machabaeorum liber II. c. III. sub Onia tertio ob Simonis templi praepositi calumnias, turbarentur israelitae.

Non est deinde ambigendum de Judaea patria Scriptoris sacri, cum et ipse se vocet Hierosolymitam; neque alibi hoc opus conflasse videtur, nisi in Palaestina, ex qua postea in alienas regiones, ubi degebant hebraei, translatum fuit. Nonnulli porro Hierosolyma incoluisse Sirach, cum hoc volumen ediderit, ne-

gant, et autumant eum scripsisse in Aegypto, quod parum satisfacit. In laudibus enim Simonis Oniae filius summi sacerdotis, et ultimi, de quo mentio fit ab eo, percipitur tunc temporis illum Hierusalem versari. In hymno, quem ipse Domino cecinit, ait se ante templum Dei, quod erat Hierosolymis deprecatum esse. In cap. xxxv. disserit de oblationibus, de decimis, de sacrificiis in altare Dei. In sequenti orat pro populo Sirach Deum, ut congreget omnes filios Jacob in priorum haereditatem, neque de seipso loquitur, sed de fratribus suis. Insuper auctor in Aegyptum profectus juxta aliorum opinionem, non hebraice scripsisset, sed graece; graecanica enim lingua tunc vulgata erat in Aegypto, et hebraei vix patria lingua utebantur, neque illum sermonem amplius capiebant, cum et antea ceterae vetustiores Scripturae in graecum translatae forent. Nos vero, contra novimus ex prologo hujus libri, Sirach Hierosolymitam hebraicae scripsisse, quod inter aegyptios hebraeos versatus, frustra perfecisset. Fatendum ergo erit Ecclesiastici auctorem hebraeo idiomate usum, exarasse tam praeclara et sancta doctrinae erudimenta, eaque deinde pro hebraeis a patria alienis, translata, conversa fuisse in linguam regionis, ubi ipsi degebant. Haec facta esse traduntur in aliis Scripturis veteris Testamenti tam Proto-Canonicis, quam Deutero-Canonicis, quarum libros, graeci aegyptii interpretes inter se varii et aetate et persona transtulere. Et ita factum una creditur ab interprete Ecclesiastici, qui a patria Judaea secedens in Aegyptum, ibique graecorum linguam a fratribus suis doctus, vertit illum ex hebraeo ad gentis suae usum.

Opinio vero, qua nonnulli putavere scripsisse in Aegypto hujus auctorem, oritur, mihi suadeo ex eo, quod dicit pronepos illius circa ejusdem inventionem in Aegypto, ubi exemplar in graecum translatum fuit sub Ptolomaeo Evergete. Hoc utique nobis attendendum est tum relate ad unitatem synagogae aegyptiorum hebraeorum cum ils, qui Judaea degebant, tum relate ad hujus Scripturae doctrinam. Postquam enim auctor hoc scriptum explevit, de eo, quod ibi docuit, sollicitus, curavit ut in illas regiones deferretur quoque, ubi habitabant judaei. Et haec inter hebraeos fuit vetus consuetudo jam a captivitate Babyloniae adolescens, deferendi nempe ubicumque forent judaei, sacros libros, ut ibi iidem illis operam navantes et ad invicem cohortati firmarentur in lege Dei, et in patriis institutionibus. Hieremiae pro-

phetia in Babylonem exportata legebatur a Daniele, sicut et Legem Moysis interpretabatur Ezechiel coram senatoribus ibidem captivis, et ita de ceteris Scripturis. E secundo Machabaeorum libro c. II. in epistola, quam miserunt judaei habitantes Hierusalem ad fratres, qui erant per Aegyptum, colligitur quomodo primi, idest ex Judaea israelitae miserunt ad aegyptios res, quae acciderant per bellum contra Antiochum Epiphanem. Dicit namque Scriptura: « Similiter autem et Judas ea, quae deciderant per bellum, quod nobis acciderat, congrevavit omnia, et sunt apud nos. Si ergo desideratis haec, mittite qui perferant vobis. » Quemadmodum de his commentariis actum est ab hebraeis Hierosolymitis erga Aegyptios, sic acciderit de Ecclesiastici libro, cujus hebraicus codex in Aegyptum allatus, ibique mansit inter alios Scripturarum codices; donec auctoris pronepos in Aegyptum profectus centum fere annis post, sub Evergete secundo, illum codicem adhuc hebraeis litteris descriptum invenit; cumque animadvertisset, judaeis ibi colonis communem ex eo utilitatem, illius interpretationem aggressus est, et in manus contulit fratrum suorum, qui graeca lingua imbuti, patrium sermonem neglexerant.

§. V. Si vero respicis auctoris rationem, seu ordinem, quo hic liber conscriptus est, parum distare videtur ab altero Proto-Canonico, titulo Proverbiorum nuncupato. Plura aetati suae apta componit Sirach, deque his arguit ex vetustis Scripturis et patrum traditione, quod potissimum mentem sacri Scriptoris constituit in hoc conficiendo libro. Alibi explicata est sancta divinae legis aemulatio, quam auctor ubique hujus scripti profert, sicuti in Prologo de eo fatetur illius pronepos. Praeterea multa hinc inde occurrunt iterata ab auctore, nunc brevi nunc longiori sermone discussa; alias Salomonis Proverbia repetit, et interpretatur; hujusmodi sententiis inserit aliquando hymnos in Dei laudem, illius Sapientiam et misericordiam extollens, et in omnibus conformatur dictioni citati Proverbiorum libri.

Ignoratur vero, sicuti in aliis Bibliis, hujus recta divisio, et ea capita insuper, in quibus hodie legitur divisus generatim, minori cura apposita sunt adeo, ut aliquando capitis sequentis verba prorsus cohaerent praecedenti, eique necessario jungenda sunt ad sensus perspicuitatem. Satis quidem arduum est aeque hujus libri divisionem decernere, cum in veteri originali nulla adesset divisionis nota, et argumenti auctoris. Verumtamen ve-

luti monita, et conciones librum instruit, et omnia sua dicta, prout res sese menti objiciebantur, et genti suae et religioni utilia scribebat auctor, eo dicam, simplici stilo, quo vetustissimi quivis scriptores rerum commentaria congerebant. Ejusmodi vero sententias, seu sermones in uno collectos volumine ab eodem, aut potius ab alio quocumque scriba, et variis illius exemplaribus transcriptis, in manus judaeorum et qui prope erant, ac longe mandabantur ad illorum eruditionem, eodem fere modo, quo vetustiores, nobis traditi sunt libri Moysis, et speciatim Exodus, Leviticus, et Numeri. In his enim rerum ordo, mandata Dei aliaque hujusmodi descripta fuere, prout quotidie contigerant ac iisdem repetitionibus. Ita utique sentirem se haberi Ecclesiastici Scripturam. Et Proverbiorum liber videtur id significare illis verbis lectis in cap. XXV. ubi dicitur: « Hae quoque parabolae Salomonis, quas transtulerunt, vel melius (juxta 70. et Syrum) descripserunt viri Ezechiae regis Juda » et junxerunt aliis eodem volumine contentis, ex quo dein conflatus ille est liber, qui modo dicitur *Parabolae Salomonis*.

§. VI. Haec praefatus de Ecclesiastici libro nihil esset, ut ulterius progressus eum expenderem, cum ille lectori obvius sit, et minoris momenti sint difficultates. Attamen, uti exceptum est e verbis adversariorum in prima parte relatis, videntur fidem offensi e sententiis nonnullis ejusdem; ex. g. juxta Septuaginta: « Qui honorat patrem expiabit peccatum. » Alibi: « Eleemosyna expiat peccata. » Ea vero expensa sunt in Tobiae libro, prop. I. §. VI. quo remittitur lector. Pariter iis non satisfaciunt verba, quae Ecclesiasticus arguit de divitiis ita: (1) « ἀγαθὸς ὁ πλοῦτος ᾧ μὴ ἔστιν ἁμαρτία i. e. Bonae divitiae, cui non est peccatum. » Ea fiunt ab adversariis veluti contradictoria Proto-Canonicis Scripturis tam novi, quam veteris Testamenti, ubi legitur omnes peccare et egere gloria Dei: « Si dixerimus, (2) quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. » Sed quidnam antilogiae signum doctrinae evangelicae ex his dictis hauritur? Res aliter instituitur a Sirach, quam accipiunt ceteri inspirati Scriptores. Sicubi enim dixit Sirach de divite, cui opibus suis omnia benevertunt, hisque saepe superbit, quod contra fit inopi, qui multis eget, ideoque despectus, addit: « Bonae tamen sunt divitiae, cui non est peccatum, scilicet

(1) Eccl. c. XIII. 30, et 24 juxta 70. — (2) 3. Joan. c. I. 8.

superbiae, cui non contemptus pauperis, qui non quaerit honorem, et alia hujusmodi praeter justitiam, sicuti supra meminit: « Divitiae ut impedimenta improbis, ita bonis sunt adjumenta virtutis » ait divus Ambrosius. Quid haec faciunt cum aliis sententiis, quas opposuerunt adversarii?

§. VII. Sententia alia inscribitur libro Ecclesiastici, quae quidquam obscuritatis contulit interpretibus, et haec est: (1) « Sapientia enim juxta nomen illius est, et non est multis manifesta. » Graecus ita legit: « σοφία γὰρ κατὰ ὄνομα αὐτῆς ἐστι, καὶ οὐ πολλοῖς ἐστι φανερά, et idem annuit, ut Vulgatus. Hellenicus horum verborum interpres alexandrinus ob suam versionis simplicitatem (quod Septuaginta peculiare est) in his ex hebraeo transferendis verbis, vertit vocabulum שֵׁם *sciem* in communem et propriam significationem *nominis*, ex quo factum est ut illud vocabulum sumeretur ad exprimendam etymologiam vocis *sapientia*. Sed dictione *scem nomen* non solum decernitur titulus rei cujuscumque, aptus rei ab alia distinguendae; at pluries quoque in sacris hebraeorum Scripturis instituta est haec vox *scem* ad hominibus, vel rei cujusdam celebrandam dignitatem et excellentiam, sicuti etiam italico sermone vox *nome* personat. Idcirco si loco interpretationis *juxta nomen suum est*, apponitur altera *juxta excellentiam illius est*, evanescit difficultas. Et hoc quidem apte accommodatur sententiis praecedentibus, ubi dicitur: « Quam valde aspera est (sapientia) indoctis, et non permanet in ea vecors. Quasi lapis probationis validus erit super eum, et non cunctatur projicere eam. Etenim (mox addit) Sapientia juxta excellentiam illius est, et non multis est manifesta. » Quia scilicet spernunt eam, ignorant illius virtutem et gloriam; dignitas illius non coalescit indoctis et vecordibus. Deinde subjungit, et hortatur filium, ut sequatur vestigia illius sapientiae, et accipiat coronam illius, gloriae et decoris, ubi sapiens factus fuerit.

Aliae insuper varii generis sententiae leguntur in Scriptura Ecclesiastici, quae ratione locis, viris, aetati, consuetudinibus hebraeorum, comprobantur, quaeque hujusmodi adhibentur in ceteris Proto-Canonicis, e quibus explanandis singillatim cesso, cum reperiantur interpretes hujus libri. Divinus auctor, ut summatim dicam, hac in Scriptura omnibus consuluit, quae Deum spectabant, quae mosaicas leges, quae alias morales et civiles

(1) Eccl. c. VI. 22. juxta 70.

institutiones, cuicumque aetati, sexui, conditioni aptas, adeo, ut ibi nil extet, quod humanae societati, ad quam natus est homo, obstet; neque Deo, qui omnia in ordine, mensura disposuit, utpote infinita Sapientia, cui nulla deest perfectio, nulla inest impietas.

Vidimus utique quam recte rempublicam gesserunt et qui huic aliisque vacarunt libris. Constantinus, Theodosius, Carolus Magnus aliique christiani principes hos perlegere, meditati sunt, legendosque tradiderunt populis, bonaque omnia ex his consecuti sunt. Ex Eusebii testimonio de vita Constantini, ex armenorum historia de Theodosio, ex Alcuino de Carolo Magno, proditum est quantum studii et solicitudinis celebrati principes impenderunt, ut plura divinarum Scripturarum exemplaria describerentur; ac ita posteris, bonitatis, magnanimitatis, omnisque virtutum generis tam praeclara exempla fasti de illorum regimine commendarunt.

PROPOSITIO VI.

De libro Baruch et Hieremiae Epistola.

§. I. Continet liber Baruch praeclarum orationis genus, quam ex ore hebraeorum in captivitate degentium, extollit Propheta coram Deo. Ea enim versatur potissimum in laudibus divinae justitiae supra judaeos, qui haud audientes Dei verba per Moysen, et per Prophetas, semoti fuerant a patria regione, ac traditi ethnicorum ignominiae. Erigit deinde Domini misericordiam, memorat foedus illius cum patriarchis, precatur ut leventur malis et revertantur in terram suam. Hortatur, ut patienter sustineant iram, quae supervenerat illis; consolatur tandem Hierusalem spondens ei, etsi venumdatos et dispersos filios suos in omnes plagas terrae, attamen in ea rursus fore congregandos. Et hac fide Baruch a longe praenuncians gloriam et splendorem civitatis sanctae, canit: « Exue te Hierusalem stola luctus, et vexationis tuae, et indue te decore, et honore ejus, quae a Deo tibi est, sempiternae gloriae, etc. » Ac ita explicit oratio.

§. II. Sedulo primum expendenda existimo quae leguntur in capite I. ubi scriptum est: « Et legit Baruch verba libri hujus ad aures Jechoniae filii Joachim regis Juda, et ad aures universi populi venientis ad librum (1), et ad aures potentium filiorum regum, presbyterorum, et omnium, a parvo usque ad magnum, habitantium in Babylonia ad flumen Sodi. » Ex his namque decernitur hebraicae synagogae initium ex quo hebraei a terra Israel dissiti absque templo, una convenientes, lectionem sacrorum librorum explebant; cujus consuetudinis inde mentio fit in Evangelio, et potissimum in Actis Apostolicis, ubi Paulus Apo-

(1) Dum dicit Baruch *venientis ad librum*, notat lectionem Legis Moysis, qui liber alius est ab eo libello antea censito. In hoc enim, sicuti et in versiculo 1. et 14. graecus legit βιβλίου *libelli*. Sed in versiculo 3. scribitur βίβλον *librum*, idest antonomastice librum Legis sive quinque libros Moysis, quorum pars lecta fuit apud flumen Sodi ab hebraeis captivis. Augent hujus interpretationis vim, quae paulo post dicuntur cap. IV. 1. ubi scriptum est: « Hic Βίβλος *biblos* liber mandatorum Dei, et lex permanens in saeculum. » Moysis libri nempe in quibus vitam habebant hebraei, ad quorum praecepta custodienda hortabatur illos Baruch.

stolus Antiochiae Pisidiae (1) ingressus synagogam die sabbatorum, post lectionem Legis, et Prophetarum, surgens et manu silentium indicens, ait: « Viri israelitae, et qui timetis Deum, audite etc. » Merito quidem hanc consuetudinem hebraeorum conveniendi in aliquem locum ad res sacras pertractandas, arguitur sumpsisse principium e captivitate Babylonis, ubi judaei a metropoli absentes, absque templo, sine sacrificiis legebant in sacris libris tum ea, quae ab eis excolenda erant erga Deum et semetipsum juxta legem Moysis, tum illa, quae a Prophetis praenunciata fuerant super eos.

Vitringa in libro - De synagoga hebraica collata cum Ecclesia Christiana -, conatus est ex rabbinorum scriptis, (2) ostendere synagogarum institutiones primum Babylone viguisse, easque instructas fuisse extra civitates, et prope fluvios in commodum purificationis, et orationis longe a superstitione et tumultu ethnicorum. Et revera legimus in Psalmo 136. « Super flumina Babylonis illic sedimus, et flevimus etc. » Haec firmant, quae dicuntur in Baruch c. 1. de flumine Sodi, quo convenerunt Jechonias, presbyteri et populus Babylone captivi ad audiendam lectionem libri. Scribit Maimonides : « Ex instituto scribarum oportet se affligere ob quamque angustiam, quae synagogae eorum obvenerit, usquequo misericordiam consequantur a Deo. His autem afflictionum diebus, clamant precibus, et supplicant deprecanturque etc. » Haec quoque ait Baruch ibidem de judaeis captivis, qui plorantes, et jejunantes orabant in conspectu Domini. Praeterea idem Vitringa (3) addit : « Non praetermittendae sunt omnino arculae, sive capsulae eleemosynariae, quas in synagogis, vel apud earum ostia, licet reperire, quo precaturis occasio datur suam ergo pauperes libertatem exercendi, atque eo divinam gratiam facilius promerendi. Hanc consuetudinem didicimus antea a Baruch dicente : « Et collegerunt pecuniam secundum quod potuit cujusque manus; et miserunt Hierusalem etc. » Sicuti et novimus ex urbe Romae circa Christi adventum misisse hebraeos collectas ad templum Domini Hierosolyma. Ex his ergo fatendum est, hebraeos, ceterosque, Baruch Scripturae mentitos, dum conantur huc illuc perscrutari originem synagogarum, earumque initium statuere in captivitate Babylo-

(1) Act. Apost. c. XIII. 15. — (2) Vitringa tom. I. par. 1. p. 217. — (3) Idem tom. I. par. 2. p. 211.

nis, et consuetudines, actus, preces, jejunia, eleemosynas ibidem expleta, minime sentire testimonium patens se contulisse libri Baruch ingenuitati, qui haec eadem praedicavit.

Libellus porro, quem scripsit Baruch in anno quinto, septima die mensis, ex quo Chaldaei ceperant Hierusalem eamque incenderant, videtur fuisse historia eorum, quae facta sunt in postremo excidio Hierusalem, praedicta a Hieremia Propheta; et quae cum lecta fuissent a Baruch coram judaeis, poenitentia ductos legimus misisse Hierosolymam pecuniam ad emendas oblationes pro peccato, ibique coram Domino per summum sacerdotem Joachim confitentes peccata sua, justitiam Dei celebrasse in illis sustinendis calamitatibus, et bona pro se precatos in posterum. Quivis reapse perlegerit Baruch libellum, maxime noverit illum verti de increpationibus, quae leguntur in libro Hieremiae, contra Hierusalem praedictis; quod recte advertit Theodoretus in hunc librum, qui ait, Baruch recitasse prophetiam Hieremiae cunctis captivis, et potissimum Jechoniae.

§. III. In exquirendo vero tempus, quo a Baruch lecta fuerint vaticinia Hieremiae in auribus Jechoniae aliisque captivis Israel Babylone, notandum est scripsisse Baruch libellum vaticiniorum Hieremiae, sive ea in volumine collegisse, cum completa esset Scriptura ejusdem, et fortasse mortuus Propheta. Neque insuper excogitandum est Baruch legisse volumen Hieremiae coram Jechonia, et filiis ejus statim ac transcripserit illud; quinimmo pluribus annis post hoc fecit, cum jam domo carceris eductus fuerit, et libertate donatus Joachim, seu Jechonia, ab Emilverodac rege Babylonis, bona cum eo locutus, comederitque coram eo panem per singulos dies, usque ad mortem suam. Ante hos dies enim, arduum mihi videtur, (ut gratis autumant nonnulli) potuisse Jechoniam e carcere, ubi inclusus erat cum aliis gentium regibus, libere accedere una aliis judaeis captivis prope fluvium Sodi ad audiendam divinorum librorum lectionem. Nullibi eruitur e sacris Scripturis libertate donatum fuisse Jechoniam, nisi sub celebrato Evilmerodac, anno ejusdem Jechoniae transmigrationis trigesimo septimo. Circa id aetatis utique dicendum est Jechoniam aliosque captivos venisse ad audiendam legis lectionem, et prophetiae Hieremiae complementum; eisque inde auditis, poenitentia ductos, collectas misisse offerendas domum Domini Hierusalem in peccatorum suorum expiationem.

Ex hoc (quod maxime ad libri auctoritatem confert) eruitur, et illud postremum Hieremiae caput, cum minime ad Hieremiam pertineat, huc collatum esse in ordinem et explanationem libri, qui nomen Baruch praesefert. Negari nequit, jam ex aevo Septuaginta interpretum (etsi apud eos varius sit ordo vaticiniorum Hieremiae ab eo, qui hodie perstat ob oculos nostros in hebraeorum codicibus) in utrisque legi caput LII., quod habetur veluti complementum praedictionum Hieremiae et continuatio historiae eorum, quae acciderunt Jechoniae captivitatis suae anno trigesimo septimo, et quae deinde facta sunt ab hebraeis captivis Babylone, cum Jechonias, filii ejus, ceterique obsides Israel, una convenientes coram Baruch audiverint omnia, quae praenuntiata fuerant ab ipso Hieremia de Hierusalem, et universim expleta.

Adeo autem hae narrationes inter se arctissime junguntur, ut vetustissima manuscripta versionis aegyptiacae, et illud praecipue apographum, quod prae manibus habuit Origenes in collatione textus exaplaris, nullum divisionis indicium, nullum discrimen, nullum titulum apposuerint inter Scripturam Hieremiae, et libellum Baruch. Aperte hoc docet Didymus alexandrinus libro I. de Trinitate cap. 27.: « Hieremias vero etiam, aut Baruch, nam unus amborum liber etc. » Quinimmo omnes veteres patres librum Baruch sub Hieremiae nomine tantum citarunt, usque dum ob eam varietatem, quam deinde exceperunt doctores, inter se collatis hebraicis et graecis Septuaginta codicibus, divisus est liber ab Hieremiae Scriptura, et Baruch nomine signatus est, sumpto themate ex illis, quae leguntur in ejus initio: « Et haec verba libri, quae scripsit Baruch etc. » Insuper in antiquissimis codicibus latinae versionis in Ecclesia vulgatis ante divum Hieronymum, christiani viri ea historiae unitate animadversa, quam nuper expendi, in postremis verbis capitis LII. Hieremiae cum libro Baruch, initium hujus instituerunt in versiculo 12. capitis LII. praecedentis, ubi scriptum est: « In mense autem quinto, decima mensis, ipse est annus nonus decimus Nabuchodonosor regis Babylonis etc. » Ita adstruit manuscriptum latinum Ecclesiae Remensis N. 1. signatum, nongentos annos praeferens, quod in citato versiculo 12. hanc inscriptionem prodit: « Incipit liber Baruch notarii Hieremiae Prophetae. Et factum est in mense quinto etc. » Idem proferunt alii quatuor codices Baruch, a Sabatier illustrati. Sic

invenit Joseph Maria Caro in codice Orat. quem edidit anno 1688. Codex denique laurentianae bibliothecae saeculi XII. N. 127. in fine capitis LI. hoc addit litteris rubris descriptum : « Hucusque verba Hieremiae » quae verba desiderantur in codicibus Septuaginta, quasi non sint ex verbis Prophetae, sed quaedam glossa vel additio, ab hebraeis postea inserta huic libro. Deinde describitur caput LII. Hieremiae una cum Baruch libello, in cujus fine legitur : « Explicit prophetia Hieremiae. »

§. IV. His praenotatis, ad majorem propositi explanationem quaeritur quis ille Evilmerodach assyriorum rex in ultimo Hieremiae capite nuncupatus, qui elevavit caput Joachim, sive Jechoniae, et alter rex, qui in c. I. Baruch dicitur Nabuchodonosor, pro cujus vita et filii sui precabantur judaei captivi. Hoc expendatur non tantum ad hujus libri et aevi, quo scriptus fuit, perspicuitatem, sed etiam verborum Hieremiae, et libri quarti Regum, et Danielis, qui, vario et alicubi in suis Scripturis mentionem fecerunt de chaldaeorum regibus, quibus servire hebraei ante Cyrum, qui everso assyriorum imperio, judaeisque libertate donata, ad patriam reverterentur, sivit. Divinis Bibliis jure primum innixi, deinde ethnicorum testimoniis in his extricandis difficultatibus, legimus in Hieremiae libro verbum Domini, quod factum fuit ad eum in principio regni Joachim filii Josiae, ubi praenuntiatur captivitas hebraeorum sub rege Nabuchodonosoro, et dicitur (1) : « Et servient ei omnes gentes, et filio ejus, et filio filii ejus, donec veniat tempus terrae ejus, et ipsius » quoad usque nempe impleti fuerint septuaginta anni, post quos, ut ait idem Propheta, reducendi forent in patriam regionem. Revera ab Esdra (2) et Daniele discimus sub Cyro et Dario persis, interfecto Baltassare rege chaldaeorum, completum esse numerum septuaginta annorum, quos praedixerat Hieremia. Nos autem ex iisdem Scripturis hausimus revera tres reges assyrios imperasse Babylone, quorum unus Nabuchodonosor, alter Evilmerodach, tertius est Baltassar. Sed hoc in censu oritur quidquam obscuritatis. Nam in libro IV. Regum cap. XXV. et Hieremiae ultimo dicitur Evilmerodach anno 37. transmigrationis Joachim regnasse Babylone, quique videtur successisse Nabuchodonosoro. Sed in Baruch et Daniele legitur Nabuchodonosoro

(1) Hierem. c. XXV. et XXVII. — (2) Esd. c. I. et Daniel. c. IX.

patri suo successisse Baltasar : « Ut vivamus, ait Baruch, (1) sub umbra Nabuchodonosor regis Babylonis, et sub umbra Baltassar filii sui. » Daniel vero ad Baltassarem ait : « Honorem dedit (Deus) Nabuchodonosoro patri tuo. » Quis iste ergo Evilmerodach, de quo dicit auctor libri IV. Regum, et caput ultimum Hieremiae ? Et relate ad Danielem et Baruch, quomodo stabit Hieremiae vaticinium, qui ait hebraeos fuisse Nabuchodonosoro regi Babylonis servituros, et filio suo, et filio filii ejus ?

Quod respicit dicta Baruch, et Danielis de Nabuchodonosoro et Baltassare filio suo, nihil contradicit verbis in cap. XXVII. Hieremiae (qui, praeter Nabuchodonosorum illis diebus imperii assyriorum moderatorem, duos alios nuncupat reges Babyloniae, quibus obnoxii fuissent hebraei ante Cyrum) si duos reges assyriorum constituerimus eodem nomine Nabuchodonosori appellatos ; illum nempe, qui sub Joachim Josiae filio, in Syriam in Palaestinam et Aegyptum irrupit, ab ethnicis vetustis scriptoribus dictum et Nabopolassar, et alterum vocatum Nabuchodonosor, qui Nabopolassaro successit, et pater fuit Baltassaris. Ambos porro reges fuisse simili titulo nominatos testatur aperte eadem Scriptura in Daniele, (2) ubi narratur somnium quod vidit Nabuchodonosor anno secundo regni sui, ad quod interpretandum vocatus fuit Daniel tunc captivus Babylone cum aliis filiis Juda, qui illuc translati fuerant anno octavo Nabuchodonosori, prout innuit liber quartus Regum (3) : « Egressusque est Joachim rex Juda ad regem Babylonis . . . . . et suscepit eum rex Babylonis anno octavo regni sui. » Quomodo hoc explicari poterit, nisi duos reges assyriorum eodem nomine ab historia sacra dictos, composuerimus ? Nabuchodonosor, qui juxta Danielem vidit somnium anno secundo regni sui, filius erat Nabuchodonosori illius, qui vulgo ab ethnicis vocatur Nabopolassar et a scriptoribus sacris Nabuchodonosor, quo mortuo, imperium subiit filius ejus item Nabuchodonosor, a Daniele et Baruch appellatus pater Baltassaris. Huic rei Flavius quoque ex vetustis Berosi libris fidem facit ; satius inquam, Nabopolassarum et Nabuchodonosorum ejus filium nuncupat eodem nomine. Scribit enim libro X. Antiquitatum : « Cumque audisset pater ejus Nabuchodonosorus (ac ita in graeco exemplari legitur) eum, qui

(1) Bar. c. I. et Dan. c. V. — (2) Dan. c. II. — (3) 4. Reg. c. XXIV. 12.

in Aegypto et Coelesyria praepositus fuerat, satrapen a se defecisse, ipse ferendis laboribus impar, filio Nabuchodonosoro adhuc juveni tradidit partem exercitus etc. » Hoc quoque probat David Chytraeus in Onomastico Theologico, qui inter reges assyriorum numerat duos nomine Nabuchodonosori insignitos : « Nabuchodonosor primus, ait, tempore Josiae 4. Regum cap. XXIII. et 2. Paral. c. XXXVI. alter Nabuchodonosor Magnus, qui Hierosolymam evertit et judaeos in Babylonem duxit. » Et hoc jure dicit Chytraeus auctoritati innixus Metasthenis persae, qui in annalibus persicis scribit, post Merodach regnasse Nabuchodonosorum Primum annos 35.; deinde Nabuchodonosorum Magnum annos 45. Ac ob hujusmodi disquisitionem optime congruunt verba Hieremiae, qui initio regni Joachim praefatus est omnes gentes in servitute mansuras fuisse sub Nabuchodonosoro, idest Nabopolassaro, filio ejus, idest Nabuchodonosoro, et filio filii ejus, idest Baltassari, cum iis, quae dicuntur a Baruch, et a Daniele in citatis locis. Hoc insuper animadvertas; cum Hieremia citata verba describeret de statu dynastiae chaldaeorum, in vivis adhuc degebat Nabuchodonosor pater, seu Nabopolassar, qui juxta Berosum, supremum diem explevit sub illud aetatis, qua per filium suum captae sunt Judaea, Phoenicia, et Aegyptus; et viginti annis circiter obiit Nabopolassar, postquam Hieremias illud edidit oraculum.

Notes tamen, et hoc respicit alteram quaestionem, Nabuchodonosorum patrem per annos 35. juxta Metasthenem, ut dixi, imperasse assyriis. Anno vero octavo hujus Nabuchodonosori incepit Joachim captivitas. Et filius ejus Nabuchodonosor Magnus annos 45., quorum tresdécim circiter una cum patre suo, regnavit. Idcirco subtractis annis 8. regno Nabuchodonosori patris, quibus regnavit ante emigrationem Joachim, et aliis 13., quibus una cum filio regnavit, eruitur hebraeos in captivitate sub Nabuchodonosoro patre et filio transegisse annos 59. Obstant ergo verba libri IV. Regum et Hieremiae caput ultimum, ubi habetur anno 37. captivitatis Joachim cessasse regnum Nabuchodonosori Magni, imperante Evilmerodach. Insuper et alia oppositio divinos intercederet scriptores; namque Hieremia capite XXVII. sub Joachim rege Juda et sub Nabuchodonosoro patre vaticinatus, inquit israelitas servituros fuisse dicto regi, filio ejus et filio filii ejus; et contra alibi in Scripturis quatuor nominantur reges assyrii, quibus hebraei subigerentur, Nabuchodonosor pater, filius ejus item

dictus Nabuchodonosor, Evilmerodach, et Baltassar filius Nabuchodonosori. Unde ergo iste Evilmerodach ?

Ad ejusmodi nodum extricandum videtur par, quod docet Propheta Daniel somnium Nabuchodonosoro interpretatus. Ait (1) enim : « Ejicient te ab hominibus, et cum bestiis ferisque erit habitatio tua, et foenum ut bos comedes . . . . . Et septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum, et cuicumque voluerit det illud. » Et paulo post : « In ipso tempore sensus meus reversus est ad me, et ad honorem regni mei decoremque perveni ; et figura mea reversa est ad me ; et magistratus mei requisierunt me, et in regno meo restitutus sum, et magnificentia amplior addita est mihi. Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo et magnifico, et glorifico regem coeli etc. » Ex Danielis sententia clare percipitur Nabuchodonosorum Magnum, seditione facta Babylone, regno destitutum esse, et septem aetates, (quas in annos interpretatur Flavius, seu, juxta hebraeorum morem, indiscriminatim ad varios annos) depulsum esse ex urbe. Eo utique intervallo, quo abfuit Nabuchodonosor, rationi congruum fit, alterum virum occupasse thronum assyriorum ; ex quo conjici potest Evilmerodach (sive filius illius, seu nepos, sive quisquis alius fuerit) tenuisse regnum Babylonis toto eo tempore, quo ejectus ex hominibus Nabuchodonosor, desertis locis immoratus est. Hoc quoque firmat Hieronymus ex synagogae magistris in cap. XIV. Isaiae dicens, Evilmerodach (patre suo Nabuchodonosoro vivente per septem annos inter bestias) regnasse ; quamvis alia de eo referat Sanctus ex hebraeorum traditione accepta, et ut commentitia habita ab eodem. Rabbi David Chimchi caput idem Isaiae interpretatus : « Et tu projectus es de sepulchro tuo » ait : « Cum ejectus fuerit Nabuchodonosor et fuit cum feris septem annos, populus terrae constituerunt regem Evilmerodach filium suum ; et ut reversus est Nabuchodonosor ad mentem suam, et redlit domum regiam Babel et invenit filium suum sedentem super thronum suum, posuit eum in carcerem etc. »

Hac hypothesi accepta, imperasse scilicet assyriis Evilmerodach, dum mente alienatus Nabuchodonosor degebat ut fera in solitudine, conveniunt citatae Scripturae. Nam quod dicit auctor librorum regalium de anno 37. transmigrationis Joachim, quo

(1) Daniel. c. IV. 22.

regnavit Evilmerodach, recte congruit aetati, qua a regia abfuit Nabuchodonosor filius, qui omnibus potitus regnis finitimis et longinquis, Babylonem reversus, et urbe decore adaucta, in superbiam elatus a Deo punitur. Evanescit idcirco ea antilogiae species excepta e libro IV. Regum, et ultimo Hieremiae capite, de initio regni Evilmerodach anno 37. transmigrationis Joachim, et simul componitur aetas imperii Nabuchodonosori Magni, ut dixi, annorum 45. Congruit quoque prophetia Hieremiae de judaeis, qui servirent regi Nabuchodonosoro, filio ejus, et filio filii ejus; et firmantur tandem Danielis verba et Scriptura Baruch, ubi censentur Nabuchodonosor, et Baltassar ejus filius et successor in regno chaldaeorum. (1)

Ex hoc praeterea, eruitur juxta propositum, consonantia in sacra historia, quae dicit Evilmerodach (qui in absentia regis imperavit) elevasse caput Joachim, sive Jechoniae, et e carcere eduxisse, eumque vitam liberam degisse usque ad diem mortis suae. Qua libertate porro utique fruitus est etiam, cum Nabuchodonosor, Danielis vaticinio de se expleto, adorans Deum ad pristinam imperii sui sedem evectus, benigne egit tum Jechoniam, cum ceteros hebraeos captivos; ac postea veniam dedit eis vasa templi revocandi in terram Juda, ut dicit idem Baruch liber in cap. I; quod antea fecisse Nabuchodonosorum Magnum vix probatur, cum in eosdem dure sese gessisset. Ob hanc autem Nabuchodonosori benignitatem erga hebraeos, quae ex ejusdem poenitentia prodiisse videtur, factum est quoque, ut ipsi hebraei captivi in ejusdem Baruch Scriptura dicerent: « Ut vivamus sub umbra Nabuchodonosori regis Babylonis, et sub umbra Baltassar filii ejus. » Sicubi, ut supra probatum est, sub finem imperii Nabuchodonosori Magni referendum quidquid habetur in eo libro.

Sed quod hoc auget argumentum, legitur in eadem oratione, (2) ubi innuitur longum annorum spatium emensos fuisse hebraeos in Babylonia, cum miserint Hierusalem dona et litteras supplices legendas in templo Domini; in quibus ea: « Quid est Israel, quod in terra inimicorum es? Inveterasti in terra aliena, coin-

(1) Josephus Scaliger in notis chronologiae Eusebii tom. II. pag. 91. docet nomina assyriorum regum, cum e consuetudine immutarentur in subeundo imperio, factum esse, ut ii binomines essent; et idcirco deceptos ethnicos in tradenda eorum genealogia, plures censentes reges, quam tradit sacra historia; quod et Hieronymus sensit in cap. XXXVII Isaiae. — (2) Baruch c. III. 10. 11.

quinatus es cum mortuis, deputatus es cum descendentibus in infernum. » Hae dictiones non decem neque quindecim annos indicant captivitatis, sed intervallum produnt longissimum, quo fere oblivioni tradita fuerunt ab hebraeis Hierosolyma, nullaque spes supererat eis redeundi in patriam terram. Si vero hi sermones referantur ad postremam regni aetatem Nabuchodonosori Magni, et circa quadragesimum, vel ultra, annum transmigrationis Jechoniae, quo tempore, ut hauritur e Baruch verbis (1), jam senuerat Nabuchodonosor, et adoleverat filius ejus Baltassar, jure judaei ad Dominum versi pronunciassent captivitatis suae longaevitatem; et ideo ad pristinas sedes spe erigebantur citius revertendi; uti revera explicit Baruch oratio: « Circumspice Hierusalem ad Orientem, et vide jucunditatem a Deo tibi venientem. »

§. V. Alia quaedam difficultas contra hucusque dicta oritur ex illis, quae in eodem Baruch leguntur de templo Dei (2) utpote stante una cum ara, ubi offerebant sacerdotes sacrificia; alibi vero ex adverso eruitur templum Dei incensum et dirutum (3). Quod attinet ad hoc secundum, non est ambigendum de civitatis Hierusalem, et templi Domini ruina pro eo quod haud obscure ibi instituatur: « In anno quinto, in septimo die mensis in tempore quo ceperunt chaldaei Hierusalem, et succenderunt eam igni. » Insuper addit Baruch: « Et posuisti templum, in quo invocatum est nomen tuum in ipso, sicut dies haec. » Quomodo ergo dicitur ibidem captivos Israel misisse pecuniam ad emendum holocautomata sacrificanda ad aram Dei Hierusalem » et paulo post additur: « Legite librum istum, quem misimus ad vos recitari in templo Domini in die solemni » cum haec omnia ara et templum diruta essent?

Quod ibi narratur de ara, ubi israelitae in Judaea superstites post templi ruinam obtulerunt Deo sacrificia pro captivis sicuti dicitur ibi: « Ad aram Dei nostri » nihil officit. Altare enim in templo Domini (si velis dirutum per Nabuzardan principem militiae regis Babylonis, illud a Salomone instructum) alterum a judaeis ibidem aedificatum fuerit, ubi immolarent victimas juxta veterem consuetudinem. In re nostra, haec pia consuetudo victimas Deo coeli offerendi antiquitus libera, deinde mosaicis legibus definita, viguit quoque inter hebraeos post captam Hierusalem, et templi et civitatis ruinam, cum ab Assyria

(1) Bar. c. I. 12. — (2) Bar. c. I. 10. 14. — (3) Bar. c. I. 2. et c. II. 26.

misissent in judaeam pecunias ad hostias emendas et offerendas super altare, quod tunc temporis levi opere instaurarint in eodem loco, ubi antea collocatum fuerat alterum a Salomone; uti deinceps sub Esdra revera discimus factum, a sacerdotibus e captivitate reducibus, qui ubi Hierusalem reversi aedificarunt altare Deo Israel: « Et surrexit Josue, ait Scriptura, (1) filius Josedech, et fratres ejus sacerdotes, et Zorobabel filius Salathiel, et fratres ejus, et aedificaverunt altare Dei Israel, ut offerrent in eo holocautomata, sicut scriptum in lege Moysi viri Dei.... A primo die mensis septimi coeperunt offerre holocaustum Domino; porro templum Dei nondum fundatum erat. » His ergo animadversis, recte conveniunt citatae Baruch locutiones. Hoc idem instituatur de aliis Baruch ejusdem verbis: « Recitari in templo Domini in die solemni, » quod templum etsi combustum et dirutum fuerit, attamen locus sive spatium, ubi antea situm erat, discernebatur, quo convenientes hebraei orabant, dies festos agebant, et ara instructa, victimas offerebant pro peccato.

Neque insuper, a veritate valde dissonum apparet, adhuc aetatis inter rudera tam spatiosi aedificii superesse loca quaedam seu recessus; eo magis quod e sacrae Scripturae verbis tantum eruatur succendisse Nabuzardan domum Domini et domum regis. Hoc actu enim solum ignis effectus animadvertendi sunt, quo templi sacri magnificentia et decor deturpata fuere, aurum et argentum et aes consumpta, ligna cujusque generis combusta, stantibus tamen quibusdam aedium partibus, quae templi memoriam excitarent, sicuti per eumdem Baruch dicitur: « Et posuisti templum, in quo invocatum est nomen tuum sicut dies haec: » Ea sacra loquendi norma, qua usus est de templo, familiaris fuit etiam et aliis scriptoribus Proto-Canonicis. Narrat Hieremias (2): « Venerunt viri de Sichem, et de Silo, et de Samaria octoginta viri, rasi barba, et scissis vestibus, et squallentes; et munera et thus habebant in manu, ut offerrent in domo Domini. » Et domus Domini jam incensa erat a chaldaeis, ut ait capite praecedenti. Scriptura Esdrae apertissime hoc innuit in cap. II., ubi scriptum est: « Et de principibus patrum, cum ingrederentur templum Domini, quod est in Hierusalem, sponte obtulerunt in domum Dei ad extruendam eam in loco suo. » Ingressi sunt nempe in templum Domini, in spatium illius inter ru-

(1) Esdrae c.III. 2. — (2) Hierem. c. XLI. 5.

dera, et obtulere in eodem loco, etiamsi, ut dicitur in cap. III. templum Domini nondum fundatum erat. Olympiodorus in catena Baruch addit: « Etsi templum solo aequatum esset, tamen in eo loco sacrificabant; haud enim alibi fas erat, quam Hierosolymis sacrificia offerre. » Hac interpretatione omnia inter se cohaerent; divina oracula firmantur, et rata habetur historica narratio Baruch.

§. VI. Ubi de hujus aetate Scripturae disseruimus, aliud superest discutiendum, quod urgent adversarii (1) dicentes librum Baruch contradicere Hieremiae verbis in capite XLIII. 6. Namque Baruch in suo libro dicitur translatus Babylonem, et contra in Hieremia legitur Aegyptum adiisse cum eodem Hieremia aliisque judaeis.

Minime ad invicem obstant praedictae sententiae; siquidem Baruch fieri potuit, ut profectus Aegyptum, inde, expugnata regione ab assyriis, sese receperit Babylonem. Patet ex citato capite, Aegyptum idem subiisse fatum ac Judaeam sub Nabuchodonosoro, et judaeos ibi colonos juxta Dei oraculum iterum dispersos fuisse, partim fame, partim gladio interfectos, virosque paucos reversos in terram Juda. Ex hoc autem Aegypti eventu, ibique mortuo Hieremia, ut ex hebraeorum traditione habetur, Baruch, in quem sicuti Hieremiam semper benigne se contulit rex Babylonis ob fausta vaticinia, in fidem ab eo receptum, rationi consonum est, Babylonem profectum esse, ibique moratum. Quod vero firmius statuit hanc opinionem, non tantum de illius mora Babylone, verum etiam de illius gestis, ejusque longaevitate, qua assequi potuit ad ultra trigesimum septimum annum transmigrationis Joachim, prout nuper ostendi, id est, quod per Hieremiam Dominus locutus est eidem, (2) postquam Aegypti ruinam ex ore Prophetae scripsit in libro: « Et quaeris (Baruch) tibi grandia? noli quaerere, quia ecce ego adducam malum super omnem carnem, ait Dominus; et dabo tibi animam tuam in salutem in omnibus locis, ad quaecumque perrexeris. » Ex ejusmodi verbis satis conjiciendum est pro instituto nostro. Theodoretus quoque in hunc librum ita scribit: « Admirandus Baruch discessit quidem cum judaeis, qui aufugerant in Aegyptum; hoc enim in praecedentibus didicimus. Verumtamen post quinque annos, ex quo capta est urbs, perve-

(1) Par. I. § II. n. 2. p. 11. — (2) Hier. c. XLV. 5.

nit Babylonem. Omnem enim operam impendebant pietatis alumni, ut confirmarent infirmos, et ad veritatem deducerent. Cum ergo pervenisset Babylonem, recitavit divini Hieremiae prophetiam cunctis captivis, et potissimum Jechoniae, qui exiguo tempore cum regnasset, factus est captivus. Nec aberravit a scopo, quia duxit illos in sensum pristinorum peccatorum etc. (1) »

§. VII. Neque tandem mirandum est quidquid legitur in libro Baruch circa sacerdotes nonnullos, aliosque israelitas, qui, cum deserta esset regio Juda post captam Hierusalem juxta propheticas voces, et adhuc perduraret captivitas Babylonica, incolebant Judaeam, et habitabant Hierusalem, ibique legi mosaicae ac patriis institutionibus dabant operam. Haud latet quidem plures hebraeos (qui manserant in Palaestina in civitatibus maxime Juda et decem tribuum Israel post ultimum Hierusalem excidium) occiso Godolia fugisse in Aegyptum; sed etiam minime ignorandum est quidquid prophetavit Hieremias (2) hebraeis profugis in Aegyptum, quos dicit reversuros in terram Juda (postquam occupata esset quoque Aegypti regio a Nabuchodonosoro) illos tantum paucos, qui fugissent: « Et qui fugerint gladium revertentur de terra Aegypti in terram Juda, viri pauci. » Hi viri pauci una cum aliis, qui expugnata omni regione Juda, et Israel ad finitimas regiones confugerant, maxime vinitoribus et agricolis, qui dispersi quaquaversus erant, et de quibus nulla fuerat assyriis rebellionis suspicio, sedatis rebus chaldaeorum, et affinium provinciarum, rursus paulo post in patriam terram reversi sunt; illi, inquam, ad quos, juxta Baruch verba, miserunt judaei captivi Babylone pecuniam ad emendas victimas et offerendas super aram Domini inter rudera templi sacri.

§. VIII. Denique in fine libri Baruch cap. VI. addita est epistola, quam, cum nihil coaptetur Baruch Scripturae, dicitur, initio ejusdem, misisse Hieremias ad hebraeos, qui in captivitatem ducendi erant, seu ducti, a rege Babylonis. Et ita inscribitur: « Exemplar epistolae, quam misit Hieremias ad abducendos captivos in Babyloniam a rege Babyloniorum, ut annuntiaret

(1) Animadvertas porro Baruch non eumdem esse ac Sarajam filium Neriae, cum hic secundus potius frater Baruch sit.. Quoties enim Baruch legitur in libro Hieremiae, nullo alio nuncupatur nomine, nisi hoc, adeo ut Houbigantius in Prolegomenis hujus Scripturae asserat Ludovicum Cappellum in suo libro posthumo toto caelo errare, dum ait Sarajam eumdem esse ac Baruch. — (2) Hier. c. XLIV. 14. et 28.

illis, secundum quod praeceptum est illi a Deo.» Illud primum vocabulum *exemplar*, quod graecus dixit ἀντίγραφον *antigraphon* i. e. *contra scriptum*, vulgo innuit exemplar cujusdam Scripturae, sive descriptum e copia originali; et hoc explicat genuitatem amanuensis et epistolae. Versiculum autem primum hujus, arguitur non constituere partem integralem ejusdem, sive foetum Hieremiae Prophetae, sive auctoris sacri, qui epistolam conflavit; sed potius esse glossam, ibi veluti titulum, inscriptam ab aliquo scriba hebraeo, aut graeco, qui, cum absit codex hebraicus, e quo transcriptae sunt hae litterae, nobisque tantum supersit Septuaginta interpretum translatio, quae illas ad nos usque demandavit, decerni nequit. Circa autem hujus inscriptionis auctoritatem, mihi videretur comparanda illis pluribus et vario genere inscriptionibus, quae initio Psalmorum leguntur, quarum nonnullae, collatis inter se et hebraicis et graecanicis Septuaginta codicibus, variant, eo magis quod in nonnullis manuscriptis desideretur haec epistolae inscriptio, ut testis Grotius, aliique (1). Et hoc satis.

Nos vero potius solliciti de parte integrali harum litterarum, idest de divina earumdem auctoritate et ratione; novimus eas maxime versari de offendiculis crebris et magnis, in quae leviter impegissent hebraei inter assyrios. Cum enim advertisset antea Scriptor judaeorum captivitatem in assyriis, ob oculos eorum objicit artificia omnia, quibus ab ethnicis fabricantur idola, et actus eorum et cultum; et adeo in his, ethnicorum insaniam et scurrilitatem describit, ut in cor gentis suae fundat omnem gentilium rituum reprobationis et abominationis sensum. Quisquis hanc legens epistolam, fieri non potest, ne ridens despuat hujusmodi hominum ignaviam, qui omnia bona sua, et semetipsos quoque referunt ad inanem substantiam, cui nulla est virtus, neque multo minus eis bene, nec male agendi ulla praestat vis. Quanta porro veritate polleant hae litterae, quamque congruae fiant, qui vetustas assyriorum historias contulerit iis ibidem narratis, aperte hoc percipit, ut satis novistis ex Herodoto aliisque, et e Scripturis Proto-Canonicis, et maxime ex eodem Daniele, cum Baltassari exprobrans impietates, quibus peccaverat in Deum, dicit: (2) « Sed adversum dominatorem coeli elevatus es . . . . . Deos quoque argenteos, et aureos, et aereos, fer-

(1) Critici sacri tom. V. — (2) Dan. c. V. 23.

reos ligneosque, lapideos, qui non vident, neque sentiunt, laudasti. »

Si vero Hieremiae, ut praesefert epigraphe, nuncupentur hae litterae, mihi haud videtur a veritate alienum, cum is utique recte novisset conditionem populi Israel in assyriis, ejusque discrimen inter tot offendicula degentis. Phrasis enim, ut alibi dixi, hebraica lingua prorsus redolet, mores et tempora, et causae, resque omnes ibi citatae pariter conveniunt. Minoris momenti negotium extat originalis textus amissio. In usu linguarum, homines aetatum vicibus se se accommodant et regionibus, quas incolunt. Ita hebraei in Assyria chaldaice loquebantur, in Aegypto, ubi invaluit graecorum lingua, graece, sicuti et ceterae gentes excogitant, quaerentes quidquid tempori, et usui proprio aptum aestimatur, parum sollicitae de iis, quae jam fuerunt, jamque consuetudo permutavit. Ita factum creditur in versione graeca Bibliorum divinorum, hebraei veteribus codicibus Scripturarum, patria lingua descriptis, omissis, novis codicibus graeca' lingua exaratis, animum intenderunt et curam, uti altera parte demonstratum est. Plura ex. gr. patrum graecorum scripta, latine translata apud nos supersunt, quorum codices graeci jam perierunt; nosque tamen ea tali auctoritate accipimus, quemadmodum alia, quae adhuc servantur graecanico eloquio scripta. Non urget ergo hujus epistolae Hieremiae genuitatem et divinam auctoritatem, codicis hebraici defectus.

PROPOSITIO VII.

De Scriptis Deutero-Canonicis, quae in libro Danielis leguntur.

§. I. In Danielis prophetia sparsim leguntur additamenta, quae nullibi hebraeorum codicum occurrunt, sed tantum in illa veteri Septuaginta interpretum versione. Hae autem additiones ex eo, quod res varias spectent, necesse fit, ut singillatim quoque pertractentur. Juxta divi Hieronymi versionem, in c. III. objicitur trium puerorum hymnus. Canticum hoc ex illis est, quae ubique sacrorum Bibliorum collata sunt a divinis scriptoribus in gratiarum actionem, cum a Deo aliquid obtinuerint, aut a quopiam discrimine liberati. Ceciderunt filii Israel ad oras Erithraei maris; cecinit Debbora in Sisarae morte; saepissime David hoc fecit e tot periculis ereptus, aliique. Simili modo tres pueri in Scriptura Danielis ab igne innoxii incedentes, laudes Deo extulere. Et quid magis rationi consonum, hos tres pueros ab igne liberatos in fornace Babylonis, ut testis ibi est historia Proto-Canonica, misericordias Domini celebrasse? Memorat ibi Azarias unus ex his divinam aequitatem, quae Israelis peccata tunc temporis animadvertit, memorat una Dei foedus cum patriarchis, precatur ut in sui gloriam eos liberet ab igne. Utque sensit se suosque a Deo liberatos, ille cum sociis suis uno ore Deo laudes concinit, ad hoc omnes orbis creaturas hortatus: « Quia eruit nos de inferno, et salvos nos fecit de manu mortis. »

§. II. Quisquis hoc percurrens canticum poterit ne aliquid arguere, quod verbis Proto-Canonicis obsistat antea, vel mox relatis? Nullo modo; quinimmo verba Nabuchodonosor, quae sequuntur in Scriptura Proto-Canonica, dum ait; « Ecce video quatuor viros solutos et ambulantes, » prorsus cohaerent illis Deutero-Canonicis: « Angelus autem Domini descendit cum Azaria et sociis ejus in fornacem, et excussit flammam ignis de fornace. » Alibi jam explanata est hujus cantici arcta analogia in verbis graecis, dictioni hebraicae, qua primum descriptum fuit, sicuti et unitas ejusdem hymni cum historia sacra, aliisque canticis, quae saepe occurrunt in Bibliis Proto-Canonicis.

§. III. Additio altera exstat in Scriptura Danielis, neque in hebraicis neque chaldaicis codicibus reperta, sed tantum su-

perstes in codice Septuaginta interpretum, profert historiam Susannae castae mulieris, quae (iniquo damnata judicio a duobus senibus, eo quod eorum concupiscentiae assentiri noluerit) morte evadit, cum e divina providentia Daniel impletus Spiritu Sancto noverit seniorum malitiam, et innocentiae Susannae testimonium contulerit. Haec autem Susannae historia apud Septuaginta in codicibus antiquis locum habet initio libri Danielis; et hoc merito factum opinor. Ibidem namque decernitur Daniel adolescens, atque ex eo eventu in medio Israel patuit illius spiritus propheticus, Deumque cum illo fuisse: « Et Daniel, dicitur ibi, factus est magnus coram populo a die illa, et deinceps. » Vox *puer*, quam interpres alexandrinus dixit παιδάριον *pedarion*, sibi vult illam aetatem a pueritia usque ad annum vigesimum, ferme illi similem, quam degebat David cum Golia pugnans, et eodem vocabulo *pedarion* a graeco interprete nuncupatus. Ideoque Susannae historia videtur accidisse postquam quatuor pueri judaei captivi in Assyria enutriti in aula regis Nabuchodonosori, steterunt in conspectu ejus. Inter hos enumerabatur Daniel, qui sapientia et intelligentia praeditus, non solum regalis domi negotia gerebat, verum etiam maxime de bono sollicitus erat fratrum suorum.

§. IV. Progressi vero legimus in hac historia hebraeos, non quasi populum captivum fuisse in Assyria, at potius liberos et divites patriis legibus uses, concionem facere de rebus suis, uti eruitur ibi, Joachim divitem et honorabilem esse, senesque alios ad eum convenire, et judices inter eos constitutos, qui rebus publicis praeessent, ac decernerent quidquid contentionis causa foret in plebe. Hoc vero non est mirandum, dum et hoc partim docetur in Ezechiele et libris Regum et Baruch, sicuti paulo ante dictum fuit; partim vero ex ethnicis testimoniis roboratur, in Assyria nempe degentes hebraeos loca a rege destinata incoluisse. Contra Apionem et alibi testatur Flavius de judaeis Babylone captivis locutus: « Judaeis, phoenicibus, syris et aliis gentibus captivis, ubi eo venerant, colonias in Babylone (1) locis maxime opportunis assignari jussit Nabuchodonosor. » Ex Strabone cappadoce Josephus idem libro XIV. c. 12. ait: « Per Ae-

(1) Advertas vero in hac narratione nomen Babyloniae haud sibi velle solummodo civitatem sive metropolim assyriorum, sed accipi quoque ad universam chaldaeorum regionem significandam, sicuti et alibi Bibliorum sacrorum. Item Flavius sumit.

gyptum sane etiam coloniae sunt ejus gentis idest judaeorum, et habet Ethnarcham, qui suae gentis res administret, et controversias jure dirimat, et pacta rata habeat non aliter, quam fit in absoluta republica. » Hoc astruit Origenes quoque in litteris ad Africanum de hac Susannae historia : « Nihil insolitum, ait accidisse ; magnis gentibus subactis a rege, concessum fuit ut suis legibus et judiciis utantur captivi. Certe nunc cum judaei, romanis imperantibus didrachma pendunt, quantam, concedente Caesare, in ipsos auctoritatem habeat ethnarcha, ut nil differat ab eo, qui regnum obtineret in gente ; scimus, qui sumus experti. Fiunt enim judicia latenter, et nonnulli morte damnantur ; idque in regione gentis longo tempore commorati didicimus, et pro certo accepimus. »

Tandem, nisi hebraei captivi in Assyria facultate praediti res suas administrandi, legibus suis utendi, familiaria negotia libere pertractandi, fuissent, uti exponitur in historia Susannae, arduum valde mihi videtur plurimos hebraeos mansisse in regionibus assyriorum et medorum, cum Cyrus rex persarum potestatem fecerit omnibus judaeis in toto regno suo, ascendendi Hierusalem (1) : « Quis ex vobis est, ait, in omni populo ejus ? Sit Dominus Deus suus cum eo, et ascendat. » Attamen nos aperte novimus plurimos fuisse ex omnibus tribubus filiorum Israel, qui in Assyria morati sunt, et usque modo eas provincias colunt. Indicium hoc satis patens est, hebraeos in captivitate sui juris fuisse, atque fieri potuisse, eos sub dynastis chaldaeis in Susannam egisse juxta mosaica instituta.

§. V. Non levis difficultas, quae interpretum tum veterum, tum recentiorum mentem defatigavit, superest diluenda in hac historia. Et haec vertitur in vocabulis arborum σχῖνος *schinos* et πρῖνος *prinos*, sub quibus, presbyteri obtestabantur vidisse Susannam cum adultero, quae verba, cum ex origine sint graecanica, auctorem repetunt Danielis aetate juniorem, et extra fines Assyriae degentem ; quod quidem hujus Scripturae imminueret auctoritatem.

De ejusmodi dictionibus conferatur primum Origenis sententia, quam scribit ad Africanum, quum de hac re illum consuluisset, quae etiam hodie adversariis quodammodo satisfacit : « Derivatione, de qua pronunciasti, ac si compertum haberes quo

(1) 2. Paral. c. XXXVI. 23.

modo graece quidem haec consonare contingat, hebraice autem penitus distent (Africanus ait); ego vero (Origenes respondet) etiam num dubito. Nam et ego de hoc loco sollicitus sum, cum et ipse diutius haererem, non paucos hebraeos consului, scisciatans quomodo apud ipsos nominetur πρῖνος *prinos*, et quomodo dicant πρίζειν *prizin*; item qua voce reddant σχῖνον *schinon arborem*, et quomodo dicatur σχίζειν *schizin*. Illi autem dicebant ignorare se graecas voces *prinos* et *schinos*, et ipsas sibi poscebant ostendi arbores, ut scirent quasnam eis tribuunt voces. Ego vero non dubitavi (amica enim veritas) ipsa ligna in eorum conspectu adducere. Alius autem dicebat, quae nusquam nominata sunt in Scripturis, se non posse affirmare quemadmodum dicantur hebraice. Item dicebat etiam a sapientissimis dictiones nonnullas aliquando quaeri. Si ergo, inquiebant, alicubi potes ostendere nominatim in aliqua Scriptura *prinum* et *schinum*, ibi certe invenietur, quod quaerimus, et ea, quae inde oritur, nominum derivatio. Si vero nullibi nominatae sunt, id quoque nos latet. Haec igitur cum ab hebraeis, quibuscum consuetudinem habui historiam non agnoscentibus, dicta sint. Religio quidem mihi est pronunciare, utrum apud hebraeos similis nominum derivatio servetur nec ne. Tu vero cur non esse affirmaris ? « fortasse nosti ? » Sapiens valdeque par responsum Africano, excogitavit Origenes circa ea vocabula, ut ejusdem fidem erga hanc historiam firmaret.

Sin vero nos sermonem hebraeum, sive chaldaeum perscrutati, harum inde vocum fontem, eamdem proferentem significationem ac graecum, uti leguntur in Septuaginta, eruere voluerimus, quidquam fortasse analogiae in semiticis linguis exurget. In Proverbiis namque, et hoc relate ad *schinon*, legitur nomen סכין *sachin gladius*, *culter*, item chaldaice et arabice, cujus interpretatio conformis habetur dictioni hellenicae *scindere*, *caedere*, ita Danielis dicta exponit dicentis : « Angelus Domini accepta sententia ab eo, scindet te medium. » Item de altero vocabulo *prino* seu *prizo*, illud educendo ab orientali eloquio פרז *pharaz* vel פרד *pharad separavit, sejunxit*, quod indicat angeli gladium, quo dicit Propheta : « Secet te medium. » Haec hypothesis, quae veritati affinis apparet, majoris momenti fiet, cum in Assyria exstare probetur hujus generis arbores, sicuti in graecis sunt *schinos* et *prinos* eadem significatione praeditae. Schinos, quam latini lentiscum dixerunt, resinosa et semper viridis in Orientis

regionibus nascitur. Ait Plinius libro XIV. c. 20. « In Oriente optimam tenuissimamque terebinthi fundunt, deinde lentisci, quam et mastichen vocant etc. » Prinos vero, quam ilicem nuncuparunt latini, arbor est coccum proferens, cujus folia non decidunt, et in Europa, Africa et Asia nascitur; testatur idem libro XXIV. c. 4. Ex hoc, cum jure quodam assentiri velimus opinioni communi, linguas nempe originem suam traxisse ab Oriente, sicuti homines, ac inde in reliquas mundi plagas pervenisse, asserendum foret proprium harum plantarum nomen ex orientalibus linguis transiisse in graecum sermonem eodem sonu et significatione, seclusa tamen ea varia verborum desinentia, in omnibus cujuscumque gentis linguis vulgata. Plato in Cratylo: « Reor equidem, ait, multa nomina graecos a barbaris, eos praesertim qui sub barbaris sunt, habuisse. » Et id, eo magis conjicere licet, quo patentius scimus vetustos in Graecia asiana scriptores ac etiam in Europa, plura habere vocabula, quae orientalibus communia fiunt, idemque significant; ac maxime dictiones, quae terrae fructus exprimunt utriusque gentis indigenos, et quorum etymon percipimus magis sermoni orientali, quam graeco et latino accommodari. Non ergo obstat, graecos habuisse arbores eodem nomine et significatu, ac habebant assyrii, uti videtur innuisse Daniel.

§. VI. Praeterea (quatenus non acceptetur nuper exposita interpretatio) de illis vocabulis *prinos* et *schinos*, et quomodo ista e textu hebraeo sive chaldaeo in graecam linguam a Septuaginta translata sint, indiciis notata, quasi a linguis semiticis aliena, placet animadvertere, quae et ipse Claudius Salmasius de aegyptiis interpretibus disseruit in suo opere-De Hellenistica p. 117. et ea fortasse huic quaestioni lumen conferent. Sic namque scribit: « Plerumque non propter imperitiam, sed ob nimiam religionem eo modo peccatur a translatoribus, dum anxie nimis adhaerere volunt et verbis auctoris, quem transferendum susceperunt. Hoc familiare fuit Bibliorum Septuaginta interpretibus, et aliis, qui in eodem labore desudarunt. Hinc scribit Philo, Septuaginta seniores in vertenda Sacra Scriptura verba excogitasse commoda, quibus ἐμφατικῶς *emphaticos* exprimerent vim hebraicarum vocum, formamque adeo ipsarum pene redderent. Ita enim dicit libro I. de Vita Moysis: - Id negant usuvenisse in vertendis his legibus, sed in unum quasi convenisse propria nomina propriis reddita, graeca cum chaldaeis exa-

cte adaptata et respondentia rebus significatis. Quemadmodum geometriae dialecticae negotia non admittunt varietatem interpretationis, sed manent eadem sicuti a principio fuerunt posita et immutabilia, eodem modo et ii congruentia rebus invenerunt nomina, quaeque sola valerent explicare sensum eorum, quae erant exponenda: - Ita ergo qui Biblia ex hebraico in graecum verterunt, multa finxere vocabula ad formam hebraicorum, ut sic quam proxime exprimerent hebraicarum dictionum vim. » Deinde notatis nonnullis hujus generis vocabulis, addit: « Sed non dubium est quin multa talia commenti sint vocabula, vel ex usu populari sumpta, paullulum deflexerint ad exprimendam propius potestatem ac vim vocabuli hebraici . . . Non pauciora Aquila fabricavit, quam Septuaginta, in ea versione, quam adornavit, immo etiam plura, quatenus, et pressius hebraico textui adhaesit, et formam verborum ejus dialecti de proximo imitari, et cum iisdem lineamentis exhibere tentavit. Cum difficile itaque esset reperire aliquod verbum in graeca lingua, quod examussim responderet voci hebraicae ad significationem exprimendam, quam sententia loci postularet; idcirco fingenda interpretibus vocabula fuerunt, aut ex medio sumenda, quae viderentur magis convenire ad hebraicos sensus reddendos. Hinc quoque difficile evasit perspicere, quo sensu quodque verbum graecanicum ab his positum sit, quia plerumque latet, quae mens sit verborum hebraeorum, aut quam ipsi mentem habuerint, quidve secuti sint in iis interpretandis. » Haec omnia sensit quoque Hieronymus in epistola ad Marcellam de Ephof-Bad; et Pauli epistolae ad Galatas commentatus caput. 1., ubi ait Septuaginta ex hebraeo transferentes in graecum Scripturas, maxime conatos esse, ut proprietatem peregrini sermonis exprimerent, nova novis rebus verba fingentes. Dicit inde non esse hoc mirum, cum et Cicero in quaestionibus Philosophiae, de graeco transferens in latinam linguam, magnam passus sit necessitatem, portenta verborum proferendo, quae nunquam latini hominis auris audiverat. Eo magis, addit, patiuntur illi, qui de hebraeis difficultatibus proprietates exprimere conantur. Hoc idem jure factum creditur ab interprete alexandrino in hebraeis sive chaldaeis Susannae historiae verbis transferendis, ut nempe quidquam in *schinos* et *prinos* usu, exprimeret conforme lusui verborum Danielis, detractores senes arguentis. Aliter, vix fieri potuisset, ut vocabula semitica ita exposita a Daniele respondissent linguae graecanicae dictioni

schizo et *priso*. Idcirco necesse fuit aliqua commentari vocabula graeca, quae satis fuerint ad Danielis sententiam accurate significandam.

In hujus rei exemplum, illud proferam, quod scribit Propheta Osea c. 1. cum Dominus jusserit eum, uxorem ducere fornicationum, et filios sibi facere fornicationum, quorum altera filia nuncupata fuit לא רחמה *loh ruchama*. Interpres porro alexandrinus in sua versione non inscripsit *loh ruchama*, sed hebraeam vocem in graecam dictionem transtulit, et dixit: « Voca nomen ejus οὐκ ἠλεημένη, i. e. non misericordiam consecuta. Si fortuito periisset codex hebraicus hujus Prophetae, tunc dictum foret Oseam non hebraice, sed graece scripsisse ex eo, quod filiae suae nomen aptaverit non juxta hebraeam suae gentis suique aevi proprietatem, sed juxta graecanicam dictionem. Interpres vero Aegyptius in hoc loco aeque vertit Oseae Scripturam, ut nomen scilicet filiae *loh ruchama* coaequaret sermonis analogiae, qua mox per eumdem Prophetam Deus subjungit: « Quia non addam ultra misereri domui Israel. » Aliter, quidquam aenigma protulisset in sua versione graeca. Eodem modo fecisse arguatur Danielis Interpretem, qui hebraea, sive chaldaea nomina arborum *schino* et *prino* adhuc nobis occultata (cum absit hujus historiae textus originalis) transtulit in vocabula, quae responderent dictis Prophetae sancti.

Insuper notandum est familiarem et quidem peculiarem esse hebraeis divinis scriptoribus hujusmodi verborum lusum, in Israel increpando, uti legitur in Susannae historia. Isaias, Michaeas, Hieremias, aliique, uti sermonis ornatu saepissime eo usi sunt, quod potissimum probat hujus historiae genuitatem, et vetustatem. Confer Isaiae cap. v. 7., Mich. c. 1. 14., Hierem. c. 1. 11. Ubi vero ipsa vocabula vertenda erant graece, hebraei alexandrini ea simplici versione, maxima laborarunt difficultate, cum lusus verborum hebraeorum haud responderet perspicue sermoni graeco et sacri scriptoris menti, nisi saltem quaedam fieret paraphrasis dictionis hebraicae cum altera lingua collatae. Non solum alexandrini interpretes in sua versione hanc vim sustinuerunt; verum etiam Hieronymus ipse. Et hoc egit in capite 1. Hieremiae, ubi vocabula hebraica מקל שקד *macchel sciached* vertit Sanctus *virgam vigilantem*, metaphorice nempe sumendo *sciached* vocem, quae proprie sibi vult *amygdala*; et ita revera respondet menti Prophetae in illis verbis: « Virgam amyg-

dalae ego video. » Deinde, aliter juxta hebraeum sermonem haec vox *schiached* accipitur paulo post ab eodem Propheta, indicans *vigilare*, dum ait: « Quia *scioched hani* i. e. vigilans ego super verbo meo, ut faciam illud. » Et hoc exit e duplici significatione vocabuli *sciachad vigilavit* et *schiached amygdala* sic vocata, quippe arbor prae omnibus, flores et fructus maturans. Si Hieronymus hujusmodi dicta vertisset: « Virgam amygdalae ego video (uti vertendum erat) quia vigilans ego super verbo hoc, ut faciam illud » latinis auribus aenigma commisisset. Ideoque hac pressus difficultate Doctor maluit hebraicae phrasis vim occultare, quam propheticae visionis mentem. Eodem modo graecus interpres historiae Susannae fieri potuit, ut significatum proprium chaldaeum sive hebraeum verborum, quae vertit in *schinon* et *prinon*, omiserit, aliaque invenerit ad satius exprimendum Danielis dicta contra impudicos senes.

§. VII. Notanda denique est illa pericope, quae legitur in fine historiae Susannae ita: « Daniel autem factus est magnus in conspectu populi a die illa, et deinceps. » Et haec verba jam supra expensa sunt, et ibi monuimus ea spectare ad Susannae historiam, ex eo quod adolescens Daniel prophetici spiritus indicia praebuerit a die illa, et deinceps. Quae vero sequuntur: « Et rex Astyages appositus est ad patres suos, et suscepit Cyrus persa regnum ejus, » item spectare videntur ad praedictam historiam, quasi nota illuc a sacro scriptore collata ad indicandam longaevitatem ejusdem Danielis et honorem, quo habitus fuit a die illa et deinceps, usque nempe ad Astyagis sive Darii regnum (qui unus et idem est, ut innuit Houbigantius, seu idem ac pater ejus Astyages nomen praeseferebat Darius) et Cyri ejusdem successoris aetatem, quo annuente, regnavit Astyages seu Darius Medus Babylone. Huic similis elocutio legitur alibi in Scriptura Proto-Canonica ipsius Prophetae c. VI. « Porro Daniel perseveravit usque ad regnum Darii, regnumque Cyri persae. » Textus exaplaris Origenis, ut videre est in codice Chisiano, secernit dictam pericopen ab historia draconis et Beli, eamque nectit historiae Susannae. Et in hujus discriminis signum sequitur historia Draconis et Beli hac inscriptione: « Ex prophetia Abacuc filii Jesu de tribu Levi. » Pariter in editione complutensi dictus versiculus de Astyage, junctus est historiae Susannae sicuti in nostra Vulgata latina. Et his notatis facilius expenduntur quae de Belo et Dracone narrantur ab eodem Daniele.

§. VIII. Et hoc quoque additamentum Scripturae Danielis, cura solummodo Septuaginta interpretum nobis traditum est. Versatur, inquam in historia Beli, et Draconis, quos babylonii, cum in ipsis degeret Propheta, colebant veluti Deos. Quorum primus Bel cum templo, a Daniele, regi sacerdotum malitia revelata, destruitur. Draco vero, facta ab ipso rege Danieli potestate, pice et adipe ac pilis simul coctis in massas atque in os ejusdem reptilis datis, statim disruptus est. Quae cum regis admirationem concitassent, populum inscium, ac superstitiosum commoverunt in Danielem adeo, ut omnes minati sint regem, nisi eis traderet Prophetam; quo obtento in lacum leonum miserunt, ubi ab Abacuc mirabili modo nutritus, post septem dies incolumis a rege educitur; et viri, qui causa fuerant perditionis illius, lacum injecti, continuo devorati sunt a feris.

De Belo et Dracone ac in eos cultu ab assyriis, testimonium perhibent et sacrae et profanae historiae adeo ut frustra sit de his loqui. Nunc diluendum superest quidquid adversarii asserunt, hanc scilicet Danielis additionem contradicere Scripturae ejusdem Proto-Canonicae.

Primum vero necesse est, ut haec narratio instituatur sub imperio regum chaldaeorum et ante Cyri expeditionem, ac ideo Daniel in lacum leonum damnatus videtur ante illud tempus, quo legitur, in eumdem lacum missus fuisse sub Dario rege persa, ut testis est caput VI. Proto-Canonicum ejusdem Prophetae. Et hujusmodi sunt argumenta. In ea enim historia eruitur babylonios adorasse idolum Bel, ac templum ei fuisse instructum magnificentia summa ditatum, ac praeterea eosdem, quasi Deos eadem bruta ac reptilia veneratos esse una cum ipso rege. Contra vero notum est reges persas cultum hujus generis maxime abhorrere; ex quo fieri non potuisset, ut rex persa a Daniele exquireret cur non adoraret Belum et Draconem. Pererius in hunc locum ait: « Persae non solum non colebant Belum, sed nulla habebant templa, nulla deorum idola; et Strabo dicit Beli templum a Xerxe funditus fuisse demolitum. » Et hoc quoque apertius hauritur e cap. VI. ejusdem Danielis, ubi discimus decretum, satraparum consilio, firmatum esse a Dario: « Ut omnis, qui petierit aliquam petitionem a quocumque Deo, et homine, usque ad triginta dies, nisi a te o rex, mittatur in lacum leonum. » Hoc quidem decretum, si sub chaldaeis regibus actum esset, non tantum Danieli difficillimum evasisset, verum etiam eisdem sa-

trapis omnique magistratui chaldaeorum, qui valde variis idololathriae generibus dediti, vix statutum regis servassent.

Praeterea animadversis in ea historia verbis babyloniorum, qui coram rege dixerunt: « Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te » non est arguendum ita dixisse assyrios coram Cyro, cujus potestas, et imperium super omnes Orientis regiones latum, populos a quacumque in se conspiratione deterruit. Et idcirco nullam quoque contradictionem historiae secum confert hoc factum cum altera Scriptura Proto-Canonica, in qua dicitur sub Dario rege persarum injectus fuisse Daniel in lacum leonum. Bis enim, et vario tempore Propheta Dei a feris in lacu devorandus traditus, divina providentia illaesus evasit. Primum, sub dynastia regum chaldaeorum, secundo vero sub imperio persarum. Diversae insuper sunt notatae circumstantiae, et causae, ob quas Daniel damnatus fuit; nulla ergo antilogia est invenienda in Scriptura Danielis.

Sicubi vero in regnum assyriorum hanc remisimus historiam, necesse est ut locus, ac rex instituantur, cujus aetate haec facta sunt. Ex honore et benevolentia, qua rex ille Danielem afficiebat, uti ex eo capite conjicitur, ob ejusdem virtutem, et sapientiam, prae quibus babylonii indignati, regi dixerunt: « Judaeus factus est rex » sicuti etiam e luctu regis ob Danielis mortem, arguitur, imperante Evilmerodac seu Baltassare, ea gesta fuisse. Ambo enim ii reges benigne sese gesserunt in judaeos captivos. Pererius nuper citatus conjicit sub regno Evilmerodac historiam Beli, et Draconis locum habuisse. Ea autem posita aetate, accipere etiam possumus, quod dicit Epiphanius in suo libro de vita et interitu Prophetarum. Ait nempe Habacuc post Hierusalem expugnationem, et inde reversum in terram suam, cum aliquando prandium messoribus suis praeparasset, apud eos prophetasse dicendo, in terram longinquam se abiturum.

Neque tandem miremur in ea historia prodigiosum Prophetae Abacuc iter, qui ab angelo prehensus in vertice capitis sui translatus est Babylonem supra lacum leonum, ubi degebat Daniel. Ejusdem generis prodigiosum iter legimus in Actis Apostolicis, cum Philippus Diaconus, baptizato eunucho reginae Candacis, in Azotum raptus sit (1): « Spiritus Domini rapuit Philippum, et amplius non vidit eum eunuchus. »

(1) Act. Apost. c. VIII. 39.

PROPOSITIO VIII.

De Machabaeorum libri primi historia.

§. I. Machabaeorum liber primus jure meritoque appellandus erit, sicuti antea dixi, hebraeorum fastorum continuatio; dum illius auctor fere accedit, jungitque suam historiam Paralipomenon. Hi namque libro I. c. III. in genealogia David, et regum Juda, aevum assequuntur biscentum annorum post Babylonis captivitatem, satius inquam, pertingunt aetatem Alexandri Magni, qui primus memoratur initio hujus historiae.

Divinus autem ejus auctor recta intuitus Danielis vaticiniorum complementum de chaldaeorum et persarum imperii ultimo fato, in principio suae Scripturae contulit Alexandri magni gesta, qui, percusso Dario rege persarum, et medorum, constituit praelia multa, et obtinuit munitiones multas, et interfecit reges terrae, et obtinuit regiones gentium etc. Adeo autem haec veritate pollent, ut non solum Biblia sacra nostra, verum etiam graeci et latini historici, Danielis oraculo testimonium perhibeant, quum suis libris inscripserint Alexandri actus, illius successorum simultates, et praelia, quae in ipsis concitata sunt, usque dum romani his usi opportunitatibus, omnibus Orientis provinciis potiti sunt.

Scriptor itaque divinus, cursim narratis Alexandri Magni rebus, pervenit ad historiam regum Seleucidum; et ex his memorat Antiochum Epiphanem, scilicet illustrem, nuncupatum. Hic, regno Syriae usurpato, et expugnata Aegypto, veniens Hierosolymam, eam depraedatus est; templum, et omnia sacra profanavit, judaeos partim interfecit, partim captivos abduxit. Deinde post duos annos, iterum dolo ingressus Hierusalem, percussit eam plaga magna, et perdidit populum multum ex Israel, et destruxit domos civitatis, et muros ejus in circuitu, mandavitque Sion incolis, ut religionem regis amplecterentur. Quod ut per praefectos factum est, accidit ut judaei, vel vi idola colerent, vel refractarios morte plecterentur. Interea cum haec nefanda Hierosolymis patrarentur, Mathathias cum filiis suis patrio zelo, Dei honorem aemulati, Hierosolymis secedentes, ac judaeorum plures in religione avita perseverantes, conati sunt impios subigere, et sanctuarium Dei, fugatis hostibus, instaurare, et sacra omnia innovare. Successivo vero tempore, ducibus Juda, Jona-

than, et Simone, multa discrimina passi sunt filii Israel ob finitimorum populorum inter se et contra eos simultates; in quibus tamen perpetuo, sicuti et antea, virtus Dei, et benignitas pro populo suo eluxerunt in probrum gentium, quae genus Israel disperdere, et gloriam templi sui extinguere conabantur.

§. II. Hic porro liber sicuti et secundus nuncupantur *Machabaei*, quod vocabulum varie interpretantur philologi. Quidam hebraeorum auctoritati innixi existimant hanc vocem continere initialia verborum hebraeorum: « י. כ. מ. seu מי כמוך באלהים יהוה i. e. quis sicut tu in diis *Jaho* sive Deus » quae vexillis judaeorum contra Syros pugnantium intexta, et in unam vocem מכבי *machabai* contracta fuisse putabantur. Juxta alios a מקבה *macheva malleus*, quasi malleator, derivanda esset, quod cognomen Judae solum, et non aliis fratribus, a sacro auctore, ut quondam Carolo *Martello* a factis haeroicis, inditum fuit. Isidorus vero pelusiota verbum μακκαβαῖος *maccabaeos* cum persico χειρανος *chiranos* contulit, quod in etymologico inedito explicatur δεσπότης *despotis dominus*.

Quis vero hujus libri auctor fuerit, et qua aetate scripserit, latet, et ideo inter se dissident interpretes. Nonnulli conjecere hunc descriptum fuisse a Joanne Hyrcano Simonis filio, qui Israeli praefuit fere ad triginta annos. Alii cuidam e filiis Machabaeorum tribuunt. Probabilius vero est ab Hyrcano, vel melius sub pontificatu illius hanc collatam fuisse Scripturam, ubi nempe Machabaeorum gesta desiere, intra annorum 35. seu juxta alios, 40. spatium patrata. Verum tamen est, expensis iis, quae leguntur in fine ejusdem, auctorem collegisse ex commentariis hebraeorum (non secus ac auctores Proto-Canonici egerunt in Regum et Paralipomenon libris describendis) ea monimenta ad nos usque mandata, quod, ut alibi dixi, parem Proto-Canonicis auctoritatem confert. Versio latina porro hujus libri sicuti et aliorum Bibliorum Deuterorum (praeter Judith et Tobiam) qua nunc Ecclesia catholica utitur, est antiquissima, et *Itala* nuncupata, ante divum Augustinum edita, et a Hieronymo emendata, de qua in secunda Parte, Prop. VI. dictum est.

Quamvis Machabaeorum Scripturae, quibus testimonium perhibent alieni historici, ut alibi dixi, et prout asserit Michaelis in sua Introductione novi Testamenti, historicum monimentum sint, magna cura et sinceritate scriptum, cui potiori jure habenda est fides, quam archeologicis Flavii libris, e quibus eruit ipse

has narrationes, ac pluries quoque eas confudit, sive obscure tradidit; attamen eaedem redarguuntur ab adversariis, quasi inter se antilogiis, aliisque erroribus scatentes. Ad hos autem refellendos, sciendum est antea, sacri scriptoris mentem, in iis potissimum versari enarrandis, quae recte ad rempublicam judaicam spectabant, neque nisi summatim de actis egisse, quae in Syria et Aegypto patrata sunt. Hac de causa, aliisque hujus generis, obscuritates quaedam exortae sunt, ad quas diluendas, collatis simul profanis historicis, accuratius, quoad fieri potest, studium nostrum impendamus.

§. III. Alicujus momenti difficultas exurgit e quadam oppositione historiae sacrae cum profanis scriptoribus circa divisionem imperii ab Alexandro Magno institutam ante illius obitum. Dicit enim Scriptura: « Et post haec decidit in lectum, et cognovit quia moreretur, et vocavit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti a juventute, et divisit illis regnum suum cum adhuc viveret. » Confer par. I. pag. 12. §. IV.

Rationi congrueret quodammodo argumentum adversariorum contra divinam Machabaeorum auctoritatem, si et profani auctores una convenirent de morte Alexandri, et de haerede illius in imperio post obitum suum, ac una Scripturae huic contradicerent. At ne historici quidem ethnici de hac re sibi cohaerent; et idcirco immerito mendacii arguitur auctor Machabaeorum. Ipse insuper, opinarer, (sejuncta aliquantisper divina auctoritate hujus libri, quod non conceditur) eamdem fidem, ac alii, sibi vindicaret, quippe sua sententia menti humanae consonans, inter alias eodem pondere, locum habet. Quinimmo Machabaeorum scriptor, cum antiquitate praestet aliis ethnicis scriptoribus, qui hoc idem tradiderunt, ac insuper sit regionibus et gentibus, ubi haec facta sunt, magis affinis, collatione facta, majori fide reputaretur dignus.

Sed hac quaestione remissa, conferantur potius ethnicorum monimenta, perscrutando, utrum ea menti sacri historici cohaereant. Primum animadvertendum est, quod ait Diodorus libro xx. ex quorumdam traditione, testamentum de distributione imperii confecisse Alexandrum, ac in urbe Rhodi inter ceteras praelatae, relictum fuisse. Chronicon Alexandrinum vero narrat Alexandrum testamento edixisse, ut imperii sui provinciae inter exercitus praefectos dividerentur. Curtius autem libro x. hoc negat: « Credidere quidam, ait, testamento Alexandri distributas esse pro-

vincias, sed famam ejus rei (quamquam ab auctoribus tradita est) vanam fuisse comperimus. » Et jure Curtius videtur negare testamentum Alexandri de distributione imperii antea institutum, cum esset in Graecia; eo namque tempore, nondum Alexander potitus erat persarum et medorum vasto imperio. Voluntatem Alexandri ex initio regni, et expeditionis in terras alienas, sine liberis, verosimillimum foret contulisse cum amicis suis adolescentibus belli, et victoriae consortibus, singulis dividendi imperii sui provincias; non vero actu hanc explevisse voluntatem. Et hac hypothesi, tum sacra, tum profana historia convenirent; aliter, non videtur probandum; nesciebat enim Alexander expeditionis suae exitum.

Reapse si expendantur sententiae Quinti Curtii, aliorum, et maxime Diodori Siculi in fine libri XVII. et initio XVIII. qui veterum scriptorum in hac re traditionem collegit, omnes historicos adamussim reperietur convenire sacris Machabaeorum dictis. Neminem latuerit, puto, inopinam mortem subiisse Alexandrum, sive veneno, sive nimio potu praeventum volueris. Plutarchus ait, illum nimia intemperantia, et prorogata plures in dies crapula, febrim sibi et mortem maturasse. Curtius libro X. de hoc ambigit. Subdit Diodorus eodem dubio. Ego vero, cum omnes scriptores Alexandri, potus intemperantiam arguant, sentirem eumdem ex hoc nimio potu, quasi veneno, maturasse sibi mortem, juxta quod ait Plinius libro XIV. c. 5. de natura vini: « Nec alienum, scribit, fuerit commemorare hoc in loco, quod Androcydes sapientia clarus ad Alexandrum Magnum scripsit intemperantiam ejus cohibens: - Vinum potaturus rex, memento te bibere sanguinem terrae; sicut cicuta homini venenum est, sic cicutae vinum. » Quomodocumque haec accipiantur, inopinatus fuit illius obitus, ut dixi, nondum medio vitae humanae curriculo exacto, absque solii haerede, et vix tam lati imperii rebus firmis, ex quo Lucanus in Pharsalia cecinit:

« . . . . . Nulloque haerede relicto.
Totius fati lacerandas praebuit urbes. »

Dein vero audiatur quidquid scribit Diodorus in citatis libris de illius morte, suique imperii haerede: « Tandem malo subinde magis exasperato, cruciatibus gravissimis correptus spem vitae deponit, ac detractum digito annulum Perdiccae tradit. Ibi cum multis verbis amici percunctarentur, cuinam imperium relinquis? praestantissimo, respondit; et hanc ultimam vocem adjiciens,

quod magnum certamen sibi parentatum fuerit ab omnibus primoribus amicorum. » Sequentis porro libri initio, addit historicus, de vaticiniis ante mortem disserens : « Alexandrum vaticinatum esse in sua morte, dum a familiaribus interrogatur, cui regnum postea relictum erat? optimo, respondit; ingenti enim certamine amicos mihi parentaturos praevideo, » quod verissime factum est. Nam amicorum nobilissimi de principatu disceptantes, multa post Alexandri mortem bella et certamina maxima inter se excitarunt. » Ex his dictis aperte eruitur, primum, nullum imperii haeredem designasse Alexandrum; ea namque Diodori verba: « Anulum digito detractum, et Perdiccae traditum » nullum regni haereditatis indicium exhibent, sed tantummodo, uti ex sequentibus patet, curam, seu regni administrationem explicant illi commissam. Si enim anuli traditione regnum Perdiccae concessisset Alexander, amici ejus non forent eum postea percontati : Cuinam imperium relinquis?

Insuper, ex eo quod deinde praedicit Alexander de simultatibus inter suos primores circa imperium, apertissime nobis, qui, Deo auctore, credimus inter hebraeos antea, et nunc inter christianos tantum prophetiae spiritum, seu rerum futurarum cognitionem, inveniri, nunquam vero inter ethnicos, arguendum est ex illo vaticinio, Alexandrum voluisse non unum, seu Perdiccam, regnum suum continere, quinimmo omnes magnates, qui secum pro gloria sua pugnaverant, regni participes fieri; cujus inde divisio contentiones inter eos maximas concitasset, uti revera factum est. Hoc autem Diodori testimonium, et hujusmodi illius interpretatio videntur sacro Machabaeorum scriptori conformari, qui ait: « Et post haec decidit in lectum, et cognovit quia moreretur. Et vocavit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti a juventute, et divisit illis regnum suum, cum adhuc viveret. » Illud vocabulum *divisit* haud secum confert ante mortem Alexandri revera divisum fuisse regnum, et singulis pueris suis distributas fuisse imperii provincias, sed tantum indicat voluntatem suam, ut dixi, qua postea inter amicos suos primores dividereturregnum. Cum enim antea Alexander de vicino ejus fato minime conscius esset, in tam violento discrimine vitae, et acutissimis doloribus excruciatus, vix fieri potuisset, ut rem tanti momenti, peractuque difficilem, qualis erat regni partitio, instituerat.

Praeterea, dictio graeca διαιρέω *diereo divido*, qua hic utitur

divinus auctor, saepissime adhibetur a Septuaginta, loco vocis hebraicae חלק *chalaq*, et ea, sequente personae nomine, sibi vult in libris Proto-Canonicis non tantum *dividere*, *distribuere in sortem*, vel *haereditatem*, verum etiam simpliciter *donare*, *impertire* aliquid alicui in haereditatem, veluti ab historico diceretur: « Regni sui constituit haeredes primores exercitus sui, » quod post mortem illius expletum est. Ac ita profanis historicis conformatur Machabaeorum Scriptura.

Insuper ait Scriptura: « Et regnavit Alexander annis duodecim et mortuus est. » Et hoc idem statuunt Diodorus aliique, praeter menses nonnullos, quos siluit historicus sacer, numero tantum integro usus. Post haec addit: « Et obtinuerunt pueri ejus regnum, unusquisque in loco suo. » Codex graecus pro *obtinuerunt* legit ἐκράτησαν *praevaluerunt*, seu potiti sunt regno non pacifice, sed contendentes, quod obsequitur dictis Curtii et Diodori narrantium dissidia multa orta inter pueros suos de imperio, quae tandem desiere, divisis omnibus satrapiis inter se per Arridhaeum Philippi filium, et per Perdiccam, cui rex anulum tradens, regni procuratorem designaverat. Et cum inter se primores Alexandri dissidentes de imperio, consilio advocato, ut scribit Diodorus, et concordia sancita de divisione imperii, acceperint singuli principatum in locum suum, inferendum est revera Alexandrum indixisse, dum in vivis erat, imperii partitionem inter amicos, eamque perficiendam post obitum suum; quam voluntatem recte interpretatus est vetustior Machabaeorum auctor.

Praeterea Diodorus, Antigoni et aliorum Macedonis successorum gesta memorans scribit libro XX. n. 53: « Antigonus, ubi de victoria cognovit successus, magnitudine elatus, diadema sibi imposuit, et regis deinde nomen usurpavit, eumdem titulum et honorem etiam Demetrio concedens. Quin et Ptolomaeus de celsitate animi nihil remittens ob acceptam cladem, diademate etiam sibi caput evinxit, et in omnibus exinde litteris regem se ipsum appellavit. Horum exemplo reliqui etiam principes, Seleucus, Lysimachus, et Cassander satrapias sibi traditas retinentes, reges se se proclamarunt. » Quae omnia prorsus Machabaeorum verbis cohaerent: « Et imposuerunt omnes sibi diademata post mortem ejus, et filii eorum post eos annis multis, et multiplicata sunt mala in terra. »

§. IV. Aliud oppositionis argumentum cum historia profana

ostentant adversarii in libro primo Machabaeorum ; (1) et hoc versatur circa romani imperii institutionem , tum cum Judas Machabaeus hebraeorum rempublicam gerebat. Quod autem hanc antilogiae speciem constituit, in his verbis reperitur (2) : « Et committunt uni homini magistratum suum per singulos annos dominari universae terrae suae, et omnes obediunt uni. » His verbis , inquiunt, historici omnes, qui romanorum res pertractarunt, refragantur.

Nos vero de sacra cum historia profana convenientia solliciti, sedulo expendamus divini scriptoris mentem in illis enunciandis verbis. Animadvertendum est primum, Machabaeorum auctorem praenotasse in narratione de ea gente: « Et in omnibus istis nemo portabat diadema, neque induebatur purpura, ut magnificaretur in ea. Et quia curiam fecerunt sibi, et quotidie consulebant trecentos viginti , consilium agentes de multitudine, ut quae digna sunt , gerant. » In hac sententia aperte auctor Machabaeorum cohaeret ethnicorum historiis , qui ajunt romanum imperium aristocraticum, seu melius democraticum fuisse. Quae vero postea sequuntur, ubi dicitur: « Consilium agentes de multitudine, ut quae digna sunt, gerant ; et committunt magistratum suum uni homini per singulos annos etc. » ita expenduntur. Si Dictatorem in illis interpretatus fueris, non congruit; quippe qui extra ordinem et in rebus difficilibus tantum designatus ; si autem consulem in eo magistratu accipias, ad mentem divini scriptoris accesseris. De consulibus enim eorumque munere disserit saepe Livius, et praesertim in libri II. initio : « Sublata monarchia, scribit, libertatis autem originem inde magis, quia annuum imperium consulare factum est, quam quod diminutum quidquam sit ex regia potestate, numeres. Omnia jura , omnia insigna primi consules tenuere. Id modo cautum est, ne si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur. Brutus prior, concedente collega , fasces habuit. »

De horum consulum imperio loqui sacram Scripturam, si accurate verba fuerint animadversa, facile eruitur; et maxime de eo, qui singulis annis dux militum renunciabatur a senatu, dum alii mandabantur jura civitatis. Ita enim se habent graecanica verba illius pericopae : « Καὶ βουλιυτήριον ἐποίησαν ἑαυτοῖς, καὶ καθ' ἡμέραν ἐβουλεύοντο τριακόσιοι , καὶ εἴκοσι βουλευόμενοι διαπαντὸς περὶ

(1) Vid. part. I. p. 12. — (2) 1. Mac. c. VIII. 16.

τοῦ πλήθους, τοῦ εὐκοσμεῖν αὐτοὺς· καὶ πιστεύουσιν ἑνὶ ἀνδρὶ τὴν ἀρχὴν αὐτῶν κατ' ἐνιαυτὸν, καὶ κυριεύειν πάσης τῆς γῆς αὐτῶν, καὶ πάντες ἀκούουσι τοῦ ἑνός i. e. Et senatum, sive curiam fecerunt sibi, et quotidie consulebant tercentos et viginti, consilium continuo agentes de multitudine, seu potius de exercitu, ut eos componant vel in ordinem redigant; et committunt uni viro magistratum eorum per singulos annos, et dominari, vel dominium universae terrae eorum, et omnes obediunt uni. » Vocem graecam πλήθος, *plithos* (1) quae communiter *copiam*, *abundantiam* innuit, divinus auctor pluries sumit in hoc libro ad indicandum militum copiam, sive exercitum, uti etiam alibi ab interpretibus alexandrinis sumpta fuit, et sub hoc significatu Xenophontes quoque *plithos* inserit suis scriptis, quam latini auctores imitati sunt, eam transferendo in *militum copiam*. Ex hujus autem vocis interpretatione magis historici mens aperitur innuentis, senatum romanum, militum magistratum committere uni, vel cuidam ex senatoribus ad annum; eique inesse absolutam potestatem super omnes milites. Perbelle Machabaeorum verba firmat, et explicat Polybius in libro VI. Historiarum, de romana disserens republica, cujus testimonium majoris momenti habetur, cum et ipse Machabaeorum aetate scriberet, et esset oculatus rerum romanarum testis. Ita enim scribit: « Insuper belli adornandi, gerendi, et omnia, quae ad expeditionem pertinent administrandi potestatem propemodum absolutam consules habent. Nam et auxiliaribus sociorum copiis imperare quod visum fuerit, et tribunos militum constituere, et conscribere exercitum, et dilectus agere, consulibus licet. » Deinde Polybius paulo post narrat, quomodo singulis annis ex duobus consulibus unus (2) renunciaretur dux, *imperator* nuncupatus: « Consul, postquam imperium nactus, de quo diximus, in expeditionem fuerit profectus, videtur ille quidem αὐτοκράτωρ *autocrator*, sive absoluta potestate esse, conficiendi nempe belli demandati; ceterum et populi et senatus

(1) Consulas 1. Mac. cap. III. 17. 19. 20. juxta graecam editionem, ibique clarissime *plithos* sibi vult *exercitum*, et alibi eodem in libro item firmatur; quae vox omnem praeripit difficultatem. — (2) Vocabulum *unus*, quo utitur hoc in loco historicus sacer non absolute sumitur, sed distributive, et id phrasi hebraeorum communissimum est, uti ex. gr. e Genesi « sub una arborum; unus fratrum suorum » ex hebraeo אֶחָד *hechad*, quod *unum et aliquem* indicat, veluti diceret Machabaeorum auctor: « Et committunt magistratum suum uni, seu cuidam e consulibus suis. »

ope illi est usus. . . . . Nam ubi circumegerit se annus, demandandi provinciam alteri, aut prorogandi imperii potestatem patres habent. » Haec ultima verba aptissima fiunt sacris dictis: « Et committunt uni homini, idest cuidam ex illis, magistratum suum per singulos annos. » Insuper et eadem Scriptura paulo ante hoc probat, (1) ubi dicitur: « Et quia, qui erant apud Helladam, voluerunt ire, et tollere eos, et innotuit sermo his (idest romanis), et miserunt ad eos ducem unum. » Et is fuit Fulvius Nobilior consul, cui eo anno creditum erat imperium multitudinis, sive exercitus, a senatoribus.

§. V. Cum auctor libri primi Machabaeorum ex ore Judae romanorum extollat latum imperium et virtutem, et brevi sermone enarret eorum expeditiones in Galatiam, sive Gallias, (2) in Hispanias, in Graeciam, et Macedoniam, ac triumphos simul super quotquot occurrerunt eis e finibus terrae, in iis speciatim nuncupat Antiochum Magnum totius Asiae regem, qui contra romanas phalanges irruit: « habens centum viginti elephantos, et equitatum, et currus, et exercitum magnum valde, contritum ab his. Et quia ceperunt eum vivum, et statuerunt ei, ut daret ipse, et qui regnarent post eum, tributum magnum, et daret obsides, et constitutum, et regionem indorum, et medos, et lydos; de optimis regionibus eorum, et acceptas has ab eis dederunt Eumeni regi. » Hujus pericopis verba *et regionem indorum*, *et medos et lydos* valde interpretum mentem defatigarunt, cum et ipsos non lateret, Judae Machabaei aetatem romanos nondum indis et medis arma intulisse, neque unquam ad indos usque, eos pervenisse. Ideoque Grotius, et Drusius loco *indorum*, *et medorum* existimarunt legendum esse *joniorum*, et *myzorum*. At hoc arduum probatu est; codices enim graeci, in quibus londinensis, aliique vetustiores, editio complutensis, ac vaticani codices, et latinae antiquae versiones collatae, illam proferunt lectionem, quam hodie exhibet Vulgata editio.

(1) 1. Mac. c VIII. 9. — (2) Dio Cassius libro XL et alibi Galliam et Gallos vocat γαλάτιαν *Galatiam* et γάλατας *galatas*, quemadmodum eos vocat Machabaeorum auctor. Neque ulla ratione ibi vox *Galatia* sumi potest pro Galatia provincia Asiae Minoris. Aliter, vana ea haberetur historiae repetitio. Haec enim Asiae regio partem tunc temporis constituebat imperii Antiochi Magni, de quo paulo post sacer historicus mentionem agit, cum in romanos irruperit.

Menochius porro, Serarius, aliique integritatem sacri textus venerati asserunt, quamvis indi nunquam romanis paruerint, illud tamen veritati narrationis sufficere, si id fama ad Judam detulerit. Haec vero interpretatio nescio, quantum menti congruat divino lumine illustratae. Nonnulli Indiae nomen, ut vocabulum incertum fecerunt, indosque appellarunt non solum eos, qui ad Gangen et Indum flumina degebant, verum etiam aethiopes ad oras orientales et occidentales Erithraei sitos ex eo, quod ii ex indis oriri crederentur. Sed hi quodammodo incidunt in Scillam cupientes evitare Charybdim. Illi namque aethiopes tunc temporis nequaquam romanis servierunt, nisi Caesare Augusto imperante. Alii denique Joniae et Cariae populos appellari posse indos autumant, et ex his Arduinus, et Froelichius, quorum conferantur opiniones et parvi momenti testimonium. Sed, ut dixi, cum omnium codicum sinceritatem, et convenientiam in illis verbis miremur, fatendum erit divinum scriptorem ibidem reapse eas gentes Mediam et Indiam incolentes, et ultra Assyriae fines sitas, indicare voluisse. Verum adjicietur, puto, quomodo probabitur medos et indos subditos fuisse romanis, victo Antiocho Magno?

Quemvis haud latuerit, existimo, Magnum Alexandrum, cum in Asiam irrupisset, Syriae, Babylonis, Mediae, Persidis ac Indiae quoque regionum potitum esse, ac deinde per praefectos suos earum tenuisse imperium. Curtius prae aliis libro VIII. hoc astruit dicens: « Alexandro fines Indiae ingresso, gentium suarum reguli occurrerunt imperata facturi. Quotquot vero ei pacifice non occurrerunt indi, Perdiccam, et Hephestionem praemisit ad eos subigendos, » donec Poro aliisque regibus superatis, Babylonem secessit. Non fugerit pariter, Alexandrum illuc reversum, ultimum fatum subeuntem, amicis suis, et belli sociis imperium suum tradidisse dividendum, uti nuper expendi. In regni autem provinciarum divisione, sicuti tradit Diodorus Siculus libro XVIII, « Antipater Indiam Paropamisadis conterminam, Pythoni Agenoris dedit. E regnis, quae deinde sequuntur, id, quod Indum flumen attingit, Poro, quod vero juxta Hydaspen est, Taxili reliquit. Hi enim reges loco moveri non poterant absque copiis regiis, et imperio illustri. » Et ex hoc interea arguas graecorum in Asia regnum, indos tunc temporis non solum foederatos, verum subditos quoque habuisse. Cum vero, volventibus annis, Alexandri successores valde inter se dissedissent,

factum est, ut Asiae imperium solus teneret Antiochus Magnus, cum nempe Graeciae asianae et europeae potitus esset, et ultimos Asiae orientalis fines invasisset; ac ita omnes assyrii, medi, persae, et indi illius cesserunt viribus. Huic rei satis testimonii confert Polybius, Antiochi hujus expeditiones censens Orientem versus, in fine libri XI. Historiarum: « Superato Caucaso (Antiochus) in indicam regionem profectus, amicitiam cum Sophageseno indorum rege innovavit, ibique quoque elephantos alios accepit, ut jam centum et quinquaginta bestias haberet. Deinde exercitui frumentum denuo mensus copias coepit reducere, Androsthene cyziceno relicto ad devehendas gazas sibi a rege promissas. Arachosiam inde ventum, unde trajecto amni Erymantho, itinere per Drangianam habito, in Carmaniam venit. In ea provincia rex, quia hiems jam appetebat, in hibernis copias collocavit. Ita exiit suscepta ab Antiocho in superiores provincias expeditio, cujus ille hunc fructum tulit, ut non solum illarum regionum superiorum satrapas imperio suo adjiceret; verum etiam urbes maritimas, et omnes cis Taurum dynastas sibi subjiceret; postremo, ut percussis audacia, et navitate sua universis subditis, regnum non mediocriter stabiliret. Effecit namque Antiochus expeditione illa, ut non solum ab Asiae, verum etiam Europae populis imperio dignus vulgo censeretur. » His addas; cum Antiochus hujusmodi opibus, et viribus cogitaverit in romanorum copias irrumpere, ex omnibus undequaque provinciis sibi selegit viros propugnando pares; et hoc testatur Livius libro VII. Decadis Quartae, describens pedestrium Antiochi Magni copiam, et equitatum. In iis censet Livius elephantos indicos, et populos syros, elymeos cyrtaeos, medos: « Qui, ait, erant lecti viri, et ejusdem regionis misti multarum gentium equites; continens his grex sexdecim elephantorum est oppositus in subsidiis. (1) »

His itaque, et aeque notatis de lato Antiochi Magni imperio ad medos usque et indos, ac una de hujus expeditione in romanos, ex provinciis sibi obnoxiis sumptis militibus inter quos medi, et indi censebantur, rationi consonum est, victo a ro-

(1) Haec porro jumenta, quae Antiochus in exercitum suum comparavit, quorum numerus non traditur certus ab ethnicis scriptoribus, et inter se variant, sicuti etiam a sacra Scriptura, (si secluseris elephantes africanos alia forma, et magnitudine) in India nascuntur, ab indis tantum domantur, et bello eorum opera et ductu assuescunt, quod opinionem firmat indos fuisse in exercitu Antiochi numeratos.

inter romanos et Antiochum sancitis de hujus regno, minime mentitus est sacer historicus dicens, capto Antiocho, universum illius regnum tributarium evasisse romanis. Nunquid, acceptis ab Antiocho conditionibus, necesse erat, ut milites romani ultra Syriae ac Mediae fines, et usque in Indiam irrupissent ad illas expugnandas gentes? Minime inquam. Omnes enim Asiae populi non solum metu, sed sponte etiam, et alacriter, et aemulatione ad invicem, se se romanis dediderunt, undique convenientes per legatos suos, ut in eorum fidem reciperentur, opinati ob illorum magnificentiam, pietatem, et regiminis firmitatem, tutamen sibi comparandum sub eorumdem signis. Ita tradit citatus Polybius Legatione XXV. « Appetente jam aestate post victum a Romanis Antiochum, rex Eumenes, et Antiochi legati, ac rhodiorum, aliarumque item gentium, Romam venerunt. Omnes enim propemodum, qui Asiam colunt, populi, statim a victoria, suos Romam legatos misere, cum omnes spes suas in posterum universi in Senatu Romano haberent sitas. » Et omnia ad amussim divinae Scripturae, quae ibi dicit (1) : « Cum amicis autem suis, et qui in eis requiem habebant, conservaverunt amicitiam. »

Adeo insuper praedicta Machabaeorum verba circa obsides et tributum ab Antiocho Magno, suisque successoribus solvendum romanis, rata habentur, ut in eadem historia sacra hoc censeatur expletum. In capite I. (2) de Antiocho Epiphane dicitur : « Antiochus Illustris filius Antiochi regis, qui fuerat Romae obses etc. » Is nempe erat, quem foederis conditiones inter romanos et Antiochum Magnum, expostularunt, et ipse Antiochus praestiterat. In capite VIII. libri II. habetur : « Constituit autem Nicanor ut regi tributum, quod romanis erat dandum, duo millia talentorum de captivitate judaeorum suppleret. » His adjicias medos et persas, quos Antiocho Magno subditos restituit Senatus, ut dixi, adhuc Machabaeorum aetate, Antiochi successoribus persolvisse tributum, cujus pars romanis assignanda erat: (3) « Et consternatus erat (Antiochus Epiphanes) animo valde, et cogitavit ire in Persidem, et accipere tributa regionum, et congregare argentum multum. » Quod reapse innuit Persidem vectigalem fuisse Epiphani ex Antiochi Magni aevo, donec seditionibus ortis inter successores Antiochi Illustris, et foedere, quod cum Se-

(1) 1. Mac. c. VIII. 12. — (2) 1. Mac. c. I. 11. — (3) 1. Mac. III. 31.

natu Romano sancitum erat, corrupto, consules hujus, copiis magnis in Syriam irrumpentes, eam ditioni suae adjecerunt.

Tandem, quod paulo post dicitur in eodem capite de foedere judaeorum cum romanis, ut sese eriperent e jugo graecorum, Justinus in libro XXXIV. Historiarum testatur his verbis: « Postea judaei cum ipsis persis in ditionem Alexandri Magni venere, diuque in potestate macedonici imperii subjecti Syriae regno fuere. A Demetrio cum descivissent, amicitia romanorum petita, primi omnium ex orientalibus libertatem receperunt, facile tunc romanis de alieno largientibus. » Plura in citato historico, valde utilia ad libros Machabaeorum enucleandos, lectori commendantur.

PROPOSITIO IX.

De libro secundo Machabaeorum.

§. I. Scriptura Machabaeorum in libro II. nihil aliud continet, nisi narrationes quasdam, quae leguntur in libro primo, sed longiori et vario sermone descriptas. Et hic liber nobis exhibetur sub epistolae specie, quam hebraei palaestini ad fratres suos israelitas aegyptiae regionis incolas, miserunt; eos hortati ut dies festos agerent purificationis templi, Scenopegiae, et ignis, qui datus fuit, quando Nehemias, e captivitate redux, inventa aqua crassa in loco, ubi coelatus erat ignis sacer, jussit ea aspergi sacrificia, quae statim incensa sunt. His praenotatis, divinus auctor narraturus pergit causas horum dierum solemnium; et potissimum versatur in describendis accurate gestis Antiochi Epiphanis, sive Nobilis, suique filii Eupatoris. Etsi plura his similia censeantur in libro primo, varius tamen auctor, diversa aetas, et alius prorsus scopus decernuntur in hoc secundo. Auctor enim libri I. simplicem rerum narrationem, quae sub Mathathia et filiis ejus acciderant, pertractat, eisque nectit regum aegyptiorum acta, et maxime syrorum, quorum vices tot reipublicae hebraicae calamitates contulerant. Et his enarrandis, ceterorum Bibliorum Proto-Canonicorum simplicitati se se accommodat, et speciatim librorum Regum. Hujus vero libri II. auctor non solum simplicem narrationem, verum etiam historiam sana philosophia confertam profert. In ea namque virtus et vitium hujusmodi mentis sollertia describuntur, ut lector discat, et in vitae rectitudine proficiat, omnesque actus suos moderetur juxta Dei voluntatem. Omnem ex adverso impietatem ita objicit, ut ejus abominationem et contemptum excitet in corde fratrum suorum. Et hoc potissimum intuitus est divinus auctor, ad hebraeos aegyptios scribens. Et cum ita fratres suos hortetur ad hos dies festos celebrandos, una illos monet, ut sese immunes gerant ab ethnicis institutionibus, patrum suorum revocantes exempla, quibus ipsi instantes sacris Moysis legibus, Deo placuerunt, et mirabilia ejus experti sunt.

Patens utique et opportunum caritatis exemplum eruitur in his litteris ad hebraeos aegyptios. Animadvertens namque pius

scriptor praevaricationis discrimina multa fratrum suorum in terra aliena, patriamque religionem aemulatus, hoc sanctae doctrinae monimentum per epistolam eis commisit; et ita scribit: « Fratribus qui sunt per Aegyptum, judaeis, salutem dicunt fratres, qui sunt in Hierosolymis, judaei et qui in regione Judaeae, et pacem bonam. Benefaciat vobis Deus, et meminerit testamenti sui, quod locutus est ad Abraham, et Isaac et Jacob servorum suorum fidelium; et det vobis cor omnibus, ut colatis eum, et faciatis ejus voluntatem corde magno, et animo volenti etc. »

§. II. Hunc librum vero nuncupavi epistolam; et quidem jure hoc titulo ipse ditandus est. Accurate enim inspecta auctoris sacri in hac Scriptura mente, de instituendis nempe solemniis inter hebraeos aegyptios ob tanta beneficia Israeli a Deo cumulata, et de patriae religionis decore, uti pluries id tetigeris totum hoc percurrens scriptum, et maxime hujus exordium et epilogum, satis patet. Revera in epistolae initio, quod duo priora capita comprehendit, hebraeus Hierosolymita gentis suae nomine, bona precatus fratribus suis, dicit eos anno centesimo et sexagesimo nono, sub Demetrio rege ereptos fuisse magnis angustiis; ac ibi innuit, ad fratres aegyptios haec eadem antea scripsisse. Deinde aliam epistolam censet, ad eos scriptam de Antiochi eruptione in Judaeam, et ejus in Perside gestis et ruina. Ac ideo rogat, ut praeter Scenopegiam etiam purificationis templi festum agant, quod post Antiochi casum institutum est, sicuti et de festo ignis eos monet. Advertas tamen auctorem sacrum hoc in scripto summatim mentionem facere de binis epistolis, quae antea ad aegyptios mandatae erant; et in his praesentibus litteris easdem illis memorat, earumque sensum tantum confert. Et narratis deinde, quae in commentariis ejusdem Nehemiae censita erant de igne et tabernaculo, et arca et aliis scriptis, ait pariter Hierosolymis manere libros gestorum Judae Machabaei; e quibus ille ipse collegit hanc epitomen, quam sub epistolae titulo ad ipsos misit, in ea significans, cur dies purificationis templi, et diem mortis Nicanoris solemnes ducerent; cum fortasse in praemissis epistolis, horum dierum solemnium causae, et Epiphanis et Eupatoris filii sui historia universim haud forent descripta. Apertius codex graecus hoc adstruit docens, omnia Judae Machabaei gesta, victorias Israel, templi et divinae legis instaurationem, ab Jasone Cyrenaeo quinque libris comprehensa, in unum volu-

men collata fuisse, quod vere constituit totam illam epistolam, cujus priora verba supra recitata, satis aperta fiunt. (1)

His adde, nomina peculiaria huic epistolae in primo et secundo aliisque capitibus pariter inveniri. Vocabulum *nos* a principio ad finem, illam pervadit, ac una sermo paraeneticus, quo utitur auctor in iis litteris, eidem singularis, et eadem phrasis emphatica ubique harum litterarum nota, innuunt unum et eumdem esse auctorem. Ubicumque tandem ille idem Spiritus veritatis coelestis fulget, qui paulo post coruscante in mundo Christi Evangelio, incendit Apostolos; iique tali muniti praesidio; fideles omnes in orbem terrarum dispersos sive per sermonem sive per epistolam, uti iste hebraeus hierosolymita, nunquam hortari destitere.

Latet quidem tempus, quo hae litterae traditae fuere, sicuti et earum auctor; attamen asseri potest, censito eo anno octagesimo octavo, quo jam binae aliae epistolae mandatae erant, nostras has praesentes litteras sexaginta vel septuaginta annos ante Christi adventum fuisse exaratas. In his porro litteris adeo aemulationis mosaicae legis, et sinceritatis scriptoris, quisquis ille fuerit, eruitur, ut jure arguatur eumdem scriptorem non solum omnis doli speciem abhorruisse in his, verum etiam aetatem praecessisse christiani nominis; quod divinae auctoritatis epistolae argumentum auget. (2)

§. III. Etsi vero haec ita se habeant, adversarii tamen plura contra librum commenti sunt ad illius divinitatem denegandam, quorum argumenta parvi a nobis fient, cum singillatim res pertractatae fuerint. Potissima autem difficultas nobis opposita, (3) in qua dissolvenda admodum elaborarunt interpretes, vertitur de morte Antiochi Epiphanis in templo Naneae persepolitae, cujus historia in hoc capite primo, refragatur verbis capitis IX. ejusdem

(1) Vox *itemque* cap. II. 24. lecta in Vulgata abest a graecis codicibus. — (2) Judas ille, qui memoratur in titulo epistolae cap.I.10. alius est a Juda Machabaeo. Machabaeus enim obiit anno graecorum 152., et epistola, ubi ejus nomen inscribitur, exarata est anno 188. Hic fortassis filius fuit Joannis Hircani, qui in memoriam Judae Machabaei propatrui sui appellatus fuerit Judas, sicuti et filius Simonis Magni ibidem Juda dictus fuit; nisi probabilius ibi legendum sit juxta Syrum Interpretem, qui ita transtulit epistolae titulum: « Anno 188. populus, qui est Hierosolymis in Judaea, et senatus Juda etc. » — (3) 2. Mac. c. I. 12. Et consule par. I. p. 10. §. II.

libri, ac una narratis in primo de eodem Antiocho c. VI., ubi dicitur ipse mortuus in montibus Ecbatanorum.

Animadvertendum primum existimo, nonnullos interpretes hujus antilogiae specie pressos, variis modis ea verba exposuisse. Quidam veteres senserunt in eo loco, non agere Scripturam de Antiocho Epiphane, sed de alio rege, qui fatum ultimum subiit in templo Naneae. Sed hoc omnino adversatur menti ejusdem scriptoris, qui fratres aegyptios hortatus, ut festum celebrent purificationis templi post ejusdem recuperationem institutum, memorat hujus regis fatum, cujus causa apud eos illa solemnia essent peragenda, sicuti innuunt quae sequuntur: « Facturi igitur etc. » Alii vero recentiores his in verbis, historici fidem mirati sunt, qui hanc excerpens notitiam ab alia epistola, in suam retulit quidquid in praecedenti traditum erat, quamvis erroneum, et nihil sollicitus de hujus facti genuitate, ac minime alterius scriptoris hebraei inscitiam arguens, qui mendacium ad judaeos aegyptios inscripsit suis litteris; atque ita divinum hujus libri auctorem ab errore excusant. Ex his est Ackermann, qui in hunc locum scribit: (1) « Verum relatio mortis Antiochi, 2. Machab. c. I. 13. 17. est in epistola hebraeorum Judaeae, et non in ipso libro auctoris. Judaei isti de morte Antiochi non bene instructi fuerant. Inde praejudicium contra inspirationem, et fidem auctoris libri nullo modo nascitur; immo probatur ejus fides, qui in epistola, in qua haec occurrunt, quid immutare religioni sibi duxit, et sicut invenit, libro suo praemisit. » Hujusmodi interpretatio etsi congrua videatur solummodo inspecta historici sinceritate; attamen ne incusetur divinus auctor, qui hanc falsitatem silentio transegit, nil animadvertens, hanc pericopen accuratius expendamus; ac veriti, ne juxta citatam explanationem aliquopiam imminuatur divina hujus libri auctoritas, ut aliquando vir clarissimus bon. me. Joannes Allemand (2) mihi significavit. Et ideo secedens ab his, aliam exquiram expositionem magis consonam, ostendens in ea pericope, divinum historicum non de Antiochi, sed sui ducis morte eloqui; ac ita evanuerit biblica oppositio. In hac autem disquisitione Episcopi hipponensis monitis usus, qui in libris de Doctrina Christiana scribit, ad obscuriora loca Scripturarum dissolvenda, necesse haberi linguarum peritiam, et codicum variorum collationem, graecum antea hujus

(1) Introd. in libros sacros p. 374. — (2) In Seminario Rom. Script. Profes.

Scripturae textum proferam: « Ἐκ μεγάλων κινδύνων ὑπὸ τοῦ Θεοῦ σεσωσμένοι, μεγάλως εὐχαριστοῦμεν αὐτῷ, ὡς ἂν πρὸς βασιλέα παρατασσόμενοι. Αὐτὸς γὰρ ἐξέβρασε τοὺς παρατασσομένους ἐν τῇ ἁγίᾳ πόλει. Εἰς γὰρ περσίδα γενόμενος ὁ ἡγημὼν, καὶ ἡ περὶ αὐτὸν ἀνυπόστατος δοκοῦσα εἶναι δύναμις, κατεκόπησαν ἐν τῷ τῆς Ναναίας ἱερῷ, παραλογισμῷ χρησαμένων τῶν περὶ τὴν Ναναίαν ἱερέων. Ὡς γὰρ συνοικήσων αὐτῇ παρεγένετο εἰς τὸν τόπον ὅ, τε Ἀντίοχος, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ φίλοι, χάριν τοῦ λαβεῖν τὰ χρήματα εἰς φερνῆς λόγον. Καὶ προθέντων αὐτὰ τῶν ἱερέων τῆς Ναναίας, κἀκοίνου προσελθόντος μετ' ὀλίγον εἰς τὸν περίβολον τοῦ τεμένους, συγκλείσαντες τὸ ἱερὸν, ὡς εἰσῆλθεν Ἀντίοχος, ἀνοίξαντες τὴν τοῦ φατνώματος κρυπτὴν θύραν, βάλλοντες πέτρους συνεκεραύνωσαν τὸν ἡγεμόνα, καὶ μέλη ποιήσαντες, καὶ τὰς κεφαλὰς ἀφελόντες τοῖς ἔξω παρέῤῥιψαν. i. e. E magnis periculis a Deo liberati (scribunt judaei hierosolymitae aegyptiis) gratias plurimas agimus ei, utpote qui contra regem dimicantes. Ipse enim (idest Deus) ebullire (1) fecit, idest eduxit, sive incitavit (Persidem versus) illos, qui instructi erant contra civitatem sanctam. Cum enim in Persidem esset, seu venisset dux, et cum eo exercitus, qui videbatur intollerabilis esse, trucidati sunt in templo Naneae, dolo usis circa Naneam sacerdotibus. Ut enim (nunc explicat casum historicus) ut enim habitaturus cum ea advenit ad locum Antiochus, et cum eo amici, gratia opes accipiendi dotis nomine, et cum eas proposuissent sacerdotes Naneae; et cum ille (Antiochus) post paullulum processisset in ambitum, seu vestibulum templi, sacris aedibus clausis, ut ingressus est Antiochus (in vestibulum) cum aperuissent laquearis occultam portam, jacientes lapides fulminarunt ducem, et membris sectis, et capitibus, seu extremitatibus amputatis, illis, qui foris erant, projecerunt. »

Haec genuina interpretatio graecorum verborum. Scias autem, in nonnullis codicibus graecis et latinis bis legi *in Persidem*, in aliis vero semel tantum. His adde; in manuscripto graeco laurentiano seculo x., et in duobus aliis vaticanis n. 1. et n. 331. loco μετ ὀλίγων *cum paucis*, legitur μετ ὀλίγον *post paullulum*, quam lectionem duxi amplectendam. Insuper vocabulum κατεκόπησαν *trucidati sunt*, vetus interpres Vulgatus transfert in *cecidit*, numero singulari, illudque aptat solum duci, qui in aedibus, sive sacrario divae lapidibus obrutus est a sacerdotibus. Hellanici porro codices, quotquot inspexi, tradunt plurali numero, idque referunt ad citatum ducem, et ad milites suos,

(1) Idem vocabulum ἐξέβρασε *incitavit* legitur in libro Sapientiae c. X. 19.

qui intus ejusdem Nanèae templum dispersi interfecti sunt partim a persepolitis, ac partim una cum Antiocho ab iis profligati, uti testatur alibi eadem sacra historia. Sed valde notandum in hac pericope, pronomen *ipse* (in illis verbis « Cum esset dux *ipse* ») graecorum codicum et praesertim vaticani, et londinensis, et editionis complutensis, nullibi inscriptum esse. Et ideo omni jure auferendum e codice sacro, quippe quod maximum obscuritatis contulerit huic historiae.

His animadversis de lectionis integritate hujus pericopae, sensus expendatur genuinus verborum et rerum, quae ibi describuntur. Mentiri utique non possumus hanc narrationem breviori sermone censitam, magna, ut accidit, involvi caligine. Verumtamen, si accurate omnes et singulas circumstantias hujus facti expendamus, tenebrae vel levi labore dirimuntur, uti ex praenotatis aliquantum percipitur. Sedulo, praeterea, disquirendis citatis verbis, etiam magis aperietur eorum sensus. Summatim ibi narrat historicus Antiochi expeditionem in Persidem, Deo ita annuente in populi sui salutem. Et cum illuc pervenissent Antiochus et exercitus, casum repentinum ducis sui, et militum, qui cum eo erant, describit, eo quod ausi fuerint in aedes divae sacras ingredi, et opes illi dicatas surripere. Id intuitus in fugam se vertit Antiochus, et in montibus Ecbatanorum miserrimam subiit mortem; quam postremam circumstantiam Antiochi, silet historicus in hoc loco, indicans tantum initium Antiochi calamitatis. Alibi vero, capite IX. ejusdem libri, describuntur civitatis tumultus ob violatam religionem, contra Antiochum et exercitum illius, eorumque fuga et regis obitus.

Quae autem pro nostro argumento faciunt in ea pericope, de morte nempe ducis tantum in templo Naneae, et cum e contra affatim ipsi Antiocho repugnent, plura sunt. Ibidem enim duo memorantur viri, unus dicitur βασιλέος *basileos rex*, alter ἡγουμένος *igumenos dux*. Et ille, qui nomen regis praefert, dicitur quoque Antiochus. Hi porro viri secernuntur ad invicem et persona et munere. Qui enim dicitur *igumenos dux* ille erat, qui exercitum ducebat; alius autem vocabatur rex, titulus omnino varius, et praestans ducis nomini. Vulgatus interpres videtur sumpsisse vocabula *ducem* et *regem* ibi nuncupatos, quasi unus et idem esset vir; et ob hoc de suo addidit pronomen *ipse*, quod tamen minime agendum erat, cum reapse dux alius esset a rege. Huic rei opponendum esset, nomen *igumenos dux* sumpsisse An-

tiochum regem; sed hoc abhorret omnino a dictione sacri auctoris, qui in toto hoc libro sicuti in primo nunquam eo vocabulo, viros dynastas, et regia dignitate insignitos appellavit *igumenus*, seu duces. Saepe occurrit in citatis libris haec vox *igumenos dux*. Conferas in hoc libro cap. x. 21. et cap. xii. 19. ac in alio primo cap. xiii. 8. alibique, et compereris dictionem hanc *igumenos dux* hebraeorum ac gentium ducibus, nunquam vero Antiocho regi ejusque successoribus, fuisse accommodatam. Si una et eadem persona Antiochus et dux forent, hoc secundo nomine *dux* illum haud vocasset historicus sed potius *rex* dixisset; et non solum in iis verbis *cum esset dux* ita scripsisset; at multo minus in aliis sequentibus, ubi legitur: « Cum intrasset Antiochus, apertoque occulto aditu templi, mittentes lapides percusserunt ducem, » sed dictum esset « percusserunt regem. » Quod cum ita non inscriptum fuerit, arguendum est ducem illum, qui ibi citatur, alterum esse a rege Antiocho.

Praeterea quisvis legerit haec eadem: « Cum intrasset Antiochus, apertoque occulto aditu templi, mittentes lapides percusserunt ducem » quomodo probarit unum tantum virum, et non binos ibi appellari? Quomodo se aliter continebit illa elocutio: « Ingresso Antiocho, sacerdotes fulminarunt ducem? » Neque hebraice neque graece nec latine redolet hujusmodi phrasis. Si unus et idem fuisset Antiochus et dux ibi memoratus, divinus historicus dixisset: « Ingresso Antiocho, sacerdotes fulminarunt, sive percusserunt eum, » ac ita postulat commune loquendi genus et hebraeorum et graecorum, et speciatim in sermone historico.

Sed potissimum argumentum, quo probatur Antiochum nequaquam fuisse lapidibus percussum et interfectum in templo Naneae persepolitae, ex ea historia, iisdemque circumstantiis hauritur. Duo enim notantur loca templi sacri, quo ingressi sunt Antiochus, dux, et milites ejus. Primum nuncupatur ἱερὸν *ieron* templum, seu sacrae numinis aedes, locus, quo convenit Antiochus idem ad cohabitandum Naneae, et ubi paratae erant opes eidem Antiocho dotis nomine tradendae. Alter vero locus in codicibus graecis dicitur περίβολος τοῦ τεμένους *peribolos tu temenus* i. e. Ambitus seu vestibulum luci, seu templi (1). Hic porro

(1) Τέμενος *temenos lucus* vel *nemus* inscribebatur fanum Dianae. Latini aricinae Dianae templum proprie vocarunt *nemus*. Cum enim saltibus praesset Diana, aedes illi sacras nemoribus ornabant, ut ait Ovidius: « Templum nemorense Dianae. » Et Vitruvius scripsit: « Item argutius nemori

locus *peribolos vestibulum*, alius omnino erat ab *ieron templum*, ut nomen ipsum, sive graecum sive latinum acceperis, satis explicat. Vestibulum enim veteres nuncuparunt urbium maenia quippe civitatem omnem circumibant; saepius vero a sacris et ethnicis scriptoribus innuitur illud spatium, quod intercedit inter sacrum, et profanum locum. Instruebatur columnis circumquaque, neque muro, neque foribus septum adeo, ut quisquis eo incederet, veniendi atque exeundi quaquaversus fas esset; quod contra fiebat cuicumque ingresso in *ieron* templum, muro, tecto et januis consitum. Synesius epist. 72. discernit *ieron* sacrum a *peribolo* vestibulo, quod veluti claustrum erat divi, vel divae introeuntibus fanum. Maundrellius suo Hierusalem itinere, templum vetustum diis dicatum Heliopoli, quae nunc vocatur Balbeck, describit. In ipsa surgit *ieron* templum clausum, atque tectum, et circumquaque vestibulum apertum, columnis tantum ornatum.

His notatis de templi structura, eruitur e verbis sacris, Antiochum ingressum fuisse in *ieron*, seu aedes sacras Naneae, ubi regi eidem accumbendum esset, et ubi amicis (in quibus dux) accipiendae essent pecuniae. Interea autem, ut ait Scriptura, Antiochus post paullulum progressus e templo, ingreditur in *peribolon* vestibulum; quo facto, Sacerdotes Naneae, clauso ostio templi, jaculati sunt ducem, et amicos ejus. Si Antiochus, ut legitur ibi, exiens e templo vestibulum ingressus erat, quomodo sacerdotes ex occulto ostio laquearis, jaculati essent Antiochum, qui extra templum erat in vestibulo, ubi nullae erant fores, omniaque aperta, atque evadendi quaquaversus dabatur copia? Sermo ergo divini historici non Antiochum respicit, sed illius ducem et milites ejus, qui ingressi Naneae fanum, et sacras divae opes ausi diripere, a sacerdotibus lapidibus obruti fuere, foribus templi clausis. Ac ita omnis evanescit antilogia. Hugo de S. Caro cardinalis, divus Thomas, ac nonnulli veteres interpretes hoc item suspicati sunt, quod ego quidem longiori sermone, variisque argumentis probare enixus fui.

Et huc reapse sacri scriptoris mens animadvertebat, speciatim divinam ostendens ultionem in eos, qui pugnaverant antea in sanctam civitatem, et a Juda Machabaeo profligati erant;

Dianae columnis adjectis dextera ac sinistra ad humeros *Pronai*, idest atrii; » quod optime quadrat dictis Machabaeorum libri.

quoesque deinde Antiochus secum sumens duxit in Persidem, quemadmodum legimus in cap. III. libri primi. Scriptum est enim ibi, Seron principem exercitus Syriae, interfecto Apollonio ac militum pluribus, venisse contra Judam ad ultionem filiorum Israel. Quibus auditis, Juda et gens hebraeorum, Deo fisi, irruperunt iterum contra Seron et exercitum illius, et contritus est ipse et exercitus illius, et in fugam versi ceciderunt ex illis octingenti viri. Flavius haec verba interpretatus ait, occisum fuisse Seron ducem exercitus; sed sacra historia hoc silet, innuens tantum octingentos milites fuisse percussos, aliosque cum Seron evasisse in terram philisthinorum. Ut autem hoc sensit Antiochus valde aegre tulit, et iratus cogitavit disperdere semen Jacob. Et cum haec animo revolveret, ob pecuniae defectum, in Persidem iter aggreditur, secum ducens exercitus illius partem, qui profligatus fuit a judaeis in terra Israel prope Bethoron, uti indicatur in citata pericope: « Ipse enim (Dominus) incitavit in Persidem eos, qui pugnaverant contra nos, et sanctam civitatem » et quorum dux Seron deinde, aliique nonnulli percussi sunt in templo Naneae; ex quibus auctor libri secundi scripsit: « Per omnia benedictus Deus, qui tradidit impios » illos scilicet, quorum antea castra, dictum est in primo libro (1), irruperant in Judaeam ad sustollendum genus Jacob.

Huic porro historiae admodum fidei et perspicuitatis simul, conferunt verba Polybii coaevi, qui mortem Antiochi Epiphanis enarrans, verbis divinis ita congruit: (2) « Antiochus, ait, ab Elymaide regressus, Tabis, quae Persidis civitas est, e vivis discessit, insania, ut quidam ajunt, correptus ob quaedam signa, ac ostenta, quae ob violatam religionem templi ab infenso numine edita erant. » Haec signa, et ostenta a Polybio censita, eadem erant, quae in hac sacra pericope recitantur, lapides scilicet clam a sacerdotibus e templi laqueari jacti in viros piaculares, ducem et quosdam milites suos; qui lapides Antiocho suoque exercitui divinitus dejecti fuisse visi sunt. Et ob hoc Antiochus idem, et milites valde conterriti, nullamque meditati ultionem contra persepolitas, turpiter fugerunt Ecbatana versus, quo in itinere miserrime supremum diem explevit Epiphanes.

Ab historia sacra itaque hac antilogiae specie sublata, expendantur deinde locus, et morbus una, quo obiit Antiochus,

(1) 1. Mac. c. III. 15. — (2) Henric. Vales. in Collectan. p. 144.

postquam Elymaide recessit. Videntur enim et I. et II. libri auctores, sicuti et historici profani, inter se varii in hac narratione. Ad huic rei consulendum animadvertantur singulorum testimonia. Quod locum respicit, ubi Antiochus obiit, dicit auctor libri primi (1) : « Et surrexerunt in praelium, et fugit inde, et abiit cum tristitia magna ἀποστρέψαι εἰς Βαβυλῶνα i. e. ut reverteretur Babyloniam. Et venit, qui nuntiaret ei in Persidem, quia fugata sunt castra, quae erant in terra Juda. » His sermonibus auditis, expavit valde, ac tristitia magna affectus, illic mortuus est Antiochus. Auctor vero libri II. (2) scribit, Antiochum inordinate discessisse de locis circa Persidem, cum frustra conatus esset spoliare templum Persepolis, quae eadem est ac Elymais, uti antea dictum est. Turpiter autem reversus venit circa Ecbatana, ubi ei narrata sunt, quae acciderant in Judaea Timotheo, et Nicanori ; ibique diro dolore viscerum correptus in montibus misere vita functus est. In his narrationibus nullum discrimen reperitur. Ambo enim auctores mentem Antiochi interpretati sunt redeundi in Judaeam. Iter habuisse Babyloniam versus, dicit auctor libri primi : « Et fugit ut reverteretur Babyloniam, » etsi vere illuc non assecutus sit, cum tristitia pressus obierit in regione Persidis, sub cujus nomine comprehenduntur persae, medi, et assyrii. Hoc paulo post eadem Scriptura testatur : « Et venit qui nuntiaret ei in Perside . . . Et illic mortuus est. » Secundi porro libri auctor narrat Antiochum Persepoli discedentem venisse in loca circa Persidem, ac ita convenit primo. Insuper ibidem auctor speciatim notat Ecbatana, locum circa quem revera pervenit Antiochus, cum ei nuntiata fuerit Nicanoris et Timothei fuga a Judaea. Porro Ecbatana etsi medorum metropolis et provincia antea dicta essent, tunc temporis tamen quippe sub ditione persarum redacta, regio illa persica appellabatur. Hac autem iter habet Persepoli veniens Babyloniam. Ac ita cohaerent inter se Machabaeorum auctores, sicuti ethnici, praeter illud, quod Polybius in citatis verbis, Tabis civitatem addat, ubi mortuus est Antiochus, de qua siluerunt divini historici, quae quidem Persidis civitas est in provincia paraetacena sita, teste Ptolomaeo alexandrino, ubi regnum medorum olim, cujus Ecbatana metropolis, extitit. Et hanc quisvis Persepoli, seu Elymaide viam aggreditur Babyloniam versus, sicuti

(1) 1. Mac. c. VI. 4. — (2) 2. Mac. c. IX. 1. et 21.

excogitavit Antiochus; quae via, altis intersecta montibus, firmat divinam sententiam de eo impio rege dicentem: « Peregre in montibus miserabili obitu functus est. »

De morbo autem, quo Antiochus in montibus, seu Tabis fuit a Deo percussus, ob tanta scelera poenas meritas luens, citati Machabaeorum libri pariter coalescunt, etsi circumstantias quasdam narret unus ab altero remissas; et hoc ob argumenti varietatem, quod quisque sibi praesumpsit. Primus enim simplicem et brevem historiam censet de hujus regis ultimo fato, qui cum contristaretur ob ea, quae ei acciderant Persepoli, casus alius inopinus prae victoria judaeorum supra Lysiam et duces alios a se missos, auxit illius tristitiam adeo, ut in languorem lapsus cogitaverit se mori, uti factum est. Alter vero liber pluribus verbis, morbi initium, illius causam, exitum et tandem Antiochi mortem describit. Ignominiam hujus regis, et tristitiam memorat antea auctor ob ea, quae in templo Naneae duci et militibus suis acciderant; deinde gestis in Judaea circa Nicanorem, et Timotheum auditis Antiochus, ira furens cogitat persepolitarum injuriam retorquere in judaeos. Interea equos agitans e curru decidit, ejus artus colliduntur, et paulo post ob hoc et atram bilem, illius viscera corrosa vermibus scatuerunt usque dum diris doloribus excruciatus, obiit. Ambo scriptores de Antiochi furore una pergunt. Secundus vero addit illius e curru casum et vulnera ex eo artubus suis allata, queis viscerum tormentis junctis, totum illius corpus, quasi gangraena, corruptum putruit. Quae omnia ad Deum, qui rerum omnium prima causa est, et impietatis Antiochi testis, referens historicus, dixit recte philosophatus, (quemadmodum ex more agit in hac Scriptura) Deum illum percussisse invisibili et insanabili plaga, quae ea extitit dira excruciatio viscerum, ex ignominia de persepolitis, ex ira furenti in judaeos, e superbia, aliisque hujus generis vitiis prodiens, quae haud temperata Deus animadvertit. Ita Herodi accidit, quem divus Lucas (1) in Actis Apostolicis narrat ab angelo percussum eo, quod non dedisset honorem Deo, et consumptum a vermibus expirasse. Polybius quoque in praecitato loco, mortis Antiochi causam explorans, dicit, eum obliisse δαιμονήσας *demonisas*, agitatum a daemone, sive insanum, quod quidem sacrum testimonium firmat, quippe ea insania ex atra

(1) Act. Apost. c. XII. 23.

bili pariebatur, qua valde fuit Antiochus vexatus ob adversum casum; uti de hoc morbo testis est Plinius (1): « Sed in felle nigro insaniae causa homini, morsque, toto reddito. Hinc et in mores crimen bilis nomine. »

§. III. Narrationes uti fictas arguunt adversarii verba hujus libri circa historiam aquae in ignem versae, et e contra (2). Praeterea delatio tabernaculi et arcae in montem, ubi abscondita sunt, veluti commentitia fiunt ab illis (3).

Quod de igne narratur in valle condito, ubi puteus altus erat, quem postea nepotes sacerdotum eorum, qui eum absconderant, e captivitate reduces; in aquam crassam versum hauserunt, ac rursus in ignem mutata arsit, nulli esset admirationi eorum, qui in Scripturis Proto-Canonicis veteris Foederis tam stupenda facta mirati sunt, et historias venerati ut divinas, ubi haec traduntur. Si haec historia, ut commentitia sperneretur ab illis omnia negantibus, quae naturae leges superant, quodammodo tollerandum esset. Et tunc alia argumenta forent investiganda, extare nempe Deum ejusdem naturae auctorem, et hanc nutibus suis esse obnoxiam, et ad lubitum temperari; quod quidem ad praesens Opus non pertinet. Sed cum haec, inquam, pertractentur coram illis, qui historiam novi et veteris Testamenti plurimis hujus generis miraculis confertam, sinceram norunt, et fatentur; ac insuper credunt divinam esse potentiam, cui naturae leges subduntur, nequaquam haec stupore eos affecissent; quinimmo nos eorum perfidia. Illi enim crediderunt, Eliae Prophetae preces e coelo ignem excussisse, et consumpsisse holocaustum, etiamsi lapidibus et aqua aspersum: « Cecidit autem ignis Domini, ait Scriptura Regum (4), et voravit holocaustum, et ligna, et lapides, pulverem quoque, et aquam, quae erat in aquaeductu lambens. » Item sub Nehemia ignis accensus, est, et consumpsit holocaustum ex aqua crassa. Quemadmodum Nehemiae gesta in libro Machabaeorum descripta, fictitia appellarentur, ita et pari ratione nuncupanda esset commentitia historia Regum de Elia, cum haec omnia facta sint in una et eadem gente, simili pietate et fide praedita, iisdemque legibus circumscripta.

§. IV. Quod autem vertitur de historia arcae, tabernaculi, altaris, quae in montem translata sunt, abscondita a Hieremia

(1) Plinius lib. XI. c. 37. — (2) 2. Mac. c. I. et II. — (3) Vid. par. I. p. 10. §. 1. — (4) 3. Reg. c. XVIII. 38.

in speluncam, quae auctor Machabaeorum dicit, eam notitiam ab apographis, sive exemplaribus scriptis Hieremiae hausisse, nequaquam itidem Scripturis Proto-Canonicis contradicit. Haec historia vere in vetustis hebraeorum hucusque superstitibus Scripturis nullibi memoriae mandata est; neque Regum libri neque Paralipomenon, nec Hieremiae vaticinia eam tradunt. Sed cum ea gesta haud litteris tradita sint, non aeque arguitur esse repellenda quasi mera hominum commenta. Et quamvis haec non habeantur in aliis Scripturis Proto-Canonicis, attamen indicia satis aperta ex historia hebraeorum eruuntur ad horum gestorum genuitatem firmandam. Primum quidem, liber IV. Regum, ubi capite ultimo, exitium Hierusalem et templi describitur, et una vasorum omnium sacrorum delatio in regionem assyriorum, minime censet tabernaculum, arcam, altare, quae potissimum notanda forent utpote majoris pretii. Item Hieremia, Paralipomenon, ruinam pariter narrantes Hierosolymorum, et auri, argenti aerisque sacri direptionem, de his ne verbum quidem. Educitur ergo haec vasa sacra non fuisse Babylonem exportata. Scimus insuper e libro III. Regum c. VIII. Salomonem transtulisse arcam cum omni suppellectili sub Moyse elaboratam in templum: « Et portaverunt arcam Domini, et tabernaculum Foederis, et omnia vasa Sanctuarii, quae erant in tabernaculo... Et intulerunt sacerdotes arcam Foederis Domini in locum suum, in oraculum templi. » Intra porro hanc domum Domini haec omnia servata, a Hieremia, instante ruina templi, verosimillimum est allata fuisse in montem, quemadmodum dicit Machabaeorum historia. Et hoc binis de causis perfici potuit a sancto Propheta.

Ex quo sub regibus Juda et Joachim Sedecia, templum Domini idolis dicatum, et omnium gentium abominationes patratae fuere in loco sancto, ut testes sunt citatus Hieremia, et Ezechiel speciatim in capite VIII. et XI. ac sacer Dei cultus, omnesque mosaicae institutiones in domo Dei explendae, praetermissae, tunc Hieremias honorem Dei aemulatus, considerans ea pollui loca saepissime divinis illustrata radiis, ac una divinam ultionem in Israel, et Sanctuarium, prope adfuturam praevidens, ejusdem Dei responso sibi facto, fieri potuit, ut arcam et tabernaculum, et altare incensi intulisset in speluncam, ibique condidisset. Secundo, hoc obtinuisset Hieremias, animadversis honore et veneratione, qua a Nabuchodonosoro et principibus suis affectus fuit; et qui, capta Hierusalem, libertatem ei fe-

cerunt veniendi Babylonem, sive manendi ubicumque vellet. Ex hoc conjici potest, priusquam incenderet Nabuzardan civitatem et sanctuarium, et forent suppellectilia sacra et metalla templi delata in Assyriam, Hieremiam, arcam, tabernaculum, et altare incensi, impetrata ab eodem Nabuzardan, transtulisse cum suis in montem, ubi occulta sunt.

Sed praeter haec omnia, magni facienda est traditio perpetua hebraeorum, quae, praeter hanc Machabaeorum auctoritatem, magnum huic rei testimonium confert. Apud eos namque ad hoc usque aevum, sive in Europa, sive in Asia, sive alibi degant, idem narratur, quod legitur in hoc libro de tabernaculo, arca, et altari in monte occultatis. Quamvis plura recens hebraeorum doctrina instituat, quae a veritate abhorrent, multa tamen ore tradita ab eis fuerunt, quae a primaevis patribus graeco vocabulo δευτέρωσις *deuterosis repetitio* nuncupantur; et in his quidquam veritatis reperitur. Multa quoque leguntur in epistolis apostolicis et in Evangelio, de quibus etsi antiqui hebraeorum libri sileant, tamen magistri synagogae in Talmud iis fidem perhibent, sicuti alibi notatum est.

§. V. In cap. IV. quaedam obscura leguntur circa gymnasium et ephebiam per Jasonem fratrem Oniae, instituta Hierosolymis et ita dicitur de hoc viro: « Etenim ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere καὶ τοὺς κρατίστους τῶν ἐφήβων ὑποτάσσων ὑπὸ πέτασον ἦγεν i. e. Et optimos duxit ex Ephebis petaso subjiciens . . . . . ita ut sacerdotes jam non circa altaris officia dediti essent, sed, contempto templo, et sacrificiis neglectis, festinarent participes fieri palaestrae, et praebitionis ejus injustae, et in exercitiis disci. » De gymnasiis graecorum, et ephebiis, et palaestra, ac disco, ethnici scriptores multa tradidere, quae ad hanc Scripturam enucleandam conferunt. Gymnasium quidem primum ita appellatum fuit ex eo, quod, (juxta graecum vocabulum γύμνος *nudus*) nudi in ipso loco exercerentur. Deinde illuc omnes e civibus conveniebant, ac ibi omnibus artibus, disciplinis ludis, choris, balneis, conviviis operam dabant. De ludis, qui ibidem fiebant, divus Paulus suis in Epistolis mentionem facit, in similitudinem sumptis, ex. g.: « Sic qui in agone contendit. Sic curro non quasi in incertum. Sic pugno non quasi aerem verberans etc. » De palaestris autem Vitruvius libro V. c. XI. eas describens, loca nuncupat varia ubi exercebantur. Uti Diaulon, sive curriculum pro stadii cursoribus, Ephebeum, Coriceum,

Connisterium, Lutrona sive frigidam lavationem, Elaeothesium, Frigidarium, Propnigeum, Concameratam Sudationem, Laconicum etc. Quare autem divinus Machabaeorum scriptor has graecorum institutiones, in populo Dei proficientes, lamentatus reprobet, notum sit, loca ista paulatim, invalescente malitia, conviviis, saltationibus, ac dissolutionibus omnibus nefandis ac ludicris aptata fuisse, viris pariter cum mulieribus in gymnasii balnea venientibus. Plinius ob hoc, omni jure libro XV. c. 4. relate ad Vitruvii Elaeothesium, de natura olei scribit: « Usum olei ad luxuriam vertere graeci vitiorum omnium genitores in gymnasiis publicando. » Clemens Alexandrinus, et Cyprianus de hujusmodi scandalis questi, christianos, ut his balneis abstinerent, cohortabantur.

Quod autem ait sacer historicus in illis verbis: « Optimos quoque epheborum petaso, vel lupanari submittens, duxit, » interpretandum est juxta graeci vocabuli significationem πέτασος *petasos velum, aulaeum* a πετάω *petao obtendo, obduco.* Henricus enim Stephanus in Thesauro linguae graecae, sub hac radice ita παραπέτασμα *parapetasma* explicat: « Peculiariter autem hoc nomine vocatum traditur quidquam, quod obtendere solebant meretrices, ne ab amatoribus, qui ad eas accedebant, conspicerentur. » Ac ideo jure Machabaeorum Vulgatus interpres hanc vocem in *lupanar* transtulit; idest sub petasum, vel aulaeum, aut lupanar introducebantur ephebi adolescentes loco meretricum; quod auctor divinus, veluti rem impiam ac nefariam deplorat.

Quae vero dicuntur postea in Scriptura, festinasse scilicet sacerdotes participes fieri *injustae praebitionis*, codex hellenicus inscripsit παρανόμου χορηγίας *paranomu chorigias.* Ab eodem Vitruvio, clare hujusmodi *Chorigia* explicantur libro V. c. 9.: « Post scenam, ait, porticus sunt constituendae, uti cum imbres repente ludos interpellaverint, habeat populus quo se recipiat in theatro. Choragiaque laxamentum habeant ad chorum parandum, uti sunt porticus Pompejani; itemque Athenis porticus Eumenici, patrisque Liberi fanum. Porro χορηγία *chorigia* juxta graecos, ut apud eumdem Henricum est videre, significat et eos qui ludorum instrumentum suppeditant, et locum, unde totum instrumentum promitur, et locum quoque, ubi chori adstant; idcirco χορήγος *chorigos* dicitur dux, et magister chori, et χορηγία *chorigia* locus, in quo ludi fiunt. Cur porro Scriptura vocet hunc

locum iniquum, quo participes erant sacerdotes, respondeat Demetrius Byzantius libro IV. de Poemate apud Athenaeum: « Choragos vocatos fuisse, non ut saeculo nostro, qui choros conducunt, sed chori duces, et praefectos, ut indicat vocabulum ipsum. Musicam sane veteres optime noverunt, ejus leges non sunt praetergressi, illi maximo studio vacaverunt; secuta deinde totius ordinis confusione, senio labascentibus jam cunctis fere, quae approbarat consuetudo, obliteratum est illud institutum, depravatique sunt musices numeri, quibus cum utantur singuli, lenitatis ac benignitatis loco, irrepsit socors mollities, temperantiae loco insolens audacia, et ignavus animi languor ac remissio; quae fortassis graviora magis vigebunt, nisi quisquam patriam musicam in antiquum splendorem transferat. »

§. VI. Insuper alia oppositionis species hauritur in verbis cap. XIV. I., ubi dicitur Demetrius Seleuci cum multitudine valida, et navibus per portum Tripolis ascendisse ad loca opportuna etc. Haec videntur contradicere, quae leguntur in libro I. c. VII. ubi legitur Demetrius Seleuci filius exiisse ab urbe Romae, et ascendisse cum paucis viris in civitatem maritimam, et regnasse illic.

Polybius scriptor coaevus, et rei particeps, hoc explicat factum in Legationibus 107. et 114. Narrat enim Demetrium cum paucis clam Roma profectum, ac Ostiae (hoc ait et Justinus libro Hist. XXXV.) tacitum cum fugae comitibus navem conscendisse. Id firmat, quod ait auctor libri I. Machabaeorum: « Et ascendisse cum paucis viris. » Quoad vero dicta libri II. referenda sunt non ad exitum Demetrii ex urbe Romae, sed ad ingressum illius in portum Tripolis, ubi secundo omnium favore receptus, magnaque militum copia ei antea per amicos suos parata, uti praedicti historici testantur, regni patrum suorum potitus est; ac ita firmatur quod scribitur in dicto libro II. cujus graecanica verba magis liquent: « Demetrium nempe Seleuci filium per portum contra Tripolim navigantem, exercitu magno, et classi (cum a Lysia defecissent) potitum fuisse regionis, sublato Antiocho ejusque procuratore Lysia. »

§. VII. De Raziae porro facinore, (quod arguunt adversarii,) qui sibi mortem conscivit, uti traditur in c. XIV. 37. divus Augustinus contra Gaudentium donatistam disserit, ac varie ejus suicidium interpretatur (1). Scribit enim contra eumdem haere-

(1) Libro I. n. 36. et 37. Confer quoque par. I. p. 11. §. IV.

ticum, qui exemplum Raziae sibi proposuerat imitandum in morte sua: « Porro si fugere valens, nec volens (Razias) in domum suam ligna congessisset, atque irruentibus inimicis, ut eum comprehenderent, ignem supposuisset, seque cum suis aedibus concremasset, vobis quidem exhibuisset exemplum, sed sibi quidem adquisisset grande tormentum. Nunc enim, quoniam fugere non valuit, aliquanto minus est fortasse sui sanguinis reus, quod sibi intulit mortem, quam comprehenso inimicus jam fuerat illaturus. At enim sanctarum Scripturarum auctoritate laudatus est Razias? Quomodo laudatus? Quia fuit amator civitatis. Hoc potuit et carnaliter civitatis scilicet illius terrenae Hierusalem, quae servit cum filiis suis, non autem illius, quae sursum liberae matris. Laudatus est, quia continentiam servavit in judaismo; et haec sibi in comparatione justitiae christianae damna et stercora fuisse, dicit Apostolus; laudatus est, quia pater judaeorum appellabatur, hoc magis est, unde illi tamquam homini subrepsit humilitatis impatientia, ut prius mori vellet, quam hostibus subjici. Dictum est, quod elegerit nobiliter mori, melius vellet humiliter; sic enim utiliter. Dictum est quod viriliter de muro praecipitavit in turbas; nec nos dicimus eum hoc fecisse muliebriter, quamquam vos, qui multum exemplo isto profecistis, etiam foeminas vestras hoc facere docuistis. Sed fatemur etiam ipsas hoc non facere muliebriter, sed viriliter, non tamen salubriter, quia non fideliter. Ad extremum, quod invocasse dictus est dominatorem vitae ac spiritus, ut haec iterum illi redderet, idest vitam ac spiritum, nec tunc aliquid poposcit, quo boni discernerentur a malis. Reddet enim Deus et his, qui male egerunt, non in resurrectionem vitae aeternae, sed in resurrectione judicii aeterni. Laudatus est Razias iste itaque amator civitatis, ut valde bene audiens, idest bonae famae, quia pater judaeorum appellatus est, et quod continentiam tenuerit in judaismo. Istam vero illius mortem mirabiliorem, quam prudentiorem narravit quemadmodum facta esset; non tanquam facienda esset Scriptura laudavit. »

§. VIII. Denique (alteri propositioni singulari mandata pericope hujus libri, versata de expiatione pro defunctis) divinitati Scripturae officere ajunt adversarii verba, quae leguntur in fine libri (1): « Et si quidem bene, et ut historiae competit, hoc et ipse velim; sin autem minus digne, concedendum est mihi. »

(1) 2. Mac. c. XV. 39. et confer par. I. p. 8. n. 3

Profitetur, ajunt adversarii, his verbis auctor, se non fuisse inspiratum in hoc conscribendo libro. Sed quisquis ea perlegerit verba, leviter senserit, auctorem in illis non respicere historiam rerum, quam contexuit, neque doctrinam arguere ex eadem historia haustam, quasi eae narrationes et doctrina dubiae essent, non certis firmatae testimoniis, et argumentis. Nullo modo hoc praesumpsit scriptor hebraeus; quinimmo divino Spiritu plenus, sanctaque aemulatione actus pro honore Dei, pro bono, et gloria Israel, ubique hujus libri easdem veterum Prophetarum qualitates ostendit, qui in gente hebraeorum instituti fuere ad eorum gesta conserenda. In eo versiculo, auctoris mens respicit tantum verborum syntaxim, sive ordinem, et comptum dicendi genus, quo ille has suas ad aegyptios fratres litteras, cupiebat fuisse descriptas in lectoris commodum et jucunditatem. Graecanica verba hoc satius docent: « καὶ εἰ μὲν καλῶς καὶ εὐθίκτως τῇ συντάξει, τοῦτο καὶ αὐτὸς ἤθελον· εἰ δὲ εὐτελῶς, καὶ μετρίως, τοῦτο ἐφικτὸν ἦν μοι. i. e. Et si quidem bene, et ut competit syntaxi, hoc et ipse volui; si autem minus et mediocriter, hoc possibile erat mihi. » Graecus codex non legit *ut competit historiae*, sed *ut competit syntaxi*, sive ordini verborum et rerum, quae ibi dicuntur, qualis ordo in historia servandus est, ut initio hujus jam notaverat sacer scriptor, dum ait (1): « Etenim intellectum colligere et curiosius partes singulas quasque disquirere, historiae congruit auctori. » Nihil ergo officit divinae hujus Scripturae inspirationi praedicta sententia. Divus Paulus item ad Corinthios scribens eisque ostendens se Apostolum esse, sicuti et alios, et idcirco se illis veritatem una praedicasse professus, attamen sermone aliis Apostolis inferiorem se facit: « Existimo enim, nihil me minus fecisse a magnis Apostolis. Nam etsi imperitus sermone, sed non scientia. »

(1) 2. Mac. II. 31.

PROPOSITIO X.

Sumpto themate ex Machabaeorum Scriptura, probatur fides hebraeorum, et christianorum de expiationis loco in altera vita; et pro mortuis vivorum preces instituuntur.

§. I Ab Ecclesia Catholica alieni, inter alia argumenta contra divinitatem Bibliorum Deuterorum veteris Testamenti, illud quoque inseruere sumptum e capite XII. libri secundi Machabaeorum, ubi narratur pia cogitatio Judae Machabaei, mittendi Hierosolymam duodecim mille drachmas argenti offerri pro peccatis mortuorum; quasi hoc Judae consilium vanum et dissonum divinae et patriae hebraeorum institutioni foret (1). Magni quidem momenti hujusmodi quaestio est, ac varios sub se intuitus colligit. Idcirco peculiari loco hanc censui expendendam.

Haec de expiationis doctrina, hebraeorum veterum fidei minime contradicit, quippe qui cetera animae immortalitatis, resurrectionis, vitae aeternae, impiorum et justorum status dogmata e primis hominum aetatibus firma tenuere, in quibus et hic articulus merito enumerandus est. Omnes a Deo patribus factae promissiones, illorum symbolicae institutiones, varia oblationum, et expiationum genera, ac praecipue de Messiae adventu spes, frustra expleta essent, nisi fide roborata animae humanae immortalitatis, et vitae aeternae, ut alibi notavi. Et hoc pariter fatentur, et probant adversarii. Ideoque gratis laborarem in hac coram eis pertractanda quaestione. Tantum vero contendendum superest, expiationis locum in altera vita, hebraeos ante et post Salvatoris adventum firme tenere; ac una animas hominum in eo expiari, easdemque levari variis vivorum suffragiis. Et ex hoc majoris momenti fient verba Machabaeorum, quae disquirenda aggressus sum, quaeque, cum scripta sint a viris hebraeis, ostendunt, eos credidisse, ac comprobasse hunc expiationis locum in altera vita. Insuper in hujus argumenti firmitatem addam, hanc hebraeorum doctrinam in Ecclesiam christianam pertransisse, ab Apostolis ratam, a suis discipulis ac primaevis patribus acceptam, indeque in orbe catholico, nullis obstantibus, probatam.

(1) Confer par. I. p. 11. §. III. n. 1.

§. II. Interea nobis, haud est mirandum, si Moyses divinis institutionibus, quas mandavit Israeli in libris Legis, praetermiserit explicite tam pium et necessarium praeceptum circa suffragia, quae a vivis pro defunctis explenda erant. Moyses in Scriptura legis ea animadvertit potissimum, quae tum extrinsecam hebraicae reipublicae politiam spectarent, tum ea, quae impias gentium consuetudines contererent, fidemque augerent in Redemptorem, qui venturus erat; et ob hoc varia sacrificiorum genera statuta erant, quae ab illis veluti figurae habebantur futurae redemptionis, et eo tempore duratura, quousque adduceretur justitia sempiterna, impleretur visio et prophetia, et ungeretur sanctus sanctorum. Neque insuper Moyses in Pentateucho opus insumpsit ad propugnandum alterius vitae statum post mortem, neque de sorte egit virorum sanctorum, et impiorum. Item circa caritatis leges, quae jam in omnium cordibus scriptae fuerant et, ut ait Apostolus, (1) testimonium reddebat illis conscientia ipsorum; Moyses non instituit, sed tantum universim innovavit quod jam per traditionem inter hebraeos perpetuo firmatum erat ab initio mundi ad suum aevum usque; et Abraham et Isaac, et Jacob jam noverant et comprobarant utpote mandatum, quod valde prope eos erat (quemadmodum legitur in Deuteronomio (2) in ore eorum, et in corde eorum, et in manibus eorum ut facerent illud. Et idcirco non nisi obiter, et relative sermonem habuit Moyses de animae immortalitate, de statu futurae vitae ac de ceteris hujusmodi. Ita ex gr. Jesus respondens Sadducaeis, qui mortuorum resurrectionem negabant, ait illis (3): « De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium. » Ex ea ergo simplici phrasi veterum Scripturarum, qua Moyses, et Prophetae usi sunt, alia sumpta ratione, dicentes: « Deus Abraham, Deus Jsaac, Deus Jacob, » satius praedixerunt resurrectionem mortuorum, quam opportune deinde Christus interpretatus est redarguens Sadducaeos. Similiter (et hoc relate ad praesentem quaestionem) etsi apertissime non eruatur e sacris Moysis libris et Prophetarum pia hebraeorum consuetudo, preces, aliaque bona opera explendi pro mortuis, attamen e variis eorumdem Bibliorum sententiis, et actionibus sanctorum virorum in veteri Te-

(1) Ad Rom. c. II. 15. — (2) Deuter. c. XXX. 14. — (3) Mat. c. XXII. 31.

stamento memoratis, indicia percipimus, hebraeos ante Christi adventum credidisse locum esse in vita futura, ubi expiantur animae defunctorum, ac una tenuisse easdem orationibus, aliisque vivorum piis operibus posse levari.

§. III. Consuetudo hebraeorum satis antiqua luctum conficiendi in funere affinium suorum, variosque exercendi ritus, quidpiam continet argumenti, eos perfecisse hujusmodi actus, credentes se levamen conferre animae illius, qui obiverat. Luctus enim, qui ad plures dies perdurabat, et alia expiationis genera instituta in Lege Moysis circa sepulturam mortuorum, non simplex benevolentiae indicium praesignabant, verum etiam fidem, illum nempe, qui mortuus erat, suffragia consequi ex illis actibus. Patriarchae, Moyses idem, et Prophetae dum gentium praestigia, et consuetudines iniquas in affinium obitu exprobrabant Israeli, satis indixerunt aliis modis parentandum esse mortuis; et, cum saepe iidem Prophetae belli calamitates praeviderent ipsis, inter alias aerumnas hebraeorum maxime notant sepulturae privationem; et dies luctus, aliasque consuetudines erga parentes suos et vicinos peractas, omittendas tunc fuisse, minati sunt. Inquit Hieremia: « (1) Prae mortuis aegrotatione morientur, non plangentur, et non frangent inter eos panem lugenti ad consolandum super mortuo. » Quod vere innuit eos sensisse, praeter alias calamitates in Hierusalem expugnatione, etiam hanc, mortuos scilicet suos privandos fuisse illis caritatis officiis de more conficiendis in funeribus eorum; quae res minoris vel nullius momenti habita foret a Prophetis, et idcirco praetermissa, nisi certe sibi, et populo Israel constitisset animas defunctorum fore ex ea luctus consuetudine levandas in altera vita. Hoc porro hebraeorum officium erga affines suos defunctos, peculiari nomine a scriptoribus sacris dicebatur אבל *hebel* luctus, et ea vox una comprehendebat fletum, cantus et varii generis actus lugubres pro defunctis expletos; et ideo apud eos pluries legitur: « Fecerunt luctum septem dierum; luxit eum omnis populus; vestes luctus » et alia hujusmodi, quae idem sibi voluerunt, ut apud nos, *Parentalia*.

Haec eadem, quae ex Scripturis Proto-Canonicis excerpsi de hac pia et religiosa consuetudine hebraeorum erga defunctos, liquent pariter, et explanantur in Bibliis Deutero-Canonicis, quae,

(1) Hierem. c. XVI. 4. juxta hebraeum codicem.

etsi ab adversariis minoris auctoritatis fiant, attamen ut scripta antiqua, (quod ne ipsi quidem negant) et sincerioris hebraeorum traditionis testes aestimanda sunt. Sirach (1) inter cetera caritatis opera hoc docet: « Gratia dati coram omnibus viventibus, et mortuo non prohibeas gratiam, idest esto misericors et beneficus. » Alibi dicit non esse despiciendam sepulturam illius, et insuper: « In requie mortui quiescere fac memoriam illius. »

Praeterea ex usibus hebraeorum, qui ad hanc usque diem servantur inter eos, et ex synagoga sapientum, qui commentati sunt citata vocabula et sententias veterum Prophetarum, eruitur quomodo judaei explerent parentalia suorum, quidque ipsi crederent ex his officiis, et docerent de animabus fratrum suorum post obitum. Credidisse hebraeos in altera vita (2) expiationis locum, ubi defunctorum animae ad statutum temporis detinentur ex rabbinorum testimonio probatur. In Glossa Talmudica *En Israel* ad tractatum *Rosch hasana*, seu de initio anni, legitur cap. I. « Sunt qui postquam in gehenna jam poenas dederunt, digni sunt vita aeterna. Rabbi Scem in *Nephesc Chocina* ait: « Et est *ruach*, sive spiritus justi perfecti, qui pertransit illum ignem, quasi navis, et congregatur in hortum heden inferiorem. Quumque ascendit, ut colligatur fasciculo viventium, pertransit etiam tanquam navis sursum illum ignem, et detergitur, et mundatur ita, ut possit colligari fasciculo viventium. » Quidquid porro agerent hebraei ipsi in defunctorum levamen, Gejerus de *hebel* luctu hebraeorum scribit, toto luctus tempore propinquiores defuncti, uti parentes, filios, uxores, fratres, sorores domi se continentes, et humi sedentes cibum capere . . . . . Bis singulis diebus, mane et vespere, decem saltem homines eo venientes, ubi sit luctus, consuetas preces emittunt; Psalmum XLVIII. recitant; cum neque exire domo, neque synagogam petere, excepta die sabbati, luctum agentibus liceat. Rabbi Isaac toletanus libro Bet-Joseph (3) de ultimo legis praecepto disserens ait: « Annis singulis anniversario die mortis parentum, jejunandum est, et preces, quae incipiunt *chados sanctus*, sunt fundendae. » Wittacherus libro I. contra Duraeum: « Scio, ait, judaeis esse libros memoriales, quos in synagogis suis legunt;

(1) Sirach. c.VII. 37. — (2) Voisin de Lege divina p.610. et 632. — (3) Vid. Serarium in libros Machab.

eosque nunc precibus quibusdam pro mortuis uti solere non ignoro. » Postellus libro XXI. de Concordia Orbis cap. IX. « Orat judaeus pro defuncto, orat et comedit cum pauperibus musulmanus. » In majori francofurdiensium judaeorum synagoga, in ipso ingressu ad laevam, fere semper ardens lumen, aut etiam lumina plura videas, quia si cujuspiam parens moriatur, praeter preces, hos etiam cereos anno integro accendit. Sunt et aliae pro mortuis communes preces, uti ex eorum libris videre est, quibus ad orandum quotidie utuntur hebraei.

Argumentum porro non spernendum, et profecto prae aliis hucusque collatis majoris momenti, circa traditionem hebraeorum mortuis parentandi, eisque opitulandi precibus aliisque piis operibus, eruitur ex haeretico Aerio, qui contra Ecclesiae Christianae consuetudinem pro mortuis orandi scribens, arguit, licet immerito, christianos eam consuetudinem ab hebraeis accepisse, quasi vitae futurae status, et de eo fides non una et eadem esset apud hebraeos ante Christi adventum, ac postea apud christianos. Hoc testimonium Aerii tradit Epiphanius Haeresi LVII. sive LXXVII. N. 3. et ex ejus ore dicit Sanctus: « Pergit deinde Aerius: - Et qua ratione, inquit, appellatis nomina mortuorum? Orat enim vivus, vel dispensationem facit in pauperes, quid proderit mortuo? Quod si superstitum preces iis, qui ex hac vita decesserint, opitulari possunt, nemo deinceps pie agat aliquid, neque boni quidquam faciat; sed amicos sibi aliquos, quacumque ratione velit, adjungat; sive pecuniarum largitione, sive precibus, hoc ab illis sub vitae finem impetret, ut pro se Deum exorent, ut neque illic aliquod incommodi patiatur, nec immanium a se facinorum poenae repetantur. Sed neque jejunium, dicit, statutum est. Haec enim judaeorum propria sunt, et sub jugo servitutis; justorum enim lex non posita est etc. » Ab his verbis educitur primum, hebraeos ante Christi adventum, et sub jugo servitutis, instituisse pro mortuis inferias, sive varii generis justa funebria; secundo, illa Aerii verba firmare testimonium e Scriptura Machabaeorum haustum, quod et propugnamus, de precibus pro defunctis; tertio, christianos edoctos fuisse ab hebraeis hanc suam consuetudinem, sicuti et nos cum Aerio fatemur; ac denique Apostolos ea eadem fidelibus praedicasse caritatis praecepta sumpta ab hebraeis, et instaurata a Christo. Hisce positis, mihi videtur immerito reprobari ab adversariis Machabaeorum liber secundus, utpote doctrinam praeseferens

hebraeorum institutioni oppositam, ut ipsi dicunt. Auctor enim hujus libri nihil innovavit, dum pietatem extollit Judae Machabaei, qui dona mittit Hierosolyma offerenda in templum Dei pro peccatis mortuorum; quinimmo firmat, et explicat quod jam ex antiquissimo aevo perpetratum fuerat ab hebraeis pro fratribus suis, qui postremum fatum subierant, ut antea dixi.

§. IV. Sed ad hujus Machabaeorum testimonii, ac simul propositae quaestionis perspicuitatem, in medio proferantur quae scripsit divinus historicus in tam sanctis Judae Machabaei gestis enarrandis. Graecanica verba, quae, ut videtur, magis exhibent ponderis, et claritatis, quam vetus latinus interpres, ita se habent: « Ὁ δὲ γενναῖος Ἰούδας παρεκάλεσε τὸ πλῆθος συντηρεῖν ἑαυτοὺς ἀνεμπαρσήτους εἶναι, ὑπ' ὄψιν ἐωρακότας τὰ γεγονότα διὰ τὴν τῶν πεπτωκότων ἁμαρτίαν. Ποησάμενός τε κατ' ἀνδραλογίαν κατάσκυασματα εἰς ἀργυρίου δραχμὰς δισχιλίας, ἀπέστειλεν εἰς Ἱεροσόλυμα προσαγαγεῖν περὶ ἁμαρτίας θυσίαν, παν καλῶς, καὶ ἀστείως πράττων, ὑπὲρ ἀναστάσεως διαλογιζόμενος. Εἰ γὰρ μὴ τοὺς προπεπτωκότας ἀναστῆναι προσέδοκα περισσὸν ἂν ἦν καὶ ληρῶδες ὑπὲρ νεκρῶν προσεύχεσται. Ἐιτ' ἐμβλέπων τοῖς μετ' εὐσεβείας κοιμωμένοις κάλλιστον ἀποκείμενον χαριστήριον, ὁσία καὶ εὐσεβὴς ἡ ἐπίνοια. Ὅθεν περὶ τῶν τεθνηκότων τὸν ἐξιλασμὸν ἐποιήσατο, τῆς ἁμαρτίας ἀπολυθῆναι. i. e. Fortissimus vero Judas hortabatur populum, sive exercitum, ut se servaret absque peccato, sub oculis videntem, quae facta erant ob peccatum illorum, qui ceciderant. Et facta viritim collatione ad duo millia drachmarum argenti, misit Hierosolyma, ut offerrent pro peccato sacrificium, valde bene, et religiose faciens, de resurrectione cogitans. Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum esset, et vanum orare pro mortuis. Deinde considerans, his, qui cum pietate dormiunt, optimam esse repositam gratiam (sancta et pia consideratio); quare pro defunctis propitiationem fecit, ut a peccatis solverentur. »

Animadvertendum est in his primum, hoc pium opus peractum esse a Juda, postquam percussit idumaeos, quo in conflictu contigit ut pauci judaeorum quoque lapsi fuerint, uti dicitur antea: « Et post Pentecosten abierunt contra Gorgiam praepositum Idumaeae. Exivit autem cum peditibus tribus millibus, et equitibus quadringentis; quibus congressis, contigit paucos ruere judaeorum. » Haec eadem enarrantur ab auctore libri I. c. v. sed breviori sermone: « Et exivit Judas, et fratres ejus, et expugnabant Esau in terra, quae ad austrum est, et percussit

Chebron, et filias ejus, et muros ejus, et turres succendit igni in circuitu. » Cum vero, uti ex ea Scriptura constat, Juda profligasset filios Esau, philistaeos, aliasque finitimas regiones, factum est, ut ex judaeis nonnulli contra legem Moysis, dona idolis dicata, furtim surripuerint, nesciis Juda aliisque ducibus Israel. Ideoque auctor libri II., qui juxta morem, non solum historiam simplicem describit, quemadmodum agit primi scriptor, verum etiam humanos actus expendit, eorumque rectitudinem, seu pravitatem ponderat, indeque Dei justitiam extollit; et zelum maxime, et pietatem Judae Machabaei, et hebraearum institutionum sanctitatem ubique in hoc libro celebrat, cum in hujusmodi judaeorum casum incidisset, notat, cur in praelio corruissent milites; quidque ob hoc fecit Judas, mittens scilicet Hierosolymam duo millia drachmarum argenti ad offerenda pro mortuis expiationis sacrificia.

Hujusmodi porro historiae analogia, et ea philosophandi methodus, quae eadem, ubicumque se se profert occasio, apparet in hoc libro, hujus pericopis genuitatem probant, et foetum esse innuunt ejus scriptoris, qui totum hoc opus compegit. Alterum inde genuitatis indicium eruit vir sane clarissimus Joannes Perrone e Soc. Jesu, in tractatu de Deo Creatore par. III. c. 6. de futura hominis vita: « Ibi enim, ait, sacer scriptor pro judaeorum more utramque quaestionem, de animae scilicet immortalitate, ac de corporum resurrectione conjungit, prout et Christus ipse Sadducaeos perstringens Matth. c. XXII. conjunxit: - Non legistis inquit, quod dictum est a Deo dicente vobis, ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium. »

Sed non tantum historiae et philosophiae sacrae unitas, eadem in pericope cum integra hac Scriptura surgit, verum etiam sermonis et verborum similitudo. Notatum est alibi interpretes alexandrinos in conflanda graeca Bibliorum versione, peculiari phrasi usos fuisse generatim, et varia a ceteris prophanis scriptoribus hellenicis; ac insuper in singulos libros ex diversis interpretibus quidpiam verborum discriminis collatum fuisse. Ita factum est quoque in hoc libro. Ex.gr. κατασκευάζω *cataskevazo comparo, apparo*, ἀναμάρτητος *anamartitos peccati expers* fere peculiare auctori hujus libri, ἀστεῖον *astion bonum, rectum*, προπεπτωκώς *propeptocos prolapsus* seu *mortuus in bello*, προσδοκάω *prosdocao expecto, spero*, χαρίζομαι *charizome gratificor*, ex quo

χαριστήριον *charistirion gratificatio*, ἱλασμὸς *exilasmos* communiter sub significatu *propitiatio* seu *sacrificium pro peccato*, omnia fere specialia huic libro, leguntur et hac pericope et in aliis ejusdem capitibus adeo, ut dicendum sit hoc Judae Machabaei consilium pro mortuis exorandi, ipsius libri, et auctoris partem constituere, qui ad aegyptios hebraeos scribens docet, et narrat quanta religione, et aequitate Judas defunctis militibus parentaverit.

§. V. His omnibus expensis de hujus pericopes genuitate, arguendum est (etiamsi adversarii hujus libri divinitati obstent) per annos circiter 166, quo haec facta sunt a Juda Machabaeo et per annos fere 70. ante Christum cum ea litteris mandata sint, innotuisse hebraeis expiationis locum in altera vita, eosdemque credidisse vivorum pietatem defunctis suffragari. Praeterea si sedulo legantur graeca verba « προσαγαγεῖν περὶ ἁμαρτίας θυσίαν i. e. offerre pro peccato sacrificium, » accipitur ea respondere Levitici verbis c. IV. ubi leges praescribuntur circa sacrificium pro peccato multitudinis, et illud expletum esse juxta ritus a Moyse institutos : « Sic faciens, ait Lex, et de hoc vitulo, quomodo fecit prius, et rogante pro eis sacerdote, propitius erit eis Dominus. » Hujusmodi porro sacrificii genus Judas perfecit non pro peccatis viventium, sed eorum, qui contra leges Moysis agentes obierant in praelio. Ideirco Judas coram omni exercitu, et sacerdotes in templo Domini vanum obtulisse sacrificium, asserendum foret, et prorsus justitiae legis oppositum, cum ipsi immutaverint sacrificium pro vivis offerendum, in hostiam expiationis defunctorum, qui cum peccato perierant. Quid his adjiciatur? Fatendum est ergo Judam, et sacerdotes, qui recte sentiebant hostias in ara oblatas pro peccatis vivorum filiorum Israel, quibus Deo acceptis, ejusque ira sedata, propitium se se gerebat in illos ; eodem modo credidisse oblationes pro delictis mortuorum coram ipso latas, fuisse expiaturas culpas, quibus viventes in eum deliquerant, ac deinde in altera vita, poenis persolutis, vivere perpetuo cum Deo, patre Abraham, Isaac et Jacob, Deo vivorum, et non mortuorum. Numquid ne Judae Machabaei mens et suorum, a fide resurrectionis et vitae immortalitatis abhorrebat, cum ipse, milites et sacerdotes hoc pium opus expleverint? Absit ; vitae mortalis curriculo peracto, aliud novum et aeternum in altero saeculo percurrendum est : « Oportet enim, ait Apostolus, corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale

hoc induere immortalitatem. » Ex dictis ergo his eruitur Judam, cum ea justa persolverit defunctis, patriis institutionibus obsecutum fuisse, easque firmasse in populo Israel, ac una posteris argumenta tradidisse cogitandi, et faciendi pro mortuis quidquid hebraei ipsi nunc temporis agunt, et quidquid tanta solicitudine a nobis apostolica doctrina imbutis, quotidie perficitur, uti e sequentibus patefiet.

§. VI. Neque hucusque sit satis coram adversariis ostendisse hebraeorum fidem de loco expiationis in altera vita, ac simul de vivorum suffragiis pro defunctis impensis; addere visum est quoque de hac re Apostolorum fidem, quippe qui eadem caritate ferventes, qua patres sui incaluerant in animas defunctorum, docuerunt idem, quod antea, et nunc credit et agit Ecclesia Catholica pro illis. Et hoc fit a nobis praesertim, ut illud novitatis genus dirimatur, de qua nunc ob hunc fidei articulum gratis incusatur Ecclesia Romana.

Apostoli, qui Redemptoris doctrinam partim ore, partim scriptis tradiderunt, eamdem fidem de expiationis loco in futuro saeculo, atque una mortuorum fidelium animas pietate vivorum levari, apertissime testantur. Hoc primum educitur ex ipsius Redemptoris voce pharisaeos arguentis, quippe qui operis illius, et signis credere nolebant; credebant tamen vitae aeternae. Ac ideo exprobrans illis ait (1): « Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo neque in futuro. » Nisi fuisset remissio in vita futura, inepta prorsus foret hujusmodi Christi locutio; et pharisaei utique hanc divi Magistri sententiam mirati essent; et nova et obscura paritér evasisset illis, nisi pro certo scirent expiationis locum in altero saeculo, ubi peccata, praeter illud in Spiritum Sanctum, forent remissa hominibus. Et jure idcireò divus Augustinus et Gregorius ea Christi verba meditati, inde locum expiationis pro defunctis, ac una vivorum preces ceteroque pios actus pro animabus illis in praesenti saeculo expletos, optime vindicant.

§. VII. Valde deinde commendanda existimo lectori pro hoc argumento verba divi Pauli ad Corinthios, cum ipse coram iis resurrectionem mortuorum propugnet, et simul quorumdam opiniones refellat dicentium: « Quoniam resurrectio mortuorum non

(1) Matth. c. XII. 32.

est. » Docens ideirco Apostolus, ac probans hujus dogmatis veritatem, inter alia argumenta, praecipue hoc sumit scribens: (1) « Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut quid et baptizantur pro illis? »

Prius vero quam hanc expendendam suscipiam Pauli sententiam, sciendum est nuper citatum Calmet in speciali Dissertatione, veterum et recentiorum collegisse hujus versiculi interpretationes, quorum plurimi, ex eo quod latuerit sincera et lata significatio vocabuli *baptisma*, offenderunt. Nos vero mentem Apostoli perscrutati ex totius contextu, percipimus eumdem instituisse, et probasse coram adversariis mortuorum resurrectionem ex baptismate pro mortuis. Quid ergo erat illud baptisma? Graecanica verba ita se habent: « Ἐπὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; i. e. Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis? » Et hic interea notes illam particulam ὑπὲρ *hyper*, quae apud graecos scriptores vario sumitur significatu, non exprimere causam baptismatis, sive ablutionis, qua Corinthii se se lavarent ob illum nempe, qui mortuus erat, sive per tactum cadaveris, seu aliis de rationibus relatis ad eumdem mortuum, sicuti senserunt nonnulli, ex illis fortasse Moysis verbis allecti, dum in Lege ait (2): « Qui tetigerit cadaver hominis, et propter hoc septem diebus fuerit immundus; aspergetur ex hac aqua die tertio et septimo, et sic mundabitur. » De hoc praecepto non disserit Apostolus coram corinthiis, quum sermonem suum vertat ad christianos (uti paulo post discutietur) qui mosaicas hujus generis institutiones nesciebant.

Aliter ideo accipienda est particula *hyper* (sequente genitivo casu personae) sub significatu scilicet gratiae, sive favoris in aliquem, quasi diceret Apostolus: « Alioquin quid facient, qui baptizantur in gratiam, vel in beneficium mortuorum, si omnino mortui non resurgunt? » Et jure quidem ea particula *hyper* hunc sensum praefert; divus Paulus namque pluries suis epistolis illam (3) contulit, eadem interpretatione ditatam. Ad Colossenses scribit, et dicit Epaphram solicitum esse et laborare ὑπὲρ ὑμῶν pro vobis. Ad Philippenses dicit: « Semper in cunctis orationibus meis ὑπὲρ pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens. » Ad Corinthios scribit: « Et superimpendar ipse ὑπὲρ pro

(1) 1. Ad Corint. c. XV. 29. — (2) Num. c.XIX.11.12. —(3) Ad Colos. c.IV. 12.13. - Ad Philip. c.I.4. - 2. Ad Corint. c. XII. 15. Ad Rom. c. XV. 30.

animabus vestris. » Ad Romanos: « Obsecro ergo, fratres, per Dominum nostrum . . . . . ut adjuvetis me in orationibus vestris ὑπὲρ pro me ad Deum. » Et cetera similia, quae in dictis et aliis Apostoli epistolis occurrunt, et idem plane sibi volunt. Ea igitur verba: « Qui baptizantur pro mortuis » humanitatis actum exprimunt, quem vivi explebant pro defunctorum animabus juxta exemplum Christi, qui dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis.

His expositis de vocabulo *hyper pro*, decernatur quibuscum Apostolus loquebatur, dum ea edisserit verba. Juxta ea, quae antea dicuntur, Paulus vertit sermonem ad christianos, quorum nonnulli, etsi doctrina Evangelii imbuti, vanis tamen ethnicorum opinionibus innixi, mortuorum resurrectionem negabant. Et hoc aperte eruitur e verbis ejusdem, qui paulo ante dicit: « Si autem Christus praedicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? » dictiones: « Quomodo dicunt in vobis » referuntur ad christianos, qui jam in Christum crediderant; eadem ratione et ea quae sequuntur paulo post: « Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, » de iisdem christianis dicuntur, veluti scripsisset Apostolus: « Alioquin quid facient illi in vobis, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? » Et quamvis ii christiani resurrectionis doctrinae mentirentur, tamen non desierant se se pro mortuis baptizare; et ideo Apostolus arguit eorum vanitatem, et errorem, quum frustra se se pro mortuis baptizarent. Quae utilitas ex eo opere, ait, si mortui non resurgunt? Doctissimus Salmeron in illa Apostoli verba, aliud testimonium addit, quo roboratur haec interpretatio, notans aliquos graecos codices legere loco: « Ut quid baptizantur pro illis » ut quid baptizamur pro illis, » et ad se ipsum, Paulum et ad fratres christifideles convertere sermonem. Quae verba, ut concilii tridentini theologus ait, efficacius comprobant ea, quae dicimus, scilicet Apostolum loqui de christianis haereticis; et amplius obsequuntur verbis sequentibus: - Ut quid periclitamur omni hora. » Chrysostomus idem sentit, et dicit non ethnicos, sed christianos e gentibus conversos spectare apostolica verba. Et hoc quoque firmant Hammondius in paraphrasi novi Foederis cum notis Clerici, et Junius, et Lightfootus, quamvis deinde, ut par est, aberrent ab ea, quam instituturus sum interpretationem.

Nunc disquirendum superest quid sibi velit vocabulum *bapti-*

santur, et quali significatione ibi sumatur ab Apostolo. Vox latina *baptizo* e graeca origine βαπτίζω vulgo dicit *intingo*, *lavo;* et communis habetur tam apud profanos, quam sacros auctores. Sed cum in divinis libris, et in ecclesiasticis scriptoribus, significatione quodammodo variet a ceteris, et latiori sensu accipiatur, ex iisdem explicanda est. In versione Septuaginta interpretum occurrit hoc vocabulum, et sensum profert *abluere*, *lavare*, simpliciter dictum de lotione corporis, maculis sive morbu laborantis, uti ex. gr. in libro Judith : (1) « Et exibat noctu et ἐβαπτίζετο, baptizabat se in fonte aquae. » Naaman syrus ivit et ἐβαπτίσατο lavit se in Jordane. Item in Ecclesiastico (2) βαπτιζόμενος qui baptizatur a mortuo, et rursus tangit eum, quid proficit lavatio illius? » Certum sane est quidcumque exprimeret illud baptisma, sive intrinsecam, sive extrinsecam munditiem in veteri Testamento, expleri idem reali corporis lotione in aquis; quod ita non sumitur ubique in novi Foederis Scripturis; et ideo accuratius illud vocabulum ibi a nobis animadvertendum est. Dominus noster baptismatis Sacramentum instituit primum et necessarium aeternae saluti, et eo abluendas esse dixit gentes omnes, quae credidissent : « Euntes ergo, ait Apostolis per Matthaeum, docete omnes gentes baptizantes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. » Et apud Marcum inquit : « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit. » In significatione vero propria hujus vocis *baptisma* (quae idem valet ac lotio, quum reapse corpus aqua intingebatur, ex quo theologi illud vocarunt signum sensibile) sensus alter celabatur mysticus, quo non corporis humani significatur ablutio, sed expiatio spiritus, qui est in homine, idest remissio omnium peccatorum. Et haec omnia obtinentur per merita Passionis Christi, qui in humani generis reparationem aeterno Patri se se obtulit hostiam salutarem. Sub hoc porro significatu saepissime in scriptis apostolicis legitur, de quo nihil est, ut plura addantur.

Alias Apostoli sub simplici ablutionis explicatione sumpserunt vocem *baptisma*, juxta nuper dictum sensum in veteri Testamento traditum. In Evangelio divi Marci dicuntur judaei, et pharisaei, nisi baptizentur, sive nisi laventur, non manducare. Similiter (3) legitur de baptismate calicum, et urceorum. Item Paulus ad He-

(1) Judith. c. XII. 7. juxta 70. — (2) Eccles. c. XXXIV. 30. — (3) Marc. c. VII. 5.

braeos pluta lustrationis genera, et lotionis, a Moyse instituta colligit sub his verbis καὶ διαφόροις βαπτισμοῖς, i.e. variis baptismis, quibus se se maculis abluebant hebraei. Item alterum aquae baptisma objicitur a Joanne Baptista, qui in deserto praedicabat, ut ait divus Marcus (1) : « Fuit Joannes in deserto baptizans, et praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum. » Sed hoc, baptisma poenitentiae tantum erat, praeparatio nempe Christi baptismatis, qui baptizaturus erat in Spiritu Sancto.

Sed praeter enumeratos sensus, aliam quoque sub se vox *baptisma* celat interpretationem, quae omnino differt ab illis supra traditis. Et probatur ex verbis ejusdem Marci in Evangelio, (2) ubi Jesus filiis Zebedaei in regno suo ad dexteram et sinistram illius sedere cupientibus, respondit : « Potestis bibere calicem, quem ego bibo ; καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθήσεσθαι i. e. Et baptismo, quo ego baptizor, baptizari ? » Non est dubitandum, quin in hoc Christi responso decernatur Passio Domini nostri. Calix, quem Jesus bibit, et baptisma, quo ipse baptizatus fuit, erumnae, tormenta, probra, crux tandem et mors erant, quibus ipse baptizandus foret pro homine. Idem vocabulum, sademque significatione ditatum confert Christus apud Lucam (3) : « Baptismo autem habeo baptizari ; et quomodo coarctor usque dum perficiatur ? » Pari mente loquitur Apostolus ad Romanos (4) : « An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus ? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem etc. » Alibi ad Colossenses scribit (5) : « Consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis. » In omnibus his locis dictio *baptisma* secum confert significationem non lotionis, sive per aquam lustrationis, sed indicat omnem Christi Redemptoris Passionem, e cujus meritis peccata omnia remittuntur hominibus.

His variis baptismatis interpretationibus censitis, quaenam ex his aptatur divi Pauli verbis scribentis ad Corinthios : « Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt ? ut quid et baptizantur pro illis ? » Neque de Joannis baptismate, quod veluti praeparatio erat Christi baptismi, neque de judaeorum baptismatibus, sive lotionibus super mor-

(1) Marc. c. I. 4. — (2) Idem. cap. X. 38. — (3) Luc. cap. XII. 50. — (4) Ad Rom. c. VI. 3. — (5) Ad Coloss. c. II. 12.

tuos in Lege Moysis institutis, dicit Apostolus. Cum enim ibi christianos ex semine Abraham haud argueret Paulus, sed illos, qui ex ethnicis erant, potissimum alloqueretur, nunquam in resurrectionis argumentum sumpsisset Apostolus veteres hebraeorum institutiones, quas ipsi ignorabant. Neque de baptismi Sacramento ab eodem Christo instituto dicitur, quod semel et non iterum conferendum erat, neque pro mortuis omnino suscipiendum a christianis. Neque his verbis Apostoli congruit, quod autumarunt nonnulli, in iis nempe argui doctrinam haereticorum Cerinthi et Marcionis. Scribit Epiphanius, plures ex cerinthianis, et marcionitis pro aliis, qui sine baptismo excesserant, baptizatos esse, et hoc dicit Sanctus ex majorum traditione, qui citata verba: « Quid facient qui baptizantur pro mortuis? » de Cerinthi errore Apostolum scripsisse asserebant. Sed hoc non probatur. Primum, non putandum est Apostolum articulum fidei propugnantem, illum ex pseudo-christorum errore comprobasse, quin et ipse aliis verbis innueret, et explanaret fidelibus hunc de iteratione baptismi errorem. Insuper si ita esset, dicendum foret fidelium corinthiorum errorem de resurrectione mortuorum emendasse Paulum, sumpto themate ex altero errore, quo Corinthii revera pro mortuis iterarent baptismum, quod nequidem excogitandum est; quinimmo in iis litteris Paulus fidem de resurrectione comprobasset coram suis, ac una de renovatione baptismatis errorem arguisset. Tandem vix constat ex ecclesiasticis historicis, Pauli aetate, ejusmodi baptisma explevisse Cerinthum suosque commilitones, eo magis quod iidem, haeresis initio, minime mentirentur communi corporum resurrectioni. (1)

De ea igitur baptismatis specie, quo Christus pro salute humani generis baptizatus fuit, videtur locutus Apostolus corinthiacis. Quemadmodum nempe Christus Jesus, uti dicitur in Evangelio, et in ejusdem Pauli epistolis, semetipsum baptizavit passus

(1) Certum quidem est, neque Marcionem, neque Cerinthum in illis verbis, animadvertisse Apostolum. Cerinthus enim vixit, et docuit initio saeculi christiani secundi; et Paulus ad Corinthios primam epistolam scripsit anno Redemptionis 51. seu 53. Fieri ergo non potuit, ut Paulus cerinthianos redargueret in illis litteris. Insuper notandum est, Cerinthum nequaquam mentitum esse corporum resurrectioni, quinimmo eam probasse suis institutionibus, cum et ipse docuerit Christum Jesum in terram reversurum fuisse; ibique eum et universim discipulos suos, per mille annos, omnibus fruituros carnis voluptatibus.

pro nobis, scilicet, qui opprobria, vexationes, plagas, crucem et mortem sustinuit in omnium culparum nostrarum expiationem; ita et nos pro mortuis baptizamur, idest maceramur in hac vita jejuniis, eleemosynis, peregrinationibus, precibus, aliisque hujus generis pietatis operibus pro defunctis. Et ideo, si apostolicae sententiae acceptetur hujusmodi interpretatio, jure dixisset Paulus corinthiis, frustra illos laborasse pro mortuis, cum et ipsi ad novam vitam non resurgerent.

Eo autem facilius humanae menti aptatur haec verborum Apostoli explanatio, quo magis communis probatur latus baptismatis significatus non solum in scriptoribus novi Foederis, verum etiam in veterum patrum scriptis, qui illud dixerunt sanguinis baptisma, quo intingebantur martyres pro Christi fide, scilicet qui tormentis variis excruciati, mortem subierunt. Item alter poenitentiae baptismus vocatur a Gregorio nazianzeno oratione XXXIX, ubi disserens de varia baptismatis significatione, eam adnectit, et vocat baptismum poenitentiae, sive lacrymarum; ut ex. gr. baptisma Davidis, Manassis, et ninivitarum, qui preces, jejunia, et alia humilitatis genera subeuntes, Dei gratiam consecuti sunt. Origenes in Exhortatione ad martyrium, verba Christi interpretatus: « Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur, » scribit: « Attende etiam, num martyrii nostri baptisma, ut illud Christi, mundi purgatio fuit, multorum fit etiam purgatio, qui per id lustrantur. » Ita et illi, qui baptizantur, idest macerantur pro mortuis, ut dicit Apostolus, defunctorum animas lustrant. Pluries Origenes sub hac significatione sumpsit vocabulum *baptisma*. Item Augustinus Quaest 83. in verbis *baptizantur pro mortuis*, etsi absit quodammodo e citata expositione, tamen illud *baptisma* de afflictionibus interpretatur, et de carnis nostrae mortificationibus: « Idest, ait, pro peccatis nostris baptizamur, idest affligimur. » Ita Franciscus Junius aliique ex acatholicis exposuerunt. Et sub eodem sonu acceperunt pariter, et apertius Tertullianus et Ephraemus syrus, qui, cum plura conferant de hac re, ac una de citatis Apostoli dictis, singillatim expendendi sunt.

Tertullianus, qui, ut infra dicetur, expiationis locum in altera vita, et vivorum pietatis officia pro illis, firmat et docet; bis in suis scriptis libro v. contra Marcionem, et de Resurrectione, pertractat Pauli argumentum in illis verbis: « Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resur-

gunt ; » cujus interpretationes cum valde commendentur, sedulo ponderandae sunt. Primum, Tertullianus libro de Resurrectione scribit : « Si autem, et baptizantur quidam pro mortuis, videbimus an ratione ; certe illa praesumptione hoc eos instituisse contendit, qua alii etiam carni, ut vicarium baptisma, profuturum existimarent ad spem resurrectionis, quae nisi corporalis, non alias hic baptismate corporali obligaretur. Quid et ipsos baptizari, ait, si non quae baptizantur, corpora resurgunt? Anima enim non lavatione, sed responsione sancitur. » Etsi difficilis ejusmodi elocutio, tamen clarius idem Tertullianus in libro v. contra Marcionem hunc Apostoli baptismum interpretatur, cujus interpretationis sensus cum nonnullos latuerit, ausi sunt ob hoc reprobare Bellarmini et aliorum piorum virorum sententias de his Apostoli verbis collatas. Scribit enim : « Revertamur nunc ad resurrectionem, cui et alias quidem proprio volumine satisfecimus, omnibus haereticis resistentes, sed ne hic desumus propter eos, qui illud opusculum ignorant : - Quid, ait, facient, qui pro mortuis baptizantur, si mortui non resurgunt ? - : Viderit institutio ista. Kalendae si forte februariae respondebunt illi pro mortuis petere. Noli ergo Apostolum novum statim auctorem, aut confirmatorem ejus denotare, ut tanto magis sisteret carnis resurrectionem, quanto illi, qui vane pro mortuis baptizarentur, fide resurrectionis hoc facerent etc. » Certum quidem est et patens, mentem Tertulliani in ambobus locis citatis versari in refellendo Marcionem, qui Pauli Apostoli verbis innixus, iterandum esse baptisma asserebat. Et ob hoc Septimius docet, prorsus aliter sumenda esse apostolica verba, quam haeretici vellent ; ac potius ex iisdem statuit pro defunctis preces, et scribit : « Viderit institutio ista. Kalendae si forte februariae respondebunt illi pro mortuis petere. » Quid sibi velint *hae Kalendae februariae* et *pro mortuis petere*, et quomodo conformentur dictis Apostoli *baptizantur pro mortuis* juxta institutam interpretationem, consulantur veteres scriptores latini et graeci. Ovidius initio libri II. Fastorum, ita de mense Februario cecinit :

« Post superum cultus vicino Februa mense
Det Numa cognatis manibus inferias.
Februa romani dixere piamina patres,
Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem.
Pontifices a rege petunt, et flamine lanas,
Quaeis veteri in lingua Februa nomen erat. . . . .

Ipse ego Flaminiam poscentem Februa vidi;
Februa poscenti pinea virga data est.
Denique quodcumque est, quo corpora nostra piantur,
Hoc apud intonsos nomen habebat avos.
Mensis ab his dictus; secta quoque pelle Luperci,
Omne solum lustrant, idque piamen habet;
Aut quia placatis, sunt tempora pura, sepulchris,
Tunc cum ferales praeteriere dies.
Omne nefas, omnemque mali purgamine causam
Credebant nostri tollere posse senes.
Graecia principium moris dedit: illa nocentes
Impia lustratos ponere facta putat.
Actoridem Peleus, ipsum quoque Pelea Phoci
Coede per Emonias lavit Acestus aquas. »

En congruam interpretationem verborum Tertulliani de Kalendis Februariis, et quomodo ea aptetur dictis Apostoli. Cicero libro II. de Legibus dicit: « Februario mense, qui tunc extremus anni mensis erat, mortuis parentari voluerunt. » Augustinus libro VII. de Civit. Dei. c. 7. « Ideo Terminalia eodem mense februario celebrari dicunt, cum fit sacrum purgatorium, quod vocant februum, unde mensis nomen accepit. » Item Curtius, Varro, Macrobius loco *expiare, lustrare mortuos* dixerunt *februare,* seu *Februa poscere.* Hoc vocabulum a Plutarcho in Quaestionibus Romanis ita transfertur, « Τὸν δὲ φεβρουάριον δωδέκατον, ἐν ᾧ καθαρμοῖς τε χρῶνται, καὶ τοῖς φθιμένοις ἐναγίζουσι τοῦ ἐνιαυτοῦ τελευτῶντος, i. e. Februarium duodecimum (mensem) quo lustrationibus utuntur, et mortuis parentent, anno desinente. » Tertullianus ergo graeca animadversa significatione *baptizantur pro mortuis*, jure ei contulit latinam dictionem *februare*, sive *poscere februa,* quae idem valet ac illud vocabulum commune antiquis et nobis *expiatio,* quae a vivis pro defunctis persolvitur; seu, ut vulgo dicitur, *parentare.* Insuper graeci scriptores loco *parentare*, seu *justa mortuis solvere* dixerunt ἐναγίζειν *enaghizin*, ut ex his Plutarchus ceterique. Ex hoc porro fit, ut, si advertas simplicem graecorum verborum sonum *baptizin* et *enaghizin,* et latinorum *expiare, lustrare, baptizare, februare,* idem sonent; si vero junxeris illis vocabulis vocem *mortuos*, latiorem praebeant significatum; et aeque apud utrosque, omnes variosque ritus capiant, quos vivi explent pro defunctis. Et cum ita se habeat *baptizin* in sensu expiandi, sicuti alterum graecorum *enaghizin,* nullimode ambi-

gendum existimo Apostoli verba praeseferre interpretationem *mortuis parentare*, prout innuit Tertullianus; eo magis quod et alibi Paulus, et Christus Jesus in Evangelio, ejusmodi pro aliis expiationem appellaverint *baptisma*.

Septimium vero notes, dum ea edisserit verba, interpretationem praebere apostolicae sententiae, sumpta similitudine ex ethnicorum latinorum phrasi, non autem ibi probare gentium ritus tum cum defunctis solverent justa. Ratio enim, et consuetudo christianorum hos actus perficiendi omnino differunt ab inferiis quas faciebant graeci atque romani. Paulo post autem, quid ipse Tertullianus senserit de Purgatorio in altera vita, et quomodo Ecclesia Catholica animabus defunctorum suffragetur, patefiet. Interea satis sit demonstrasse Apostoli mentem, dum scripsit: « Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? » et quomodo Tertullianus recte interpretatus sit illa Apostoli verba. Beatus Ephraemus quoque in suo testamento, quod legitur inter scripta graeca, Pauli sententiam hac eadem interpretatione donavit scribens (1): « Si ergo mortui non adjuvantur, qua de causa Amramides illum benedixit; et si defuncti sensu carent, audi Apostolum quid dicat: Quod si non resurgunt mortui, ad quid baptizantur pro illis? »

Censitis ita divi Matthaei, et Pauli Apostoli verbis, de expiationis loco in altera vita; notandum est eos, qui ita scripserunt, noluisse novam condere doctrinam praeter eam, quae jam antiquitus instituta fuerit de hoc fidei articulo. Cursim enim ipsi ut par erat, et fortuito locuti sunt de Purgatorio, et de vivorum operibus ad levandas animas defunctorum, quae in eo macerantur. Matthaeus hoc innuit pertractans de peccato in Spiritum Sanctum. Paulus item probans mortuorum resurrectionem, praeter alia argumenta, ex eorumdem christifidelium actis pro defunctis, hanc doctrinam propugnat. Neutri vero hoc dogma peculiari disquisitione aggressi sunt instituendum, cum jam antea omnibus vulgatum esset, partem constituens praecepti caritatis, cujusque cordibus inscripti, quod jam innotuit Patriarchis, firmatum in Lege, et instauratum a Christo in illis verbis: « Diliges proximum tuum sicut te ipsum. » Nonne et hoc idem egerunt Apostoli et discipuli Domini, sibi commendantes ad invicem pacem et caritatem? Paulus ex. g. sive ad Romanos, sive ad Corinthios,

(1) Tom. II. p. 401.

sive ad Galathas, sive ad quoscumque alios scribens, illos rogat ut pro se proque aliis preces ad Deum effundant. Romanis enim dicit (1) : « Obsecro vos . . . . ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum. » Et ad Corinthios (2) : « Adjuvantibus et vobis in oratione pro nobis ». Ita vero Apostolus neque docet, neque imbuit fratres suos, quasi his praeceptis non essent assueti, sed veterem consuetudinem jam inter homines firmatam indicat, et petit ut eam perpetuo excolant inter se. Ita factum dicendum est circa preces, jejunia et alia pietatis officia excolenda pro defunctis a vivis, nec novo praecepto informatis, sed jam hoc edoctis e consuetudine, et lumine mentis duce (3).

§. VIII. Adeo autem ea patent, ut discipuli apostolici, et primaevi Ecclesiae patres, sicubi de hac pia institutione verba fecerint suis in libris, ut consuetudinem universim a christianis servatam tradiderunt, quae eo majoris momenti habetur, quo pariter eam contestati sint omnes, tum ii, qui ex judaeis, tum ii, qui ex ethnicis erant, fideles, nullis obstantibus ; siquidem hanc ut legem in seipsis inveteratam noverunt et expleverunt, cui nemo contradixit. E scriptoribus vetustis ecclesiasticis, qui hanc memorent, Tertullianus, in cujus vita nonnulli Apostolorum discipuli superstiterant, tradit sua aetate mortuos expiasse Mauritaniae christianos. In libro - De Monogamia - c. x. « Enim vero, scribit et orat pro anima ejus (viri), et refrigerium interim adpostulat ei, et in prima resurrectione consortium, et offert annuis diebus dormitionis ejus. » Ibi non tantum consuetudo pro mortuis precandi excipitur, verum etiam ob hoc dies anniversaria decernitur. In capite xi. - De Exhortatione castitatis - post primum matrimonium ad maritum loquitur : « Neque enim pristinam poteris odisse, cui etiam religiosiorem reservas affectionem, ut jam receptae apud Dominum, pro cujus spiritu postulas, pro qua oblationes annuas reddis. » His praemissis satius exponitur, qua mente dixerit nuper expensam sententiam Tertullianus : « Viderit institutio ista ; kalendae si forte februariae respondebunt illi pro mortuis petere. » In libro de Corona, asserens statuta earum rerum, quae non erant scripta, accipienda esse etiamsi solius traditionis titulo, et patrocinio consuetudinis, inter alia capita numerat

(1) Ad Rom. c. XV. 30. — (2) Ad Carint. 2. c. 1. II. — (3) De his confer quae nuper edidit clarissimus vir P. L. B. Drach in opere inscripto De l' armonie entre l' Eglise et la Synagogue etc. to. 1.pag. 5. et ultra.

oblationes prò defunctis. Labente saeculo secundo, Hippolytus tradit capita canonum, quibus Aethiopes christiani utuntur; quos canones vulgarunt Joannes Michael Wanslebius in libro de Ecclesia Alexandrina, et Guillelmus Whistonius in volumine tertio operis de Primitivo Christianismo. In canone 33. legitur: « Mortuorum fidelium commemorationem singulis diebus faciendam, excepta die dominica. » Paulo post Cyprianus suo, et carthaginensis concilii nomine, in episcoporum memoriam revocat decretum. » Quo, si quis frater clericum tutorem nominasset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. »

Origenes, Homilia XXVIII. in Numeros, ita de loco Purgatorii arguit: « Quemadmodum circa Hierusalem aliae civitates sitae erant, et vici, et diversae quoque regiones; ita et coelestis illa Hierusalem secundum imaginem terrenorum, habet circa se alias civitates ac vicos diversasque regiones. » Et ubi dixit descripta libro Numerorum, umbram quamdam esse futurae sortis in coelis addit: « Sunt enim fortasse aliqua peccata, quae si proposito ac voluntate commisimus, homicidas nos faciunt; et sunt alia, quae si ignoranter committimus, decernitur nobis, credo, et praeparatur ex praecepto Dei locus aliquis, ubi ad certum tempus habitare debeamus, si quae non voluntaria peccata commisimus; si tamen mundi inveniamur ab iis peccatis, quae voluntate commissa sunt, et ob hoc secernuntur quaedam civitates ad refugium. » Alibi pluries Origenes innuit hunc expiationis locum in altera vita; etiamsi dictiones ejus de hac re obscuritate quadam laborent.

Non est autem, ut hujus doctrinae testem revocem sanctum Augustinum, qui hoc idem firmavit ex auctoritate traditionis in Sermone XXXIII. « Orationibus vero Sanctae Ecclesiae, et sacrificio salutari, et eleemosynis, quae pro eorum spiritibus erogantur, non est dubium mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a patribus traditum, universa observat Ecclesia, ut pro eis, qui in corporis et sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. » Ita senserunt christiani Aethiopiae, Aegypti, et Mauritaniae, ex quo in Africa praedicatum fuit Christi Evangelium.

§. IX. In ultimis orientalis Asiae finibus Ephraemus syrus, qui

vixit initio saeculi IV., hoc pium opus commendat fratribus juxta veterem consuetudinem in Ecclesia, de fine vitae suae locutus (1): « Accedite fratres, inquit (et ita sonat textus syrus) extendite, sive componite me, quoniam statutum est, et non permanens ego, et viaticum suppeditate mihi in orationibus, in Psalmis, et oblationibus. Et cum completi fuerint mihi triginta (dies) facite fratres mei memoriam, quoniam adjuvantur, qui mortui sunt, in oblationibus, quas viventes peragunt... Quod si viri Mathathiae qui in mysterio tenebant ordinationes, sicut legistis, delicta eorum expiaverunt in oblationibus, qui ceciderant in bello, et inquinati fuerant in operibus suis, quanto magis sacerdotes filii (Dei) expiant peccata mortuorum in oblationibus eorum sanctis, orisque sui orationibus. »

Eusebius in Palaestina, Caesaraeae episcopus, qui omnia evolverat primaevae Ecclesiae monumenta, suis scriptis memorat hanc vivorum pietatem erga defunctos, veluti in ecclesiis frequentatam. Sub dimidium saeculi IV. (2) de morte Constantini tradit: « Sed cum is (Constantius filius) jam cum reliquis militum cohortibus secessisset, aderant Dei sacerdotes circumfusi turba, ac universo pietatis studioso populo, a quibus divinus per preces cultus adhibitus est. Hoc igitur loco, excelso solio jacens beatus princeps gloriose praedicabatur. Jam populus frequens una cum sacerdotibus, non sine lacrymis, et sane magno cum gemitu, preces pro anima imperatoris Deo fundebat; in quo et illi gratum atque optatum pio principi officium praestabant etc. » Hujusmodi Constantinopoli christianorum conventus in imperatoris obitu, precesque unanimes pro ejus anima coram Deo effusae sat hujus piae et vetustae consuetudinis sunt argumentum, quam Cyrillus Hierosolymorum episcopus firmat cathechesi v. ubi preces assignat pro defunctis sanctis patribus, et episcopis, et addit: « Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen. »

Epiphanius Cypri hanc piam institutionem docet et contra adversarios vindicat. Notat enim Haeresi 75. Aerii verba dicentis: « Orat enim vivus, aut dispensationem facit, quid profuit mortuo? Ex his verbis innuitur ex initio saec. IV. invaluisse in regionibus Ponti, ubi Aerius degebat, dogma de precibus pro defunctis.

(1) Tom. II. p. 401. inter scripta ejus graeca. — (2) Euseb. de vita Constant. lib. IV. c. 71.

Contra ipsum, inquam, Epiphanius hanc doctrinam inculcat, et in expositione Catholicae fidei §. 23 : « Jam vero, ait, quod ad mortuos spectat, nominatim de illis mentio fit, et preces, et sacrificia, mysteriaque frequentantur. » Hoc etiam ex veteri consuetudine divus Chrysostomus (1) in epistolam ad Corinthios adstruit, et saepe in suis libris de eo loquitur, idque Constantinopoli et Antiochiae praedicavit. Et ita docuerunt sancti viri in variis Asiae provinciis.

§. X. In Europa denique viri evangelico lumine imbuti, pari ratione ac fide hoc pium opus docuerunt, et perfecerunt. Libellus, qui nomen profert Traditionis apostolicae, et divo Hippolyto nuncupatur (2) (profecto ob scripti graeci antiquitatem magni faciendus) in capite XXIII. statuit : « Quod spectat ad mortuos, celebretur dies tertius in Psalmis et precibus ob eum, qui die tertia resurrexit. Item dies nonus in recordationem superstitum, et defunctorum, atque etiam quadragesimus juxta veterem typum ; Moysem enim ita luxit populus. Denique anniversarius dies pro memoria ipsorum. Ex bonis vero detur pauperibus ad illorum commemorationem. » Purgatorii locus in altera vita, et pro defunctis preces comprobantur ex Actis sanctae Perpetuae, ubi legitur ea, in visione inspexisse Dinocratem fratrem suum jam mortuum in tenebroso loco aestuantem, et sitientem, ex qua experrecta cognovit fratrem suum laborare. Sed confidens ei profuturam orationem suam, oravit pro eo omnibus diebus, quo usque transiit in carcerem castrensem. Ibi denuo in visione ostensus est frater ejus mundus corpore et refrigerans, et intellexit eum esse de ea poena translatum in vitam beatam. Hoc testimonium profert Augustinus Orsi, in libro de Orthodoxia Ss. Perpetuae et Felicitatis et sociorum, vindicata contra Basnagium ; cap. V. §. 5.

Saeculi tertii exitu, Arnobius contra Gentes, libro quarto de fine, ait : « Nam nostra quaedam scripta cur ignibus meruerunt dari ? Cur inaniter conventicula dirui, in quibus summus oratur Deus, pax cunctis, et venia postulatur magistratibus, exercitibus, regibus, familiaribus, inimicis adhuc vitam degentibus, et resolutis corporum vinctione ? » Ineunte saeculo quarto, Ambrosius Mediolani episcopus in oratione funebri Valentiniani im-

(1) Tom. X. Hom. 41. Edi. Montfau. — (2) Inter scripta s. Hippolyti, edit. Hamburgi 1716. p. 256.

peratoris, ita dē eo ac fratre suo clamat: « Beati ambo, si quid orationes meae valebunt, nulla dies vos silentio praeteribit. Nulla inhonoratos vos mea transibit oratio. Nulla vox non donatos aliqua precum mearum contextione transcurrit. Omnibus vos oblationibus frequentabo. » Divus Hieronymus (1) in morte Fabiolae exequias et Psalmos memorat, quos populus in funere illius canebat. Alibi ad Pammachium in morte Paulinae uxoris suae dicit: « Ceteri mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos, et dolorem pectoris his officiis consolantur. Pammachius noster sanctam favillam ossaque veneranda, eleemosynae balsamis rigat. His pigmentis atque odoribus fovet cineres quiescentes, sciens scriptum: - Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna peccatum. » De concilio carthaginensi anno 397., et de antiquis liturgiis et Orientis Occidentisque Ecclesiae, ubi haec eadem praescripta sunt, sileo; satis hucusque censita habeto. Cum ergo ita se habeant hebraeorum et Scripturae et patrum veterum Ecclesiae testimonia de expiationis loco in altera vita et de vivorum suffragiis pro defunctis, nec contradictorium eruitur, quod dicit auctor Machabaeorum, nec respuendum, quod firmavit deinde Ecclesia Catholica (2).

(1) Hieron. Epist. 66. et 77 edi. Veronae.

(2) Non solum hebraei et christiani hoc expleverunt et docuerunt, verum etiam et ethnici, uti eruitur a fastis eorum; cujusque gentis, et cultus, et aetatis ipsi sint, ac dissitissimis regionibus degant, hunc locum, et pietatis sensum erga defunctos produnt, ac variis modis (etsi aliquando nefandis) perficiunt. Ovidius, ut in citato carmine legistis, quasi veterem hanc graecorum et romanorum institutionem canit. Achilles, Iliadis XXIII., luget Patroclum, et funebres epulas praebet. Plato (ut videre est apud Euseb. Praep. Evan. lib. XI. c. 20.) expiationis locum in altera vita ita astruit: « Haec cum ita se habeant, cum defuncti ad eum locum devenerint, quo deportantur, primum dijudicantur, quinam juste, et quinam contra vixerint; et siqui videbuntur medio quodam modo vixisse, in vehicula scandunt sua, et per Acheronta in paludem deferuntur, ubi gravi supplicio depurgantur; et postea liberati, honores consequuntur secundum benefactorum suorum dignitatem. »

Sed et apud indos consuetudo pro mortuis orandi, nunc temporis perstat, uti narrat Aloisius Tassis e Soc. Jesu, testis hujus rei oculatus (Annali della Propagazione della fede fasc. 87. p. 93.) « In quibusdam, ait, indorum tribubus viget mos sane celebrandus. Cum quis morbo laborans, morti luctatur, affines omnes cubili illius adstant. Et ubi infirmus postremum efflavit spiritum, genuflectunt omnes pro illius anima oraturi, quo expleto, luctu cum amicis navant operam usque dum funus comitantur ad sepulcrum, ubi ei ultimo valedicunt. »

Musulmani hac eadem de causa *suras*, seu capita quaedam Corani reci-

Insuper, quoad Apostolorum doctrinam, si in una tantum regione sive provincia, sive speciali orbis christiani ecclesia reperta et praedicata fuerint talis de Purgatorio fides et pia vivorum institutio pro mortuis orandi; tunc quodammodo, seu de his dubitandi, vel negandi, aliquis subiret praetextus. Sed id de hoc argumento dici nequit. Expiationis locum in altero saeculo, et vivorum pietatem in animas defunctorum, ex Apostolorum obitu, in Africa christiani aethiopes, aegyptii, et maurusiaci una mente, et una fide praedicarunt, ut supra dictum est. In Asiae provinciis, in Palaestina Eusebius, et Cyrillus, in Syriae orientalis finibus Ephraemus, in Cypro Epiphanius, in Syria occidentali Chrysostomus aliique idem expleverunt, et docuerunt. Item in Europa, Romae, ubi vox Petri resonuit, et veritas traditionis solidatur, Hippolytus, Acta Ss. Felicitatis et Perpetuae, et Arnobius, aliisque in Occidentis provinciis Ambrosius, ceterique explere. Maxime autem notatu dignum in recitatis primaevorum patrum testimoniis est, nullum hanc doctrinam aggressum esse investigandam, sive firmandam; sed omnes, ut actum universim in omnibus orbis christiani ecclesiis ratum, et expletum contestatos, simpliciter, et obiter, prout casus, et circumstantiae expostularunt, de hoc locutos esse. Insuper, memorati viri valde inter se divisi, et sermone alieni, et tam dissitas regiones incolentes, vix uni de alterius existentia certiores, quomodo poterant una convenire hujusmodi causa instituendae doctrinae? et maxime illos, inquam, qui synodum nicaenam praecesserant?

§. XI. Neque tandem excogitandum est, hoc fecisse christifideles ex quadam consuetudine variis gentilium circa mortuos praestigiis vincta; ab his enim valde abhorrebant christiani, et fieri omnino non poterat, ut sacrosanctum Eucharistiae Mysterium tam ludricis ethnicorum ritibus pollutum, offerretur Deo a christianis. Nulla, inquam, ethnicorum consuetudo, nec viri

tant, et cum paupere manducant. In litteris, insuper, Reverendissimi Trioche Babylonis episcopi (Annali, ut supra, fasci. 92. p. 34.) legitur: « Il *Ramadan* è un mese di penitenza; ed alle guide non piace molto di viaggiare digiune; che se spunta al fine la nuova luna annunziatrice del di lui termine; ecco sorge il dì consacrato alla preghiera pei morti, ed ogni pio Musulmano va debitore di una visita alle tombe degli avi. »

Quomodocumque vero hi ethnicorum, et turcarum actus erga defunctos sese habeant, putandum quidem est, eos hujusmodi actionibus, credere, vivos posse mortuis suffragari

commentum, nec vitae praesentis utilitas in hoc pio opere reperienda sunt; sed vox, et sonus Apostolorum, qui in omnem terram exivit unitate sermonis et fidei, et ex Europae finibus ad ultimas Asiae extremitates, et in omnes Africae oras venit, de expiatione pro mortuis deque in altera vita loco, ubi defunctorum animae torquentur. Et ideo jure Chrysostomus in epistola ad Corinthios Hom. 41. dicit: « Neque abs re is, qui adstat altari, dum veneranda peraguntur Mysteria, clamat pro omnibus, qui in Christo dormierunt, et iis, qui pro ipsis celebrant memorias. Nam si pro ipsis non fierent commemorationes, nequidem haec dicta essent. Non enim sunt res nostrae ludi scenici; absit. Haec namque fiunt ordinatione Spiritus .... Ne sane nos pigeat iis, qui excesserunt opem ferre, et pro eis preces offerre. Haec enim constituta est universi orbis communis expiatio. » Et ejusdem coaevus Epiphanius contra Aerium ob hoc irruit, et scribit (1): « Sed his omissis, eo, unde diverteram, redeo; ac necessario facere illud Ecclesiam dico (de expiatione pro mortuis ait) quae traditum sibi ritum, illum a majoribus acceperit. Potest vero quisquam maternam sanctionem, aut legem patris evertere? quemadmodum a Salomone scriptum est: -Audi, fili, sermones patris tui, et ne repellas leges matris tuae-: ostendendo scripto et sine scripto docuisse Patrem, hoc est, Deum Unigenitum, et Sanctum Spiritum. Mater autem nostra Ecclesia habuit decreta in se ipsa statuta, quae dissolvi, neque everti nequeunt. Cum ergo statuti sint in Ecclesia termini, et bene se habeant, et omni admiratione digni sint, confutatus est rursus ille seductor. »

Et revera, (dum huic labori finem instituo,) quae Aerio objecit Epiphanius, optime quadrant etiam nunc temporis Ecclesiae Romanae adversariis, tum de iis, quae expiationem pro mortuis spectant, tum de aliis, quae ad Scripturas Deutero-Canonicas attinent. Ipsi enim immerito et gratis respuunt Sacramenta Dei, et Ecclesiae Romanae fidem. Perscrutati ipsi sunt verae religionis originem, et antiquitatem; optime et perspicue ab aliis, illius divinitatem secreverunt; Redemptionis Mysterium et Redemptoris adventum e libris propheticis pariter propugnarunt; illius conversationem in mundo, divinum et apostolicum ministerium ab eo institutum confessi sunt. E Scripturis evangelicis, quas ipsi ut divinas libero testantur, acceperunt Christi Ecclesiam

(1) Haeres. 57. seu 77. n. 8.

nunquam defuturam, neque plures, sed unam tantum Ecclesiam fore, uti divo Petro dictum est: « Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, » ac neminem extra se, nisi proprio, et gravi exitio relinquere. Apostolos insuper, et primaevos eorum discipulos, sive dissitos inter se, sive longinquos doctrinae christianae unitatem, ubicumque degerent, continuisse; et sive hebraei, sive gentiles forent, quivis Christum induerent, unum baptisma, unam fidem amplexatos, norunt; ac tandem ex illius ortu, per totum orbem ejus doctrinae unitatem admirati sunt. Et cur hodie veritates, quas ipsa docet et docuit, alias immutare, alias destruere, alias privatis sententiis variisque partibus subjicere, eisque formas diversas et ad invicem quoque oppositas, aptare juxta cujusque deliramenta viri? Sed undenam tot scissiones tot haereses?

Vos Ecclesiae Catholicae filii, in qua baptizati sunt patres vestri, et ex illius fonte biberunt aquas vitae, et cujus jurarunt audire vocem, cur tam audacter eam abjicitis, et spernitis? Haud negare valetis christiani nominis decus, vobis ab Ecclesia Romana collatum. Seniorum historiae vos arguunt; patrum vestrorum doctrinae judices vestri sunt. Evangelium Christi in illis provinciis satum, vestras illustravit mentes antea incredulitate rudes, omnisque eruditionis et humanitatis expertes. Et quis tam amplissima bona vobis comparavit? Apostoli Ecclesiae Romanae ejusdem, quae nunc temporis perstat. Beati illi viri, inquam, coelesti virtute praediti, ab universi orbis antistite, Christique Vicario legati, quem ipsi credebant et praedicabant, illas peragrarunt regiones captivantes intellectum gentium in obsequium fidei: « Interrrogate patres vestros, et ipsi docebunt vos. »

Nonnullae effluxerunt aetates, ex quo vos Ecclesiae Catholicae refractarii, vias percurrite dubias, nullam intuiti metam, huc illuc errantes, vestram scrutamini aliorumque perditionem. Progenitorum vestrorum monimenta legite, eorum testamenta consulite, ibique sentietis, immerito vos testatorum voluntatem immutasse, legis terminum vobis traditum variasse, foedusque denique cum Ecclesia corrupisse, quod ipsi tot vitae discriminibus, ac sanguinis quoque effusione consignaverant. Divinam Jesu Christi vocem audistis, qui ait: « Ego sum via, veritas et vita. » Ea veritas una et immutabilis est, nosque ita credere, illamque immutabilem servare gloriamur. Sed ita de vobis dici nequit.

Huic rei testimonium et vos perhibetis apertissime ejusmodi variis et peregrinis institutionibus.

Sed absit, ut Ecclesia Christi tot filiorum hodie exitium lamentetur, quorum patres olim tanto zelo, ejus unitatem, et sanctitatem vindicarunt. Disquisitiones vero vestrae, studia assidue impensa in sacris et profanis rebus, sollicitudo veritatis discendae, pietas vestra adhuc fere universim in omnium cordibus incalescens, ejusque premium in altera vita, auspicia satis fausta, brevi vos ad Ecclesiae Catholicae sinum reversuros, praebent. Ea enim quotidie reditum filiorum suorum peroptat, ac veluti evangelicus Pater de filio prodigo, sollicita longe prospicit, anxia eos videndi, eos complectendi, et cum ceteris filiis suis laetandi, quia hi filii mortui erant, et revixerunt, perierant, et inventi sunt.

EXPLICIT PARS TERTIA.

INDEX

PROPOSITIO I. *De Tobiae libro.* . . . . . pag. 1
PROPOSITIO II. *De libro Judith.* . . . . . » 12
PROPOSITIO III. *De additamentis Deutero-Canonicis in libro Esther.* . . . . . » 45
PROPOSITIO IV. *De libro Sapientiae vulgo Salomoni nuncupato.* . . . . . » 55
PROPOSITIO V. *De Sapientia Sirach, vulgo nuncupata* Ecclesiasticus. . . . . » 73
PROPOSITIO VI. *De libro Baruch et Hieremiae Epistola.* » 82
PROPOSITIO VII. *De Scriptis Deutero-Canonicis, quae in libro Danielis leguntur.* . . . . . » 97
PROPOSITIO VIII. *De Machabaeorum libri primi historia.* . . . . . » 107
PROPOSITIO IX. *De libro secundo Machabaeorum.* . » 122
PROPOSITIO X. *Sumpto themate ex Machabaeorum Scriptura, probatur fides hebraeorum, et christianorum de expiationis loco in altera vita; et pro mortuis vivorum preces instituuntur.* . . . . . » 140

IMPRIMATUR
Fr. Dominicus Buttaoni Ord. Praed. S. P. A. M.
IMPRIMATUR
Jo. Canali Archiep. Colossen. Vicesgerens.

IN PARTE PRIMA

Pag.	Lin.	ERRATA	CORRIGE
VIII	16	latinae	latina
XV	15	duobus	duabus
XVI	28	in emendatione Septuaginta	in editione 70. emendavit
XXIII	22	Pii V.	Pii IV.
XLIII	27	imitati	imitari
15	16	testimonis	testimonium
44	25	easque	eaque
78	30	illos rescinderunt	illas resciderunt
84	20	monacis	monachis
86	26	factus	factum
88	29	et	ut
ib.		cum	cum ab
92	39	c. XXXVI.	c. XIII.
109	35	praetergressi	praetergressis
122	12	reversus	reversos
135	3	ellenica	hellenica; item alibi
ib.	36	incensum	incensus
ib.	37	librorum	accurate
144	26	quas	quos
153	2	quinam	quaenam
158	36	martyrem	doctorem
163	26	extra Canonem habebantur. »	. » Et extra Canonem etc.
168	40	publicis	publici
196	36	occultatae	occultata
202	14	356	856.
237	32	dictum	dictam